

25. *Ius alternatiua non competit inferioribus collatoribus, quibus ius conferendi quæsitum est ex privilegio, vel consuetudine.*
26. *Capitulum, sede vacante, non potest gaudere Alternatiua.*
27. *Episcopi non gaudent alternatiua nisi verè & realiter resideant in sua diocesi, etiamsi ex iusta causa recesserint.*
28. *Vsus Alternatiua vtrum statim incipiat post illius acceptationem, an verò finito mense.*
29. *Mensis Aprilis & Octobris semel facti Apostolici propter absentiam Episcopi, vtrum redeunte Episcopo fiant ordinarij.*
30. *Quid dicendum sit de mensibus Februarij, & Augusti.*
31. *Iunius & December nunquam sunt menses Apostolici, quamuis Episcopus non resideat.*
32. *Collatio facta in mense ordinario Alternatiua ab Episcopo tunc residente, non rescinditur quamuis Episcopus in aliqua mensis parte recedat.*
33. *Episcopus non gaudet Alternatiua quoad beneficia qua non sunt libera collationis; & quanam illa sint.*
34. *Si beneficia pertineant per turnum ad Episcopum, & Capitulum; Episcopus adueniente turno suo gaudet Alternatiua.*
35. *Turnus in materia Alternatiua, quando collatio spectat per turnum ad Episcopum, & Capitulum; non consumitur per prouisiones Apostolicas.*
36. *Sed tamen per illas prouisiones factas cum derogatione iuris patronatus, turnus dicitur consummatus.*
37. *Turnus non dicitur consumptus per prouisiones non sortitas effectum.*
38. *In Gallia tamen aliud deciditur nempe solas beneficij collati litteras Graduato turnum facere.*
39. *Turnorum materia vbi explicetur. Remissiuè.*
40. *Collatio non minus libera dicitur ad effectum Alternatiua, quamuis beneficium sit conferendum per concursum.*
41. *Si Episcopus se ingerat in collatione beneficiorum reseruatorum, ipso iure perdit Alternatiuam; sed retinent alios quatuor menses.*
42. *Episcopus post acceptatam Alternatiuam, vtrum illi possit renunciare.*

1. **P**RO intelligentia Alternatiua supponendum est; quòd per regulam 8. Cancellaria, quæ nunc est nona, assignantur Episcopis & collatoribus ordinarijs quatuor menses, vt intra terminum illorum conferre possint beneficia ad illorum collationem spectantia: nempe, menses Martij, Iunij, Septembris, & Decembris: † illa verò quæ vacant in alijs octo mensibus, nempe Ianuarij, Februarij, Aprilis, Maij, Iulij, Augusti, Octobris, & Nouembris, sunt sedi Apostolicæ reseruata; siquidem ante illam regulam Episcopi & alij collatores ordinarij poterant in quibuscumque mensibus conferre beneficia ad ipsorum collationem spectantia: hodie verò conferre non possunt, nisi in quatuor mensibus supradictis.

3. Excipiuntur tamen à prædicta regula beneficia vacantia in Curia: quia illa quocumque mense vacauerint summus Pontifex priuatiuè confert; nec vllus ordinarius collator circa illorum prouisionem se immiscere potest: quod manifestè probatur ex verbis illius regulæ, *Extra Romanam Curiam.*

Secundò excipiuntur à prædicta regula beneficia 4. vacantia per resignationem, in quibus non habet locum illa mensium distinctio; sed semper, & in quolibet mense potest collator ordinarius prouidere de beneficijs resignatis: vt patet ex verbis dictæ regulæ, ibi, *alias quam per resignationem.*

Tertiò excipiuntur beneficia comprehensa in Concordatis cum sede Apostolica initis, & acceptatis, 5. qualia sunt beneficia sita in Gallia; vbi per Concordata, & per Bullam Leonis X. *sub titulo de reseruationib. sublat.* omnes reseruaciones sublatae sunt, exceptâ reseruacione beneficiorum vacantium in Curia, quæ (vt supra dictum est suo loco) est reseruatio clausa in corpore iuris: † Ided per generalem abrogationem omnium reseruacionum factam in dictis Concordatis, non censetur sublata reseruatio beneficiorum vacantium in Curia: vt notauit Rebuff. in *Concordat. ad dictum titulum, de Reseruati. sublat. §. 1. versic. & licet non excipiantur.* Huic tamen regulæ mensium supponuntur beneficia Britannia. Tournet. *lit. B. num. 78.*

Quartò excipiuntur beneficia quæ S. R. E. Cardinalium collationi supponuntur, quando Cardinales 7. ratione Episcopatus, Archiepiscopatus, Abbatia aut similis beneficij per eos possessi, ius collationis habent; cui summus Pontifex per illam reseruacionem præiudicare non intendit. *Ricc. collectan. 2829. & 2956. Ludouif. decis. 99. †* Quamuis hoc ius collationis non censeatur concessum Cardinalibus à Curia absentibus, ratione beneficiorum à titulis sui Cardinalatus dependentium, quorum collatio spectat ad Cardinales quandiu in Romana Curia sunt præsentibus, qui vocantur Cardinales titulares de Vrbe, & habent titulos suis Cardinalatibus annexos, & optantur per sex antiquiores Cardinales Præbiteros qui in Vrbe tempore vacationis reperiuntur; nempe Ostiensis, Portuensis, Prænestinus, Tusculanus, Sabinensis, & Abbanensis: quia verba illa regulæ quæ excipiunt Cardinales, ibi, *non tamen S. R. E. Cardinalium,* non extenduntur ad dictos Cardinales titulares à Curia absentes: quia obstat illis reseruatio regulæ septimæ, in qua Papa reseruatur beneficia Cardinalium absentium à Curia Romana, dependentia tamen à titulis Cardinalium, ac Diaconiarum ipsorum: vt explicat Cokier, *ad regul. 8. Cancellar. gloss. 10. num. 5.*

Et ex his inferitur quòd si Cardinalis Episcopus 9. fuerit negligens in conferendo intra sex menses, Papa non confert iure deuoluto; sed ius istud deuoluitur ad proximè immediatum Superiorem: iuxta formam *cap. 2. de concess. præbend.* de qua nos superius *hoc cap. §. 4. num. 8.* Ratio est quia hoc beneficium, ratione cuius Cardinalis Episcopus fuit negligens in conferendo, nunquam fuit reseruatum; & per consequens deuolutio fit eodem modo quo fieret si Episcopus non esset Cardinalis: vt notauit Cokier *loco citato.*

Secundò principaliter supponendum est, quòd pro 10. validitate collationum quæ fiunt à summo Pontifice, vel Legato, necessè est vt exprimat simpliciter & affirmatiuè mensis, quo vacatio contigit; idque ad euitandas fraudes quæ fieri possent in præiudicium Ordinariorum: alias gratia esset nulla. Quod intelligendum est, quando beneficium vacat in mense reseruato: nam si vacaret in mense ordinario, non esset necessaria mensis expressio: vt decidit Rot. *decis. 79. num. 3. part. 4. recentior.*

Verum ista regula nonnullas recipit limitationes, 11. & restrictiones seu interpretationes. Et primò quidem vt non procedat in beneficijs vacantibus per resignationem,

signationem, siue in Curia, siue extra Curiam factis: quia huiusmodi beneficia resignata non subiacent huic regulæ: vt mox diximus *num. 4. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 14. num. 1. Roet. decis. 624. num. 1. part. 3. lib. 3.*

12. Secundò dicta regula non habet locum in beneficiis, quæ alio modo sunt reseruata, seu alio reservationis genere quam vigore regulæ mensium; cum certum sit de beneficiis aliter reseruatis Ordinarium se intromittere non posse: & in quocumque mense vacatio contingat, illa semper summo Pontifici esse reseruata; & sic non potest in illis considerari aliquod interesse collatoris ordinarij: vt bene comprobatur *Put. decis. 25. lib. 3.*

13. Tertio non procedit in beneficiis iurispatronatus laicalis: quia sicut in illis non habet locum regula mensium ita nec obligatio exprimendi mensem, quæ est accessoria ad dictam regulam. *Mantic. decis. 278. num. 2.*

14. Quarto neque mensis expressio fieri debet in gratia reformatoria, quam vocant *Perinde valere*, si in prima & principali gratia mensis expressus fuerit: si enim non fuerit expressus in prima, exprimi debet in secunda: quia licet eadem solemnitas requiratur in secunda, quæ in prima; vt dicit Ioan. Bapt. Ferrer. *consil. 53. num. 12. post Geminian. consil. 128.* tamen in secunda supplicatione reformatoria, inferi semper solet totus tenor primæ gratiæ: atque ideo sufficienter dicitur expressio mensis facta, propter præinsertum tenorem primæ in secunda: vt docet *Mohedan. decis. 5. de rescript.*

In noua tamen prouisione per obitum, si resignans mortuus fuerit intra viginti dies, mensis omninò exprimendus est: teste *Put. decis. 165. lib. 2.* quod in Gallia non obtinet locum, vt superius ostendimus *Sup. eodem §. num. 5.* Immo si resignans obierit post tempus congruum ab expeditione cursoris, prouisio per obitum dicitur fieri incidenter vt dependens ab ipsa resignatione: & præterea quia regula mensium in Gallia locum non habet.

15. Quinto non est exprimendus mensis in concessione subrogationis; cum regula loquatur de beneficiis vacantibus, subrogatio verò supponat beneficium non vacare; alioquin non esset subrogatio, quæ supponit ius præexistens; sed esset noua concessio. *Put. decis. 433. in correct.* vt bene aduersus sententiam *Gonzal. comprobatur Garl. de benefic. part. 5. cap. 1. num. 671.*

Aliud est in gratia si *Neutri* quæ supponit nullum ius aduersario competere: & per consequens tendit ad beneficium, tanquam verè & actualiter vacans. Quapropter locus est hoc casu huic regulæ, & mensis expressio fieri debet: quia regula loquitur de impetratione beneficiorum vacantium. *Gonzal. dicta gloss. 32. num. 24.*

16. Sexto, expressio mensis fieri non debet in prouisionibus quæ fiunt per collatores ordinarios; sed solum in prouisionibus Apostolicis: quia regula mandat expressionem mensis fieri ad euitandas fraudes, quæ fieri possent in præiudicium Ordinariorum: quæ ratio cessat, dum prouisio fit ab ipsis Ordinariis. Item quia Episcopi, & alij inferiores collatores, vt plurimum habent notitiam temporis vacationis. *Ric. collectan. 1141. in fin. versic. limita secundo.*

17. In prouisionibus verò factis per Legatum, vel per Nuntium; necessaria est expressio mensis: quia in illis eadem viget ratio præiudicij Ordinariorum, quæ in Papa. *Garl. dicta part. 5. cap. 3. num. 138.* & de Nuncio tradit *Seraphin. decis. 285. num. 8.* quia Nuntij & Legati signant gratias beneficiorum eodem modo quo Papa; vt *ibid.* per *Seraphinum.*

Septimò limita, vt non procedat in prouisionibus quæ fiunt per Papam iure deuoluto: quia tunc nullum fit præiudicium Ordinario, quem conferre non possè certum est; cum ius conferendi amiserit propter suam negligentiam: & per hanc rationem ita concludit *Gonzal. dicta gloss. 32. num. 62.*

Octauò, non procedit regula in institutionibus factis ad præsentationem: quia institutio est iustitiæ, & non gratiæ. *Abb. in cap. autoritate. & in cap. ex frequentibus. de institut.* Ideo verba regulæ non conueniunt, quando agitur de institutione, & præsentatione; cum loquatur de gratiis Apostolicis: institutio autem gratia non est. *Seraphin. dicta decis. 285. num. 1. iuncto num. 5.* quæ decisio, si vera est, procedit etiam in institutione facta ad præsentationem Patroni Clerici; nisi dicamus illam contineri sub nomine gratiæ, ex eo quòd Papa admittit præsentationem Patroni clerici, cui derogare poterat; & non derogando, videtur gratiam facere.

Mensis autem iste incipit à media nocte præcedenti, dum pulsatur primus ictus horologii ex duodecim mediæ noctis; & finitur in media nocte sequenti vltimum diem mensis, dum similiter pulsatur prima hora ex duodecim ictibus horologii: vt aduertit *Garl. de benefic. dicta part. 5. cap. 1. num. 523.* *Sanch. de matrimon. lib. 2. disput. 41. num. 40.* † Et vbi nullum est horologium, vel non fuit auditum; recurrendum est ad iudicia hominum, vel ad coniecturas probabiles. *Garl. ibid. num. 526.*

Tertio principaliter supponendum est, quòd summus Pontifex pro maiori gratificatione Episcoporum, Archiepiscoporum, & Patriarcharum quibus ius ordinariæ collationis competit, voluit vt sit in illorum potestate, non solum habere illos quatuor menses Martij, Iunij, Septembris, & Decembris; sed alternatiuè sex menses: ita vt primus summo Pontifici sit reseruatus, nempe Ianuarius; intra quæ Ordinarius conferre nullo modo possit: secundo verò mense nempe Februario, licitum sit Ordinario conferre: tertius mensis ad Pontificiam collationem, quartus ad Ordinarium spectet. Sic alternatim semper computando, vt Ianuarius, Martius, Maius, Iulius, September & Nouember sint reseruati; alij verò sex menses, nulla reservatione sint affecti; nempe Februarius, Aprilis, Iunius, Augustus, October, & December qui spectant ad Ordinarium; & quibus durantibus datur illi facultas conferendi, dummodò concurrant conditiones infra scriptæ.

Primò quòd sit in electione Episcoporum, Archiepiscoporum & Patriarcharum acceptare vel non acceptare Alternatiuam: quæ acceptatâ, gaudent sex mensibus: quòd si nolint illam acceptare, gaudent solum quatuor mensibus prædictis.

Secundò, ista acceptatio, ad hoc vt suffragetur Ordinario qui vult gaudere Alternatiua, debet fieri per patentes litteras propria manu Ordinarij collatoris subscriptas, eiusque sigillo munitas, & in sua cuiusque ciuitate & diœcesi datas, & ad Datarium Urbis transmissas atque ab eo recognitas; & ante dictam transmissionem, receptionem & recognitionem Alternatiuâ frui non potest: & sic tantum habet quatuor menses in tali casu.

Tertio ius istud Alternatiuæ non potest competere Capitulo, nec Archidiacono, aut aliis inferioribus collatoribus quibus ius conferendi competit ex priuilegio, statuto, vel consuetudine: quod probatur ex verbis regulæ, & dictionibus taxatiuis in illa positis, & ipsis dumtaxat. † Imò nec ipsum Capitulum, sede vacante, gaudere potest Alternatiua: vt notat *Coker ad dictam regulam 8. Cancellaria, gloss. 15.*

27. Quartò, ad hoc vt Episcopi & similes gaudeant priuilegio Alternatiuæ, requiritur quòd verè, realiter, & non fictè, etiam sub prætextu absentia iustæ & probabilis resideant actualiter in sua diocesi: nam si recesserint etiam ex iusta causa, & ad modicum tempus; priuantur priuilegio Alternatiuæ. Cokier, ad dictam regulam 8. gloss. 15. num. 3. & 4.

Quod vt melius intelligatur, notandæ sunt aliqua regulæ, quas super residentia collatorum ad effectum Alternatiuæ, ponit Barbof. de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 53. num. 38 & sequentib.

28. Prima, Episcopus non gaudet Alternatiua, non probatâ residentia, neque habetur pro residente, si vt plurimum in alio loco solet habitare extra diocesim; etiam si in illo remaneret propter officium Inquisitoris sanctæ fidei; quamuis aliquando in certis temporibus visitaret suam diocesim: quia talis visitatio non constituit veram residentiam, quæ fiat cum animo perpetuo ibi remanendi: vt dicitur apud Ludouif. decis. 70. adeo vt prouisus ab Ordinario vigore Alternatiuæ, licet sit in possessione, teneatur nihilominus probare non solum acceptationem Alternatiuæ; sed etiam hanc qualitatem residentia. Addit. ad Ludouif. decis. 94. num. 11.

Sed illa acceptatio Alternatiuæ si facta fuerit in medio mensis, quamuis Episcopus toto illo mense residentiam fecerit in diocesi, non facit vt propterea mensis ille computetur in Alternatiua: quia regula loquitur de mense integrali, & non de singulis illius diebus: per text. in l. eum qui ades. ff. de usucapion. Et ideo quamuis Alternatiua fuerit recepta in Dataria in aliquo mense Apostolico, non incipit illius vsus nisi toto mense peracto: vt copiosè explicat Rot. decis. 144. per tot. part. 2. recentior. sequitur Rub. in singular. ad decis. Rota: circa decis. Blanchetti, in Fauentin. Canonizatus. 16. Decembris. 1585.

Si verò Alternatiua recepta fuerit in Dataria in aliquo mense ordinario, veluti Martio, qui per acceptationem Alternatiuæ fit reseruatus; tunc statim illius priuilegium incipit non expectato fine mensis: vt per Barbof. ibid. Rot. decis. 349. num. 1. part. 3. recentior.

29. Secunda regula: menses Aprilis, & Octobris semel facti Apostolici propter absentiam Ordinarij, remanent Apostolici vsque ad finem mensis; quamuis postea Ordinarius redeat ad residentiam.

30. Tertia regula: menses Februarij, & Augusti, licet semel propter absentiam Ordinarij facti fuerint Apostolici, desinent esse Apostolici ab illa die qua ordinarius ad suam residentiam reuertitur animo ibi perpetuò remanendi. Barbof. loco citato.

31. Quarta regula: menses Iunij, & Decembris nunquam sunt Apostolici; sed semper pertinent ad Ordinarium, quamuis ipse nunquam resideat: vt bene probatur ex Martin. Andr. decis. Rota 110. inter impressas sub eius nomine: ex cuius dictis colligitur.

32. Quinta regula: quòd si collatio legitimè facta fuerit ab Episcopo habente ius Alternatiuæ in aliquo mense ordinario ipsius alternatiuæ, si postea residere desinat intra eundem mensem, non propterea reuocatur collatio per eum legitimè facta: vt habetur in dicta decis. 110. num. 24. quia quòd legitimè factum est ex causa superuenienti non vitatur.

33. Quartò principaliter supponendum est, quòd dicta regula mensium, quoad istam secundam partem, non procedit; nec Episcopus gaudere potest Alternatiua, quando agitur de beneficiis quæ non sunt libera collationis: talia autem dicuntur quando non solus Episcopus; sed ipse simul cum alio conferre tenetur:

quia in istis beneficiis simultaneæ collationis cessat regula.

Si tamen Episcopus & Capitulum, aut alius qui infimul cum Episcopo conferre debet, diuident inter se per turnum ius & exercitium conferendi huiusmodi beneficia simultaneæ collationis: tunc Episcopus in suo turno gauderet Alternatiua: cum collatio in suo turno Episcopo remaneat libera collationis. Seraphin. decis. 1296. num. 8. Rot. decis. 232. num. 4. part. 1. recentior. Quod intellige iuxta tradita per Addent. ad Ludouif. decis. 95. num. 7. vt non procedat, quando Papa diuisionem istam per turnum confirmasset cum clausula *saluis affectionibus & reservationibus, & sine illarum præiudicio*: tunc enim, licet Episcopus liberam habeat collationem in suo turno; non tamen ideo gaudet Alternatiua. Rot. decis. 683. num. 6. part. 3. recent. & decis. 100. num. 8. part. 4. recent. tom. 2.

In hac autem turnorum materia aduertendum est, quòd dum agitur de Alternatiua, turnus non est consumptus in ipsius Episcopi præiudicium per prouisiones Apostolicas, quando ius conferendi spectat alternis vicibus inter Episcopum, & Capitulum: vt notat Gonzal. ad regul. 8. gloss. 45. §. 1. num. 31.

Sed dum agitur de duobus Patronis, inter quos ius præsentandi alternatim per turnum diuisum est; ordo inter duos illos Patronos competens dicitur consumptus per prouisionem à summo Pontifice factam, cum derogatione iuris patronatus: ita vt ille, qui pro illa vice præsentare debebat, perinde sit ac si præsentaret. Vnde in proximè tunc sequenti præsentatione, seu vacatione; non ille, sed alter patronus turnum ingreditur, & ius præsentandi illi competet, Donat. Anton. de Marin. lib. 1. resolut. 228. post Roch. de Curt. in tract. iuris patron. in verb. ius. in 6. quest. num. 11. Lambertin. in eodem tract. in 3. part. lib. 2. quest. 9. artic. 26.

Si tamen prouisiones non fuerint fortitæ effectum non dicitur turnus consumptus; nec ius ab habente potestatem conferendi vel præsentandi in illo turno numerari potest: quia perinde est ac si nulla facta esset collatio, vel præsentatio. Gonzal. dicta gloss. 45. §. 3. num. 4.

Attamen in Gallia, solas beneficij Graduato collati litteras turnum facere, decisum fuit apud Tournet in recollect. Arrestorum benefic. litt. B. num. 31. † vbi plura de hoc barbaro Turni nomine. Et fusè de tota hac turnorum materia, Gonzal. dict. gloss. 45. §. 3.

Non impeditur etiam collationis libertas, quamuis beneficium sit parochiale, & ea ratione collatio non videatur libera; cum illud digniori, & magis idoneo sit conferendum per concursum. Ricc. collectan. 1374. versic. Quarto. vbi sic in Rotâ decisum fuisse testatur; nempe quòd propter concursum non impeditur libertas collationis.

Quintò principaliter notandum est, quòd si Episcopus in collatione beneficiorum per regulam mensium, vt dictum est, reseruatum se se intromiserit; dictæ Alternatiuæ vsu & priuilegio ipso iure priuatus existit. Sed hoc casu semper suos quatuor menses retinebit, quos cessante Alternatiua habiturus erat tanquam Ordinarius; nempe Martij, Iunij, Septembris, & Decembris; ad quos statim restituitur: & Papa ad reliquos octo menses, prout prius fiebat, ante acceptationem Alternatiuæ: vt DD. in explicacione dictæ regulæ communiter tenent.

Sextò principaliter notandum est, quòd Episcopus aut similes personæ post acceptatam Alternatiuam pœnitere quidem possunt re integra, nempe antequam Datarius litteras patentes super illius acceptacione

tione receperit, si intimatio illius reuocationis legitime, & congruo tempore facta fuerit: Gratian. *discept. forens. cap. 191. num. 24. 25.* alioquin si semel acceptatio Alternatiuæ fuerit approbata, non potest Episcopus variare, & ab illa acceptatione recedere. Monald. *consil. 105. num. 12.* Castad. *de prebend. decis. 8. num. 5.* Rot. *decis. 289. numer. 7. part. 3. recentior.* Quia acceptatio illa Alternatiuæ habet vim cuiusdam contractus inter Papam, & Ordinarium collatorem.

§. 9.

De Abbatibus, Abbatissis, & Canonissis.

1. *Abbatibus, & alijs Prælati inferiores non habent regulariter potestatem conferendi beneficia.*
2. *Episcopi habuerunt à Papa potestatem conferendi ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio.*
3. *Abbatibus, & alijs Prælati inferiores possunt consuetudine, præscriptione vel privilegio acquirere ius conferendi beneficia Ecclesiastica.*
4. *Non solum ius conferendi præscribi potest per Prælatos inferiores, sed etiam ius authorizandi quoad administrationem Parochiæ seu curæ animarum: ex veriori sententia & num. 11.*
5. *Iura Episcopis competentia, in triplici sunt differentia.*
6. *Quanam sint, & in quibus consistant iura Episcopis ratione ordinis competentia.*
7. *In quibus consistant iura iurisdictionalia Episcopis.*
8. *Iura quanam sint que competunt Episcopis simpliciter ratione dignitatis Episcopalis.*
9. *Prælati inferiores præscribere possunt iura Episcopalia que non sunt ordinis.*
10. *Ampliatur, ut etiam simplex clericus illa iura que non sunt ordinis præscribere possit.*
11. *Abbatibus, & Prælati regulares possunt præscriptione sibi acquirere territorium separatum à diocesi Episcopis.*
12. *Abbatibus seu Prælati regulares qui ius separati territorij præscriptione acquisierunt habent ius conferendi beneficia.*
13. *Prælati inferiores qui iurisdictionem habent quasi Episcopalem, si habuerint ius congregandi Synodum, & eligendi Examinatores iuxta Concilium, possunt indicare concursum in Parochialibus.*
14. *Que requirantur ad hoc ut Prælati inferior possit concursum indicare.*
15. *Episcopus manutenendus est in quasi possessione deputandi Examinatores ad concursum, etiam in locis nullius diocesis, ubi Prælati inferiores habent iurisdictionem quasi Episcopalem; nisi doceatur de iure faciendi concursum illis competenti.*
16. *Episcopo non datur manutentio, imò datur Abbati in quasi possessione conferendi capellanas amouibiles à monasterio dependentes, seu unitas.*
17. *Vicarij perpetui in Ecclesijs unitis deputandi sunt ad illorum nominationem, quorum beneficiis seu Ecclesijs facta fuit unio, cum approbatione tamen Ordinarij.*
18. *Quando Ecclesia fuit unita Monasterio pleno iure, tunc Abbas habet ius conferendi etiam quoad institutionem authorizabilem ad curam exercendam: & quomodo.*
19. *Abbatibus qui ius præscripserunt conferendi, non tamen possunt admittere resignationes.*
20. *Abbatibus exempti possunt admittere resignationes beneficiorum.*
21. *Ius admittendi resignationes competit Abbatibus, vel Prælati inferioribus habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem. Idem de permutationibus dicendum est.*
22. *Abbas habens iurisdictionem quasi Episcopalem, omnia iura Episcopis competentia exercere potest, exceptis iis que sunt ordinis; cum habeat territorium à Diocesi separatum.*
23. *In beneficiis regularibus que suum habent Superiorem, Episcopus non habet intentionem fundatam quoad illorum collationem. Intellege ut num. 29.*
24. *Abbas unà cum conuentu beneficia unita conferre potest.*
25. *Ampliatur hoc ut procedat tam in beneficiis electiuis, quam collatiuis.*
26. *Limitatur nisi adsit consuetudo, vel privilegium in contrarium.*
27. *Limitatur secundo ut hoc verum sit in beneficiis conuentualibus; Nam non conuentualia conferuntur per Superiores non conuentuales sine conuentu, quando ius conferendi præscripserunt.*
28. *Collatio beneficiorum pertinet ad Episcopum in Monasteriis non exemptis.*
29. *Abbas in Monasteriis obedientiaris potest electum à Capitulo reuocare, & confirmationem illius recusare ac electum & admissum reuocare.*
30. *Simultanea conuentus cum Abbate collatio, excluditur per collationes antecedentes à solo Abbate pleno iure factas: & in hoc multum potest ultimus status.*
31. *Beneficia inferiora conferri possunt per Prælatum sine Capitulo.*
32. *Abbas prouidet de beneficiis que vocantur Membrum, vel Grangia Abbatie.*
33. *Abbas, qui Monachos habet obedientiaris, non potest illos cogere ad accipienda beneficia alterius Monasterij eiusdem ordinis.*
34. *Monachus de iure prohibetur beneficia alterius Monasterij adipisci.*
35. *Virum Abbas possit cogere Monachum ad accipiendum beneficium. Remissiuè.*
36. *Monachi obedientiaris quorum beneficia sunt amouibilia non possunt conueniri si beneficium fuerit pensione oneratum; cum ipsi proprium habere non possint.*
37. *Monachi peculium habere possunt ex permissione Superiorum.*
38. *Mortuo religioso non succedunt eius consanguinei, sed eius Abbas iure spolijs.*
39. *Abbas non potest possidere prioratum ab eius Abbatia dependentē: Monachus verò ex dispensatione Apostolica potest duos prioratus ab eadem Abbatia dependentes assequi.*
40. *Abbatissa potest esse capax collationis beneficiorum, etiamsi curam habeant animarum annexam; sed in parochialibus concursus fit coram Episcopo.*
41. *Abbatie in Gallia sunt suppositæ Regiæ nominationi, exceptis tamen temporalibus, quales sunt Abbatie Montis-cassini, & Sancti Honorati de Lerins.*
42. *Quoad Regiam Abbatiarum nominationem, consuetudo seruanda est.*

44. *Abbatissa electa habens Regiam nominationem posteriorem, preferenda est antè nominatione habenti minorem vocum partem.*
45. *Canonissa qua sunt in quibusdam locis non sunt verè Moniales: quia non emittunt vota substantialia religionis.*
46. *Canonissa possunt habere collationem simultaneam cum Abbatissa, officiorum, & beneficiorum.*
47. *Canonissarum prebende non sunt beneficia, & sunt verè temporales.*
48. *Canonissa pro tempore quo manent in Monasterio, tenentur ad obedientiam erga Abbatissam.*

Totam Abbatum & Abbatissarum materiam hinc tractare nostri non est instituti; de quibus ad sunt tractatus speciales præsertim per Tamburin. editi: & de Abbatibus plura habet Vrsel. lib. 1. commun. conclus. in verb. Abbas. conclus. 1. & de electione Abbatum conclus. 2. plura etiam Donat. Antonin. de Marin. quotidianar. conclus. re.olut. 1. per tot. sicuti & de Abbatissis & illarum electione, Idem Vrsel. conclus. 3. sed solum de Abbatibus agendum est in ordine ad collationem beneficiorum, aut illorum obtentionem.

1. Primò igitur aduertendum est, Abbates & Prælatos inferiores regulariter non habere ius conferendi beneficia; sed ius illud propriè ad Episcopos, non autem ad Prælatos inferiores spectare: cap. 2. & 3. de institut. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. §. 1. proæmial. num. 21. † quam potestatem etiam Episcopi habuerunt à Papa ab initio nascentis Ecclesiæ. Gloss. in cap. quanquam. 18. circa med. & ibi DD. de election. & ad hoc facit Concil. Tridentin. sess. 14. num. 13. in illis verbis: *nisi Episcopo loci Ordinario, ad quem promissio seu institutio ipsius beneficij, cessante privilegio, iure pertineret.*
3. Possunt tamen Abbates, & alij inferiores acquirere ius instituendi, & beneficia conferendi ex privilegio, consuetudine, vel præscriptione immemoriali: cap. 2. & 3. de institut. Lambertin. de iure patron. lib. 2. part. 3. quæst. 1. artic. 10. fol. mibi 208. vers. † Vbi tamen aliud dicendum asserit quoad institutionem authorizabilem, per quam tribuitur potestas exercendi curam, secundum opinionem aliquorum, quam tamen ipse reprobat dicens; quòd etiam per simplicem clericum præscribi potest ius instituendi, imò & ipsa institutio authorizabilis per quã conceditur alicui facultas exercendi curã animarum: quia clericus est persona habilis, & potest acquirere huiusmodi iura particularia.
5. Super quo tamen notandum est, quòd iura Episcopalia in triplici sunt differentia. Quædam competunt Episcopo ratione ordinis; quædam verò ratione iurisdictionis; alia denique competunt ratione simplicis Episcopalis dignitatis. † Competentia Episcopo ratione ordinis, sunt illa quæ enumerantur per Gloss. finalem, in cap. transmissam. de election. per text. in cap. quanto. de consuetudine. scilicet, Clericos ordinare; illos deponere, Chrisma & alia olea conficere, Ecclesias & Altaria consecrare, Virgines benedicere, & alia de quibus Anton. de Butt. conf. 19. column. 5. vbi singulos casus explicat.
7. Iura verò competentia Episcopo ratione iurisdictionis sunt, iudicare, excommunicare, corrigere, beneficia conferre, præsentatos instituere, electos confirmare, & similia quæ enumerantur per Gloss. in d. cap. transmissam. de election. & per text. in cap. conquerente. de offic. Ordinar.
8. Competentia denique Episcopo ratione simplicis dignitatis Episcopalis sunt, veluti publicas poenitentias iniungere, indulgentias illarumque literas concedere: de quibus in cap. accedentib. 12. de excess. Prælat.

Hoc præsupposito dicendum, quòd ea quæ sunt 9. ordinis nullo modo præscribi possunt; sed ea quæ sunt iurisdictionis, vel simplicis dignitatis Episcopalis possunt præscribi per Abbatem, vel alium Prælatum inferiorem: dicto cap. accedentibus. 12. & ibi Abb. † 10. & non solum per Prælatum, sed etiam per simplicem Clericum: vt notat Lambertin. de iure patronat. qui id fusè comprobatur lib. 1. part. 1. quæst. 9. artic. 3. num. 18. & multis sequentibus.

Vnde etiã Abbas, vel Prælatus regularis præscribere potest huiusmodi iura Episcopalia, exceptis iis quæ sunt ordinis; veluti ius cognoscendi de causis matrimonialibus, quæ respiciunt Episcopalem dignitatè: vt habetur in d. cap. accedentibus cum ibi notat. per DD.

Et per consequens Abbas seu Prælatus regularis potest præscribere aduersus Episcopum, non solum ius conferendi beneficia; sed etiam instituendi in illis per institutionem authorizabilem: vt notat Balb. in tract. de præscript. 5. part. principal. part. 1. quæst. 11. n. 6.

Et sicut potest Abbas præscribere aduersus Episcopum ius conferendi; & approbandi ad exercitium curæ animarum: ita potest sibi acquirere præscriptione, priuilegio vel consuetudine ius habendi territorium separatam cum iurisdictione Episcopi: vt fusè ostendimus lib. 1. cap. 60. † Et hoc casu Abbas qui huiusmodi ius acquisiuit, habet ius conferendi beneficia, & curatos approbandi. Barbof. de iur. Eccles. vniuers. lib. 1. cap. 17. num. 102. & in tract. de potest. Episc. part. 3. allegat. 69. n. 4. vbi quòd huiusmodi Abbates possunt admittere beneficiorum resignationes. † Et non solum conferre potest beneficia, sed etiam indicere concursum in Ecclesiis parochialibus; dummodò habeat ius congregandi Synodum, & eligendi Examinatores iuxta formam dicti Concilij: vt determinauit sacra Congreg. teste Ricc. in prax. rer. for. Eccles. decis. 424. † ad hoc enim vt inferior collator possit facere concursum iuxta formam Concilij ses. 24. de ref. c. 18. tria copulatiuè requiruntur.

Primò quòd locus, in quo Ecclesia sita est, sit nullius Diocesis, & immediatè subditus sedi Apostolicæ. Secundò quòd collator habeat in eo omnimodam & quasi Episcopalem iurisdictionem. Tertiò quòd habeat ius congregandi Synodum, & sit solitus congregare; & si Abbas aut Prælatus regularis alio modo prouideat in casibus in quibus locus est eò cursui, prouisio nulla erit. Mant. decis. 228. n. 5. † Vnde Episcopo danda est manutentio in quasi possessione deputandi Examinatores, etiam pro collatione parochialis loci vicini, qui dicitur esse nullius diocesis (quod explicatum fuit dicto cap. 60. lib. 1.) donec Abbas docuerit sibi competere ius faciendi concursum. Mant. dicta decis. 228. num. 6.

Sicut è conuerso, Abbati danda est manutentio aduersus Episcopum in quasi possessione deputandi Cappellanum amouibilem in Ecclesia tanquam Monasterio vnita; licet præsumptio iuris sit Ecclesiam esse liberam. Marefcot. lib. 1. var. resolut. cap. 11. num. 44. Ludouif. decis. 370. num. 1. & per totam decisionem.

Episcopus quoque manutenendus non est, probatam quasi possessione liberè conferendi per concursum Vicariam perpetuam Capitulo vnitam (cum facultate Vicarium nominandi) nullam expectatam electione, vel nominatione: quia constitutio Pij V. expressè resistit, quæ est 47. inter eiusdem constitutiones in §. 4. incipiente *Volumus*, vbi mandatur Vicarios eligi & deputari perpetuos, ad electionem & nominationem illorum, quorum Ecclesiis factæ sunt vniones, cum approbatione tamen Ordinarij, & præuio examine. Rot. apud Post. decis. 186. num. 3.

Secundo loco aduertendum est, quòd quando Ecclesia fuit vnita pleno iure Monasterio, censetur eo ipso

so concessum ius Abbati seu Prælato illius Monasterij conferendi ipsam, & Rectorem instituendi statim quoad authorizabilem institutionem ad curam animarum exercendam: ita tamen quòd hæc faciant tanquam gerentes vicein Episcopi, vel Papæ. Emanuel Roderic. *lib. 1. quest. regular. 36. artic. 1.*

20. Tertio statuendum est, quòd Abbates seu Prælati inferiores, si exempti non sint, beneficiorum resignationes admittere & recipere non possunt, etiam dato quòd conferre possint: quia non sequitur quòd ex eo quòd quis habet ius conferendi, vel instituendi, habeat propterea ius resignationes recipiendi. Cardinal. *in Clementin. 1. num. 18. de renunciation. vbi tamen dicit quòd si ad Abbatem spectat præsentatio, & ad Episcopum institutio, omninò in resignatione debet interuenire consensus Abbatis, cui competit ius præsentandi.*
21. Si verò agatur de Abbate exempto, ad eum spectat admittere resignationes: quia tales Abbates habent Ecclesias sibi pleno iure subiectas, & in illis iurisdictione quasi Episcopale: vnde possunt recipere resignationes. Paris. *de resig. benef. lib. 7. qu. 15. n. 3.* † quia hoc ius admittendi resignationes cõpetit etiam inferioribus habentibus illam iurisdictione quasi Episcopalem: vt per eundem Paris. *n. 7.* ergo multò magis Episcopis, qui pro se habent iuris assistentiam. Et sicut isti Abbates exempti possunt recipere resignationes; ita & illis licitum est admittere permutationes. Abb. *in cap. quasi-tum num. 4. de rer. permut.*
23. Et generaliter Abbati habenti iurisdictionem quasi Episcopalem ea omnia competunt, quæ possunt competere Episcopo in suo territorio, exceptis iis quæ sũt ordinis. Gloss. *in Clement. 1. in verb. Diocesani de for. competent. & in cap. Ordinarius & ibi Gemin. de offic. Ordinari. in 6. Seraph. decis. 1386. n. 3.* & perinde est ac si territorium Abbatis esset extra diocesim Episcopi in omnibus & per omnia. Seraph. *decis. 1278. n. 4.*
24. Et in simili decisum fuit in Cod. Fabr. Episcopũ non habere intentione suam fundatã ratione beneficiorũ regularium quæ suam habent Superiorem, nisi in eũ casum quo Superior ille fuerit negligens in prouidendo: quia tunc iure deuoluti collatio deuoluitur ad Episcopum: vt dicit Cod. Fabrian. *lib. 1. tit. 2. defin. 65.* Quod intelligendum est iuxta notata *hoc. lib. cap. 3. §. 4. & infra num. 29.*
25. Quarto supponendum est, quòd si agatur de beneficiis vnitis monasteriis, & domibus regularibus, & ab illis dependentibus; collatio fieri debet ab Abbate insimul cum conuentu, aut de consensu illius: per text. *in cap. ea noscitur. de his que sunt à Prælatis.* Franc. Marc. *quest. 1235. n. 2.* † Quod procedit non solum quando agitur de beneficiis electiuis, in quibus nullũ est dubium quin electio debeat fieri congregato Capitulo; verũ etiam si agatur de beneficiis collatiuis, videlicet quæ sine electione conferri consueuerunt: vt testatur Sanch. *in præcept. Decalog. lib. 7. cap. 29. num. 108.* † quod intelligendum est cessante consuetudine, vel priuilegio in contrarium: vt notauit Abb. *in dicto cap. ea noscitur. column. 1. versic. nota quòd in præsentationibus.* Lezan. *in summa regul. lib. 2. cap. 18. num. 7.*
28. Item intelligendum est hoc procedere in beneficiis conuentualibus Monasteriorum exemptorum: quia hæc conferuntur per Prælatum simul, & conuentum: *cap. final. de regular. in 6.* si verò conuentualia non sint, collatio spectat ad Abbates seu Priores, Magistros aliõsue Prælatos regulares, qui hoc ius acquisiuerunt contra Episcopos: per text. *in Clementin. vnic. de supplend. neglig. Prælat. Io. de Selu. de benef. part. 2. quest. 22. num. 45. & sequent. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 23. num. 20. & 21.*

In beneficiis autem non exemptis collatio pertinet ad Episcopum. Gonzal. *Ibid. num. 22.* atque ita intelligi debent quæ nos supra diximus, *num. 24.* de Episcopo habente suam intentionem fundatam aduersus Superiores regulares: quia illud locum habet in non exemptis.

Sed tamen nonobstante electione Abbas potest electum reicere, & eius electionem non admittere: quia cùm religiosi sint obedientiarij Abbatis, à mera & libera illius voluntate pendet, non solum Priorem per eos electum non confirmare, & eius electionem non admittere; Gloss. *in cap. quam sit. in verb. obtinere. in fine, & in verb. facultatem. & Franc. in cap. si religiosus. ad fin. versic. sed certe videtur quod. de election. in 6. Rot. decis. 329. num. 1. versic. Ideoque dictus Abbas. part. 4. recentior.* sed etiam iam electum & admissum ad sui nutum remouere: vt fuit decisum *part. 1. diuers. decis. 778. num. 1.* quod intellige iuxta ea quæ superius per nos dicta sunt *cap. primo. §. 6. vbi fuse.*

Cæterum simultanea Abbatis cum conuentu collatio excludetur, si constet de vltima collatione effectuatã per possessionem subsequutam factã per solum Abbatem, cum expressã narratiua, quòd omnimoda dispositio dicti beneficij ad Abbatem ipsum pleno iure spectat: per quæ verba excluditur simultanea conuentus collatio. Gloss. *in cap. cùm in illis. §. si verò. in verb. cum alio. in fin. de præbend. in 6. & in Clementin. 1. in verb. omnimodam. de for. competent. Rot. decis. 39. num. 4. & 5. part. 3. recent. Duran. decis. 378. num. 5. & 6.* vbi dicit quòd hoc casu, cùm non agatur principaliter de pertinentia collationis, sed illa deducatur incidenter ad effectum validitatis collationis, debet attendi vltimus status collationis factæ per Abbatem, tanquam de beneficio ad eius liberam collationem spectante.

Multò autem magis excludetur simultanea collatio si agatur de beneficiis inferioribus quæ possunt conferri per Prælatum, sine consilio vel consensu Capituli; quidquid sit de maioribus beneficiis: vt post Abbat. tradit Rot. *decis. 683. num. 2. 3. & 4. part. 3. recent.*

Quinto supponendum est quòd quando agitur de beneficio quod dicitur membrum, seu Grangia Abbatia; tunc institutio ad Abbatem spectat: per text. *in cap. Lateranensi. 31. §. nos autem. de præbend. Rot. apud Duran. decis. 71. num. 8.*

Sextò notandum est, quòd licet Abbas, seu alius Prælatus regularis religiosos habeat sub sua obedientia; tamen non potest illos cogere ad accipienda beneficia alterius Monasterij eiusdem ordinis. Sanch. *in præcept. decalog. lib. 6. cap. 2. num. 51.* Quod ampliatur vt procedat, quamuis vtrumque beneficium ex Pontificia dispensatione liceret obtinere: quia id non est secundum regulam, immò est interdictum per text. *in cap. cùm singula. 32. §. prohibemus. de præbend. in 6.* † vbi dicitur quòd prioratus, Ecclesia, administratio, vel officia vnus monasterij consueta gubernari per Monachos eiusdem Monasterij, non debent committi Monachis alterius Monasterij: alioquin qui sic commiserint, & commissa non reuocauerint, ea vice sunt priuandi potestate ordinandi; ac recipientes & eligentes sunt ipso iure ineligibiles. Cùm ergo istud prohibitum sit à iure, neque concernat pertinentia eius monasterium, immò aliud quod illi non subiicitur; concludendum est Monachum ad talis beneficij acceptionem per Abbatem cogi non posse. † An autem, & quomodò religiosus compelli possit ab Abbate ad acceptanda beneficia, fusiùs explicat Sanch. *dicto num. 51.*

37. Septimò notandum est, quòd quando agitur de Monachis obedientiaris, quorum beneficia sunt amouibilia ad nutum Abbatis; tales religiosi habent nudam administrationem fructuum: & si super beneficiis regularibus & manualibus per eos possessis imposita fuerit pensio, nihil possunt opponere aduersùs huiusmodi pensiones; cum proprium habere non possint, vt bene probat Gratian. *discept. forens. cap. 617. num. 29. & sequent.* † Si verò agatur de religiosis, qui non adeo strictam vouent paupertatem; hi poterunt disponere de fructibus suorum beneficiorum in vita, eodem modo quo clerici sæculares; cum non repugnet voto paupertatis habere peculium ex permissu Superioris. *Rot. decis. 772. num. 4. part. 1. diuers.*
38. Loüet & ibi Addent. *litt. R. num. 42.* † Sed religioso mortuo excluduntur eius affines, & locus est spolio in fauorem Abbatis, vel conuentus. Addit. ad Loüet *dicta litter. R. num. 42.*
39. Octauò notandum est, quòd Abbas non potest obtinere prouisionem prioratus dependentis ab eius Abbacia; potest tamen ex dispensatione Apostolica Monachus obtinere duos prioratus ab eadem Abbacia dependentes. Loüet *litt. B. num. 8.* Chopin. *lib. 1. Monastic. tit. ult. num. 24. in princip.*
40. Nonò, quòd attinet ad Abbatisas; verum est quòd possunt esse capaces conferendi beneficia, etiam si sint curata; in curatis tamen exigitur concursus à Concilio Tridentino requisitus: sed examen fieri debet coram Ordinario, ad quem spectat eligere digniorem. *Mar. Ant. lib. 1. resolut. 63. Ricc. collectan. 2675.*
41. Decimò aduertendum est, quòd licet Abbatiæ sæculares in Gallia sint sub Regia nominatione; vt notat Peleus, *lib. 1. action. forens. cap. 28.* tamen Abbatiæ regulares sunt extra nominationem Regiam, quando sunt temporales; quales sunt Abbatiæ dependentes à Monte Cassino, sicut Abbacia Sancti Honorati de Lerins, quæ non supponuntur Regiæ nominationi; quia sunt quinquennales. *Rebuff. in Concordat. §. fin. de Reg. ad Prelatur. nominat. in verb.*
42. Præterea Peleus *lib. 1. action. forens. cap. 9.* † in omnibus tamen seruanda est consuetudo: vt dicit idem Peleus, *lib. 1. action. forens. cap. 13.* vbi ostendit, † Abbatisam electam à maiori parte monialium, habentem Regiam nominationem quantumvis posteriorem, præferendam esse electæ à minori parte; quamvis habeat pro se Regiam nominationem tempore anteriorem.
43. Vndecimò notandum est, quòd licet aliquæ in iure reperiantur Canonissæ; tamen illæ non sunt religiosæ, sed omninò sæculares: quia quandoque exeunt, & exire possunt de monasterio, immò & matrimonium contrahere: vnde improprie Moniales, & Canonissæ nuncupantur. *Gloss. in cap. dilecta. in verb. Canonissas. de maiorit. & obedient. & in cap. indemnitatibus. §. supradicta. in verb. prouinciarum. de election. in 6. & vtrouique Doctores.*
44. Possunt tamen istæ Canonissæ habere collationem beneficiorum, & officiorum insimul cum Abbatisa. *Burat. decis. 821. num. 6.* † Sed præbendæ ipsarum non sunt beneficia, neque beneficiorum appellatione continentur; cum sint merè temporales, & nihil habeant spiritualitatis: adeo vt super talibus præbendis non possit committi simonia. *Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 19. num. 15. post Verall. decis. 356. num. 6. part. 2.* Addent. ad *Burat. decis. 817. num. 9.* † Et istæ Canonissæ pro tempore quo permanent in monasterio, tenentur recognoscere Abbatisam vti Superiorem, illique obedientiam præstare; & videntur quodammodo Oblatæ. Addit. ad *Burat. decis. 840. num. 5. & 6.*

§. 10.

De Prioratibus simplicibus, conuentualibus, semiconuentualibus, & claustralibus.

1. Beneficiorum regularium diuisio in simplicia, & duplicia.
2. Beneficia regularia duplicia que dicantur.
3. Prioratus alij sunt conuentuales, alij claustrales; & qui dicantur conuentuales.
4. Priores conuentuales habent curam & administrationem conuentus; tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia.
5. Priores conuentuales sunt constituti in dignitate Ecclesiastica; & ideo sunt capaces delegationis Apostolica.
6. Prioratus Conuentuales nõ sunt collatiui, sed electiui.
7. Prioratus simplex est qui nullam habet administrationem: & num. 1.
8. Priores claustrales possunt etiam quandoque per electionem assumi.
9. Priores claustrales habent supra se Abbatem in eodem monasterio degentem.
10. Vnde processerit origo Prioratuum ab Abbacia dependentium.
11. Prioratus qui sint semiconuentuales, & qua de causa sic nuncupentur.
12. Prioratus obedientiarij quare sic nuncupati.
13. Prioratus amouibiles sunt, quando Monachi ab Abbate alicui ruri seu grangia Monasterij præficiuntur; & isti vocem habent in electionibus Monasterij: quia sunt veri Monachi.
14. Prioratus claustrales sunt ad libitum reuocabiles, malitiâ Abbatis cessante.
15. Priores conuentuales non possunt ad nutum Abbatis reuocari: quia non Abbas solus, sed conuentus illorum habet electionem.
16. Prioratus saculares qui sint, & quare sic nuncupentur.
17. In prioratibus verè electiuis, qui post se confirmationem Superioris requirunt, Rex habet nominationem iuxta formam Concordatorij.
18. Rex non nominat nisi in prioratibus in quibus proceditur ad electionem seruata formâ cap. quia propter. de election.
19. In prioratibus claustralibus Ecclesia non dicitur viduata per obitum Prioris: ideo non est necessaria forma dicti cap. quia propter. Vnde Rex illorum non habet nominationem.

Beneficia regulatia quædam sunt simplicia, alia non: simplicia sunt quibus simplex munus & onus monachale impositum est; veluti, Prioratus simplex, Monachus, & Canonicatus regularis: cap. quod Dei timorem. & cap. final. de stat. Monach. Clementin. ne in agro. De statu monachor. Gloss. in Clementin. Dispendiosam. in verb. in beneficiis. de indic.

Duplicia verò beneficia regularia sunt ea, quibus duplex onus impositum est; nempe tam circa personas, quam circa bona Monasterij: cap. quanto. in fin. de offic. Ordinar. cap. cum ad Monasterium. cap. in singulis. de statu Monach. cuiusmodi sunt Abbatiæ de quibus in §. precedenti actum est; & prioratus.

Prioratus in duplici sunt differentia: aliqui enim sunt Conuentuales, alij vero Claustrales. Conuentuales Priores illi dicuntur qui præsentunt monasterijs, & in illis degunt, nullos supra se habentes in illis monasterijs Abbates qui ibi degant; & isti sunt loco Abbatis. *Panorm. in cap. cum illor. n. 13. de sent. excõmunic.*

- unic. probatur in cap. nisi essent. de prebend. & in*
4. *Clementin. ne in agro. de statu Monach. in §. caterū. † Et isti curam habent & administrationem conuentus tam quoad spiritualia, quàm quoad bonorum temporalium administrationem: dicto cap. nisi essent. & dicto §. caterum. Gonzal. gloss. 8. n. 113. † Et isti Priores conuentuales dicuntur in dignitate Ecclesiastica constituti: vnde sunt capaces delegationis causarum sibi à summo Pontifice faciendæ, secundùm formam cap. statutum. de rescript. in 6. vt probatur in Clementin. 2. & ibi Glof. in verb. conuentualem. circa fin. de rescript.*
6. Et huiusmodi Prioratus Conuentuales non sunt collatiui, sed electiui; ex dicta Clementin. 2. de rescript. Burat. decis. 492. num. 3. vbi fuit decisum quòd prioratus Sancti Donati non potest esse conuentualis: quia est collatiuus, & non electiuus; cùm soleat conferri per Illustrissimum Episcopum Carpentoractensem ad præsentationem Prioris Beatæ Mariæ de Greso in diœcesi Carpentoractensi: quod probatur per text. in dicta Clementin. 2. & alia iura ibid. allegata.
7. † Ex quo inferitur *ibidem* quòd ille est prioratus simplex, cùm nullam habeat administrationem.
8. Notandum tamen est non esse necessariam consequentiam, vt Prior conuentualis dicatur ex eo quòd consueuerit per electionem assumi: quia hoc etiam claustralibus Prioribus conuenire potest. Vital. in Clement. 2. num. 11. & 17. de rescript. & de claustrali per electionem assumpto loquitur Abb. in cap. 2. num. 8. in fin. & num. sequent. de statu Monach. & ita concludit Rot. decis. 112. num. 4. part. 4. recentior.
9. Claustrales autem dicuntur illi Priores, qui monasterio quidem præficiuntur, sicut & conuentuales; sed habent supra se Abbatem in eodem Monasterio, cui Abbati suppositi sunt; & solum habent iurisdictionem circa ea quæ ad claustrum & regulam Monachorum spectant: de quibus agitur in dicto cap. cum ad monasterium. versic. Prior. de statu Monach. Gonzal. ad regal. 8. dicta gloss. 8. num. 114. & 115. Rot. dicta decis. 112. num. 3. & decis. 329. num. 1. in fin. & num. 6. part. 4. recentior. Tamburin. de iure Abbat. tom. 3. disput. 9. quest. 3. num. 16. & sequent.
10. Horum prioratum origo ex eo processit, quòd cùm olim Monasteria, rura, seu grangias haberent à Monasterio ipso remotas, ad dictas grangias aliqui mittebantur Monachi vt fructuum curam haberent ad vtilitatem Monasterij. Quibus in locis, ad hoc vt commodiùs orationi incumbere possent, primùm cœptæ sunt ædificari capellæ, & inde Prior nuncupatus fuit qui illius curam habebat: † hinc Priores simplices orti sunt, qui semper ab aliqua domo regulari dependent; quorum Priores aliqui focios non habent, alij vnum, alij duo, qui semiconuentuales nuncupantur; & hæc iuxta numerum Monachorum ibi residentium: vt explicat Loyseau in tract. des Offices lib. 5. cap. 6. num. 16.
12. Prioratus obedientiarij illi sunt, qui quamuis conuentuales sint; tamen ab Abbatibus præponuntur, & ad nutum institui vel destitui possunt: dicto cap. cum ad monasterium. §. tales. de statu Monach. † Et huius generis sunt etiam illi, qui alicui ruri seu grangia tanquam simplices Monachi & ad nutum amouibiles præponuntur: & hi sunt veri monachi, & electionibus ac capitulis possunt interuenire. Abb. consil. 25. Quoniam. versic. & ex iis. lib. 2.
14. Priores claustrales sunt etiam ad nutum reuocabiles cessante malitiâ sed non ita de conuentualibus dicendum est: † Quia cùm eligantur à conuentu, non possunt sine eo destitui. Lotter. de re beneficiar. lib. 1. quest. 23. num. 11. & 16.

Sed & sæculares dicuntur Prioratus, quando quis vel sæcularibus vel sæcularizatis Ecclesiis præficitur; vel ad regendas certas Ecclesias regulares assumitur, quibus plebes aliquæ subiectæ sunt: per text. in cap. 1. de capell. monach.

An autem, & quando prioratus Regiæ nominationi subsint; explicatur in Concordat. in tit. de Reg. ad prelat. nominat. faciend. vbi dicitur quòd monasteriis, vel prioratibus conuentualibus verè electiuus, in quibus proceditur per electionem, & post eam expectant confirmationem Superioris, conuentus non possit procedere ad electionem seu postulationem Abbatis seu Prioris; sed Rex idoneum religiosum nominet &c. † Vnde Rex non nominat nisi in prioratibus conuentualibus in quibus proceditur ad electionem seruata formâ cap. quia propter. de elect. non autem in prioratibus claustralibus, in quibus non fit prouisio seruata formâ electionis in dicto cap. quia propter. † Et per eorum vacationem Ecclesia non dicitur viduata pastore; cùm semper adsit Superior, vel Abbas, qui verus est illius Ecclesiæ Pastor & Prælat. Hanc tamen Regiam nominationem cessare in Monasteriis reformatorum alibi ostendimus.

§. 11.

De dignitatibus Ecclesiarum sæcularium Collegiatarum.

1. Prælati Ecclesiarum Collegiatarum non habent vocem in Capitulo, nisi sint Canonici.
2. Prælati Collegiatarum competere potest ius danda vocis in Capitulo, etiamsi non sint Canonici; ex consuetudine, vel statuto.
3. Canonicus præsumitur qui vocem habet in Capitulo.
4. Præpositura de iure communi dignitas non est.
5. Dignitatem Ecclesiasticam non habet quis, nisi ratione Collegij, vel alterius prerogatiue dignitatem tribuentis.
6. Prioratus rurales dicuntur qui sunt sine Collegio, & cura.
Prioratus rurales non sunt dignitates. ibid.
7. Præpositura dignitas est quando iurisdictionem habet, vel inter dignitates ex communi reputatione numeratur.
8. Ex quibus colligi possit Præposituram esse primam dignitatem post Pontificalem.
9. Præpositus Ecclesiæ Auenionensis obtinet primam dignitatem post Pontificalem.
10. Ex quibus probetur alicui competere præeminentiam inter dignitates alicuius Ecclesiæ.
11. Archidiaconatus de iure prima dignitas est post Pontificalem.
12. Quanam sit prima dignitas arguitur ex hominum estimatione communi, & ex consuetudine prouincia, vel Ecclesiæ.
13. Vtilitas questionis que sit prima dignitas consistit in reservatione dictæ primæ dignitatis post Pontificalem.
14. Archidiaconatus Auenionensis non est reseruatus vti prima dignitas.
15. Archidiaconus debet esse doctor in Theologia, vel Licentiat. saltem in iure Canonico.
16. Limita vt procedat in Archidiaconis habentibus curam vel iurisdictionem.
17. Hodie pauci sunt Archidiaconi in quibus Doctoratus exigatur.
18. Etas 25. annorum requiritur ad obtinendum Archidia

chidiaconatum, quando illi competit cura, vel iurisdictione; aliàs sufficiunt 22. anni.

19. Ordo requisitus ad obrinendum Archidiaconatum est Diaconatus.
20. Decanatus non est dignitas nisi habeat iurisdictionem, aut publicè pro dignitate habeatur.
21. Decanatus dignitas est in Ecclesiis in quibus nullus est Archipræsbyter, nec Archidiaconus.
22. Primicerius unde dicatur, & quare sic nominetur.
23. Præcentor seu Primicerius utrum habeat dignitatem, vel personatum.
24. Thesaurarius de iure communi potius habet officium, quàm dignitatem.
25. De consuetudine plurium Ecclesiarum Thesaurarius habet dignitatem.
26. Pœnitentiarius debet esse Doctör & ætatis 40. annorum. Limitatur num. 27.
28. Pœnitentiarius dum confessiones audit, habetur pro præsentem in choro.
29. Pœnitentiaria, postquam illa fuit semel erecta, spectat ad sedem Apostolicam si vacauerit in mense Apostolico, aut alias reseruat.
30. Papa prouidet de Pœnitentiaria illos qui non sunt Doctores, vel minores sunt quadraginta annis, si ex attestacionibus ipsi constuerit illos esse idoneos.
31. Pœnitentiarius non indiget noua licentia Ordinarij ad audiendas confessiones; sed statim dum institutus est, illas audire potest.
32. Pœnitentiaria an sit dignitas, vel personatus.
33. Ex quibus probetur aliquem obrinere personatum, vel dignitatem.

1. **P**rimo loco notandum est Prælatos inferiores Ecclesiarum Collegiatarum aliàsue similes dignitates, nisi simul Canonici sint, non habere vocem in Capitulo, quæ solùm competit ratione Canonicatus. Geminian. & Franc. in cap. fin. num. 5. de præbend. in
2. 6. † Quod limitatur *ibidem*, nisi ad sit statutum vel consuetudo in contrarium, quibus illis tribuatur ius vocis in Capitulo dandæ. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 45.
3. in princip. num. 56. † Vnde Rot. apud Seraphin. decis. 474. infert Archipræsbyterum esse Canonicum in casu illo: quia constabat illum habere vocem in Capitulo, quæ non cõperit regulariter sine canonicatu.
4. Secundò deueniendo ad singulas species, Dico, quòd Præpositura ex se dignitas non est, nisi sit prima in Ecclesia Cathedrali, Collegiata, vel conuentionali. Federic. de Sen. consil. 132. num. 1. & 2. † vbi dicitur Decanos, Archipræsbyteros & similes non habere dignitatem, nisi habeant illam ratione Clericorum, Collegiorum, vel Capellarum, vel alterius prærogatiuæ hanc dignitatem tribuentis. † Vnde infert ad Prioratus rurales qui sunt sine Collegio & cura, nec habent aliquod exercitium iurisdictionis, vt non veniant sub nomine dignitatum Ecclesiasticarum. Aretin. consil. 23. num. 7. eiusdem est sententiæ † dicens, quòd si Præpositura, de consuetudine habet iurisdictionem, vel de consuetudine solet vt dignitas reputari; tunc fatendum est illam esse dignitatem: sed tamen quòd apta est vt sit, vel non sit dignitas, secundùm quòd habet, vel non habet qualitates prædictas; cum in iure aliquando vocetur dignitas, etiam si non habeat administrationem; & quandoque officium: vt in cap. Dudum. 1. de election. Aliquando simpliciter Præpositura, absque alia adiectione: vt
8. in cap. cum olim. de re iudic. † An autem Præpositura, quando est dignitas, sit maior post Pontificalem; dependet ex consuetudine Ecclesiæ & aliis de quibus *ibidem* Aretin.

In Ecclesia nostra Metropolitana Auenionensi, 9. Dominus Præpositus non solùm inter dignitates numeratur; verùm etiam sine vlla controuersia prima est post Pontificalem: † sed si occurreret casus in quo dubitaretur de præminencia Præpositi super Archidiaconos, & alias dignitates; semper attendenda esset consuetudo Ecclesiæ, & alia de quibus per Rotam in nouis, decis. 4. de elect. vbi fuit. Et præmissa omnia confirmantur per Rotam decis. 365. n. 5. pari. 4. recet.

Secundo loco occurrit Archidiaconatus, qui secundùm iuris cõmunis regulas prima dignitas est in Ecclesiis Cathedralibus: text. est in cap. 1. ibi post Episcopum. de Offic. Archidiacon. Vnde præcedit Archipræsbyterum, Præcentorem, & alios in voce, loco, & administratione. Tusch. lit. A. conclus. 482. num. 6. † Sed in hoc consuetudo cuiuslibet Ecclesiæ est attendenda: vt mox dictum est, & tradit Boer. decis. 286. num. 8. Ludouic. decis. 482. num. 3. qui dicunt attendendam esse communem hominum existimationem, vt sciatur quænam sit prima dignitas post Pontificalem. Sed quòd attendenda sit cuiuslibet Ecclesiæ consuetudo, tradunt Addent. ad Burat. decis. 473. in fin. & Mantie. decis. 175. n. 3. vbi dicit in hoc attendendâ esse consuetudinem prouinciæ, vel Ecclesiæ de qua agitur. † Multùm autem interest scire quænam sit prima dignitas post Pontificalem, propter reseruatione de qua supra hoc libro, cap. 3. §. 3. num. 7. † Et quoad Archidiaconatum Auenionensem nunquam fuit prætentum, quòd esset prima dignitas: quia si hoc fuisset, non fuisset disputatum de illius reseruatione ex capite familiaritatis Cardinalis; provt fuit aliàs disputatum apud Burat. decis. 117. & 228. 255.

Archidiaconus debet esse Doctör ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. videlicet in Theologia, seu Doctör aut Licentiatus in iure Canonico. Ricc. collect. 2661. † Sed hoc debet intelligi de illis Archidiaconis qui vel curam animarum, vel iurisdictionem habent. Barbof. de canonic. & dignitat. cap. 5. n. 5. † vbi dicit talem qualitatem hodie vix requiri, cum pauci reperiantur Archidiaconi qui curam animarum, vel iurisdictionem habeant. † Similiter si Archidiaconato annexa sit animarum cura, requiritur ad illum obtinendum ætas viginti quinque annorum; sin minus sufficiunt viginti duo completi. Idem Barbof. ad dictum Concil. Tridentin. loc. cit. num. 7.

Quoad ordinem requisitum ad obtinendum Archidiaconatum, adeundus est Rebuff. in praxi. tit. Requisita ad collat. bon. num. 30. vbi dicit requiri in Archidiacono ordinem Diaconatus, per text. in cap. 1. de etat. & ordine præficiend.

Tertio loco occurrit Decanatus, qui similiter non est nomen dignitatis, nisi habeat iurisdictionem; aut nisi pro dignitate habeatur in Ecclesia. Tusch. lit. D. conclus. 41. num. 22. Pacian. de probat. lib. 2. cap. 27. num. 76. vbi sic contrarias Rotæ decisiones ad concordiam reducit. † Immodò Decanatum esse dignitatem in Ecclesia, in qua nullus est Archipræsbyter, neque Archidiaconus; & ideo habere præminenciam & assistentiam iuris communis, decidit Rot. decis. 533. num. 4. 5. & 6. part. 2. recentior. atque ita apud nos obseruatur: veluti in Ecclesia Collegiata sancti Agricoli, in qua Decanus primam obtinet dignitatem.

Quartò Primicerius, sic nuncupatus quia primus est in Choro, & in cantu: can. perlectus. versic. ad Primicerium. 25. distinction. qui aliàs Præcentor, seu caput Chori nuncupatur: vt patet in cap. cum olim. 6. de consuetud. vbi Innocent. 3. in Ecclesia Londinensi, de Londres, mandat institui Præcentorem qui in sessionibus, processionibus & aliis illam habere

- in Ecclesia dignitatem, quam habent alij Præcentores in alijs Ecclesijs Anglicanis: † sed iste regulariter officium potius habere dicitur, quàm dignitatem; nisi communi opinione pro dignitate haberi solitus sit. *Alexan. cons. 77. In causa, num. 5. versic. & ad istud ostendendum. vol. 2. Pacian. de probat. lib. 2. cap. 27. numer. 47.* Habet tamen personatum ex infra dicendis
24. Quinò, Thesaurarius, licèt de iure communi dicatur potius habere officium, quàm dignitatem; *Rebuff. in prax. part. 1. tit. seculare benefic. quotuplex. num. 9.* † tamen de consuetudine, & ex statutis plurium Ecclesiarum Cathedralium, Thesaurarius inter dignitates Ecclesiæ numeratur: vt testatur *Barbos. in pluribus locis, & nominatim in tract. de Canonic. cap. 4. num. 34. & 35. Burat. decis. 473. num. 5.*
- Sextò, de præbenda Præceptoriali, & Theologi superius actum est: de qua etiam aliquid *Barbos. de iur. Eccles. uniuers. lib. 1. cap. 29.* sicuti & de Prioribus superius egimus.
26. Septimò occurrit Pœnitentiarius, de quo in Concilio Tridentino, *sess. 24. de reformat. cap. 8. versic. Pœnitentiarius.* qui omninò debet esse Doctor in Theologia, vel in iure Canonico; & debet esse ætatis quadraginta annorum; seu aliàs, quando aptior pro loci qualitate non reperitur: † & ideo ista qualitas ætatis dependet ab arbitrio Episcopi, qui videre debet utrum prouisus de pœnitentiaria sit talis, quo nullus aptior pro loci qualitate reperitur; vt notat inter ceteros *Campanil. in diuers. iur. Canonic. rubr. 7. cap. 6. num. 27.* † Qui Pœnitentiarius dum confessiones in Ecclesia audit, interim præsens in Choro censetur; neque potest recusare confessiones audire, vt *ibi per Campanil.*
29. Quod autem dictum est de electione personæ Pœnitentiarij per Episcopum faciendæ, non procedit quando Pœnitentiaria semel fuit erecta: quia tunc si vacauerit in mense Apostolico, aut adsit alia reseruatio, conferri debet per summum Pontificem, seu sedem Apostolicam: vt notat *Gonzal. gloss. 9. §. 2. num. 84. Ceual. comm. quest. 897. num. 488.* † Et ideo nonnunquam summus Pontifex etiam de Pœnitentiaria prouidet in fauorem non habentium dictam ætatem, si alioquin ad id munus idonei sint. Similiter prouidet etiam summus Pontifex de Pœnitentiaria illum qui non est Doctor nec licentiatus, quando ex attestacionibus Ordinarij, Capituli, & Academiæ constat illum esse doctum & habilem ad illud munus exercendum. *Barbos. in decis. Apostol. collect. 581. num. 23.*
31. Pœnitentiarius autem statim vbi institutus est, potestatem habet audiendi confessiones omnium pœnitentium totius diocesis, & iurisdictionem ad absoluendum à peccatis, & est veluti Parochus totius diocesis; neque tenetur obtinere nouam licentiam ab Episcopo, seu Archiepiscopo. *Vgolin. de Episcop. part. 2. cap. 33. num. 3.* vbi dicit concedendam esse Pœnitentiario facultatem absoluendi à casibus reseruatatis, quod tamen facere non posset ex sola sui officij authoritate.
32. An autem Pœnitentiaria sit dignitas, vel officium; non est disputandum: cum sit simplex officium; nisi tamen statuto vel consuetudine aliud introductum esset: quia generaliter omne onus, vel cura spiritalis officium in Ecclesia nuncupatur. *Pacian. de probat. dicto lib. 2. cap. 27. num. 37.* Si tamen officio sit annexa dignitas, tunc officium dicitur habere dignitatem, *l. honor. in princip. ff. de munerib. & honorib. DD. in cap. 1. de consuetud. in 6.* † Sed tamen Pœnitentiaria non est simplex officium, immò potius

Personatus, quando habet locum honorabiliorem in Capitulo, & processionibus; quæ sola præmiencia non constituit aliquem in dignitate. *Barbos. de Canonic. cap. 4. num. 19.* Non habebitur itaque Pœnitentiarius pro dignitate, sed quandoque inter Personatus censetur, quandoque verò, nempe si nullam in Choro, Capitulo, & processionibus prærogatiuam habeat, erit simplex officium; & præcedet alios secundum ordinem suæ receptionis dumtaxat; si tamen communi existimatione pro dignitate habeatur, inter dignitates censetur, ex supradictis.

§. 12.

De Canonicis, & Hebdomadariis.

1. In Canonicis Ecclesiæ Collegiatae, sufficit ætas annorum quatuordecim.
2. Nec requiruntur 14. anni completi, sed sufficiunt inchoati.
3. In Cathedrali Ecclesiæ Canonicis, requiritur ætas 22. annorum; sufficit tamen illos attigisse.
4. In dignitatibus Ecclesiarum Collegiatarum eadem ætas requiritur quæ in canonicis Cathedralium.
5. Sed hæc est differentia, quòd in dignitatibus Cathedralium ætas 22. annorum debet esse completa.
6. In dignitate maiori post Pontificalem requiritur ætas 25. annorum.
7. Canonicatus non sunt contenti ætate 22. annorum, quando curam animarum principaliter annexam habent; secus si accessorie.
8. Si canonicatus certum ordinem annexum habeat, ætas ad ordinem illum requisita requiritur etiam ad obtinendum canonicatum.
9. Quæ ætas requiratur ad canonicatum cui Sacerdotalis ordo, Diaconalis, vel Subdiaconalis annexus est.
10. Quando sacerdotij qualitas requiritur ex dispositione legis, sufficit quòd tempore collationis sit habitus sacerdos, idest capax sacerdotij; & in tali ætate, vt intra annum promoueri possit.
11. Quando qualitas sacerdotij exigitur ex dispositione hominis, inspicienda sunt verba fundacionis, & ibi hoc explicatur.
12. In Gallia tempus, quod datur vnius anni ad assumendum sacerdotium, non numeratur nisi à die adeptæ pacificæ possessionis.
13. Si canonicatus habeat annexum præbyteratus ordinem, ista qualitas omnino in impetratione exprimenda est; aliàs gratia est nulla.
14. Canonicatus est beneficium, simplex, & ad eius assecutionem sufficit prima tonsura, nisi aliter statuto caueatur.
15. Canonicatus est beneficium requirens residentiam.
16. Sacerdotalis ordo varijs modis canonicatu annexus esse potest: & quis sit triplicis annexionis effectus.
17. Potest fieri vt Canonicus priuetur fructibus donec ad Ordines fuerit promotus, sed non ideo canonicatu priuandus sit.
18. Quenam literatura requiratur ad obtinendos canonicatus.
19. Hebdomadarij non sunt verè Canonici, nec possunt habere insignia canonicatus sine authoritate Apostolica, nec excusantur associando Episcopum.

20. *Canonicis Ecclesia Metropolitana Auenionensis celebrantibus tenentur hebdomadary assistentiam facere.*
21. *Chorista, seu Chorarij non sunt de Capitulo, nec faciunt Collegium.*
22. *Hebdomadary non possunt in suis prouisionibus obtinere quod recipiantur in fratrem.*
23. *Nomen receptionis in fratrem est quidem ventosum in Canonicis supernumerariis, sed non in receptis intra numerum.*
24. *Clausula cum plenitudine iuris canonicalis quid operetur.*
25. *Vtrum derogatio generalis statutorum Capituli qua in prouisionibus solet apponi, comprehendat caput illorum qui redduntur per statutum inhabiles ad dandam vocem in Capitulo.*
26. *Canonicus qui in suis prouisionibus habet clausulas derogantes statutis Capituli, si aliquem statuti articulum iurauerit, non censetur admissus iuxta formam suarum prouisionum, quibus quoad hanc censetur renunciaisse; sed iuxta formam illius statuti quod iurauit.*
27. *Iuramentum prestitum per Canonicum super statutis Capituli, censetur prestitum saluo honore litterarum.*
28. *Intellige nisi tempore prestiti iuramenti lecta fuerint, aut specificata certa statuta, seu statuti capituli tunc enim iurans videtur renunciaisse gratia, & tenetur ad obseruantiam illius statuti.*
29. *Canonici hebdomadary non sunt simpliciter Canonici, sed secundum quid; quando non habent vocem in Capitulo.*

DE Canonicis & canonicatibus superfluum esset multa in medium adducere; cum de iis integrum & vtilissimum tractatum fecerit omnibus Iurisconsultis commendatissimus Augustin. Barbof. Doctor Lusitanus, de quibus etiam multa dixerit Alois. Ricc. *collect.* 2444. Pauca tamen magisque necessaria exponere non erit inutile.

1. In primis ergo notandum est, quod ad canonicatus Ecclesie Collegiate sufficit ætas quatuordecim annorum inceptorum, quamuis ageretur de Ecclesia Collegiata insigni; Nicol. Garf. *de benefic. part. 7. cap. 4. num. 39.* quia super istis canonicatibus Concilium Tridentinum nihil innouauit: vt testatur Barbof. *in decis. Apostol. collect.* 15. numer. 10. vbi alios
2. plures allegat: † & sufficit ætas quatuordecim annorum inceptorum; nec requiritur quod sint completi. Idem *dict.* *collectan.* 15. num. 6, & *de Episcop. part. 3. allegat.* 60. num. 76. Ricc. *collect.* 860. Gratian. *discept.* 397. num. 17..
3. In Ecclesie Cathedralis Canonicatibus, quamuis in ea non fuisset facta distributio sacrorum ordinum, requiritur ætas 22. annorum; non tamen exigitur quod sint completi sed sufficit illos attingisse: cum satis sit quod intra tempus à iure definitum, hoc est intra annum, ad sacrum Subdiaconatus ordinem promoueri possit. Idem *loco cit.* numer. 11. & *in tract. de Canonic. cap. 13. num. 10.*
4. In dignitatibus Ecclesiarum Collegiatarum eadem requiritur ætas, quæ in Canonicatibus Cathedralium, ex declaratione sacre Congregat. Interpret. Concil. Tridentin. referente Nicol. Garf. *de benefic. dicta part. 7. cap. 4. numer. 59.* Barbof. *dict. collect.* 15. num. 12. Excepta prima dignitate Collegiatarum, quæ cum regulariter habeat curam iurisdictionalem exigit 25. annos inceptos. Gars. *part. 7. cap. 4. n. 65.*

Sed tamen in dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium ætas 22. annorum debet esse completa. Garf. *dicta part. 7. cap. 4. num. 70.* Hyeron. Roder. *quæst. regul. resol.* 23. num. 3. Dixi *lib. 1. cap. 99. num. 2.*

In dignitate maiori post Pontificalem requiritur 6. ætas 25. annorum: quia semper habet curam animarum saltem iurisdictionalem. Dixi *cap. 99. numer. 1. lib. 1.*

Supradicta intellige, nisi tales canonicatus qui minorem 25. annorum ætatem exigunt, habeant curam animarum annexam; tunc enim duo casus distinguendi sunt: nam si annexam habeant accessorie, nihil quoad ætatem immutandum est: sed si annexio curæ facta sit æquè principaliter; tunc requiritur annus vigesimus quintus inceptus, vt intra annum ad sacrum Præbyteratus ordinem prouisus promoueri queat. Barbof. *dict. collect.* 15. num. 17. & *de potest. Paroch. cap. 2. num. 7.*

Secundò supradicta limitantur, vt locum non habeant in illis canonicatibus quibus sacer ordo annexus est. Quia prouisus debet illum ordinem habere aut saltem in ea ætate esse, vt intra annum ad talem ordinem promoueri possit. Ric. *in prax. aur. cap. 238.*

Ideo si canonicatus sit annexus ordo sacerdotalis, requiruntur viginti quinque anni incepti: si Subdiaconatus, oportet habere annos 21. completos, & ingressum esse annum 22. si Diaconatus, debet compleuisse 22. annos, & attingisse vigesimum tertium. Garf. *dicta part. 7. cap. 4. num. 22.*

Dum autem diximus sufficere annum vigesimum quintum esse inceptum, quando canonicatus sacer ordo annexus est non ita simpliciter intelligendum est, sed cum hac distinctione: Aut enim sacerdotij qualitas exigitur ex legis dispositione, aut ex dispositione hominis: si ex dispositione legis, sufficit quod Canonicus si sacerdos aptitudine, hoc est, vt sit in tali ætate vt intra annum ad sacerdotium promoueri possit: *cap. 2. de Institut. in 6. cap. si pro clericis. de præbend. cod. lib.*

Sed si ex dispositione hominis; videndum est vtrum qualitas sacerdotij relata fuerit ad verbum deputationis, seu præsentationis veluti si dictum fuerit quod instituat sacerdos; an non fuerit ad illud verbum relata: si relata fuerit ad verbum institutionis seu collationis canonicatus, requiritur sacerdotium actuale tempore illo, nec sufficit quod promoueat intra annum: si verò non fuerit qualitas illa relata ad illud verbum, sufficit sacerdotium habituale, dummodò assumatur intra annum, nec debet adesse tempore prouisionis, seu collationis. Rot. *decis.* 496. num. 4. & 5. *part. 1. recent.* & diximus *sup. lib. 1. cap. 118.*

Et prædicta distinctio seruatur etiam in Gallia, sed tempus numeratur à die adeptæ pacificæ possessionis. Louët & ibi Addent. *litt. B. num. 4.*

Et in hoc casu notandum est diligenter quod si canonicatus habeat annexum sacrum Præbyteratus ordinem, ista qualitas in impetratione omninò est exprimenda; alias gratia est nulla. Felin. *in cap. in nostra. 32. in 25. corollar. de Rescript.* Mat. Antonin. *lib. 1. resol. 4. num. 4.*

Non censetur autem in dubio canonicatus sacerdotalis, nec vllum de iure habet sacrum ordinem annexum, nisi statuto Ecclesie vel consuetudine aliter introductum sit. Rot. *decis.* 421. *part. 1. recent.* sed canonicatus est beneficium simplex, & solam primam tonsuram requirit, cessante consuetudine in contrarium. Gratian. *discept. cap. 591. numer. 3. & sequentib.* † Requirit nihilominus residentiam Canonici tam ex dispositione Concilij Tridentini *sess. 24. cap.*

- cap. 12. §. *præterea*. quàm ex Bulla Pij V. quæ incipit *Cupientes*. quæ est 60. inter eius constitutiones. Mald: *conf.* 48. num. 2.
16. Præterea dum agitur de qualitate sacerdotij in Canonico certis casibus requisita, alia quoque consideratio adhiberi debet: nam tribus modis sacerdotalis ordo Canonicali annexus dici potest. Primo quia per statutum, aut primam institutionem seu foundationem, aut priuilegium seu consuetudinem non potest conferri nisi actualiter sacerdotium habenti. Secundo, quando obtinens canonicatum tenetur actu fieri sacerdos, nec requiritur quod sit talis tempore prouisionis; sed si postea intra annum non promouetur ad sacerdotium, priuatur canonicatu; & de duobus istis primis modis supra est actum *numeris precedentibus*. Tertio, quando tenetur quidem fieri sacerdos ex eo quod si non fiat non priuatur quidem canonicatu, sed dumtaxat fructibus illius.
17. In tertio modo non oportet quod sit in illa ætate, vt possit intra annum promoueri; sed antequam ad sacerdotium peruenerit, priuatur fructibus canonicatus; non autem ipso canonicatu: ita distinguunt DD. & nominatim Geminian. *in cap. ei cui*. num. 12. *de Præbend.* in 6.
18. Denique ommissis multis aliis quæ hîc dici possent aduertendum est, quoad literaturam magnam esse differentiam inter beneficia simplicia, & simplices canonicatus, & canonicatus Ecclesiarum Cathedralium: nam licet in canonicatibus Collegiatarum sola Grammaticalis scientia sufficiat; tamen in Cathedralibus vltior exigitur, maiorque capacitas; cum isti Canonici Cathedralis Ecclesiæ Episcopum consilio adiuuare debeant. Lotter. *de re benefic. lib. 2. quæst. 50. num. 53.* Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 4. num. 69. & 70.*
19. Deueniendo nunc ad Hebdomadarios, certum est illos non venire appellatione Canonicorum, neque posse habere canonicatus insignia sine autoritate Apostolica, nec excusari dum comitantur Episcopum, aut illi inseruiunt: vt ostendimus *lib. 1. cap. 102. num. 35.* & tradit Ricc. *collect. 2686.* † Vnde cum alias Hebdomadarij recusarent facere assistentiam Canonicis Ecclesiæ Metropolitanae præsentis ciuitatis Auenionensis celebrantibus, sacra Rituum Congregatio ipsos ad id teneti declarauit iuxta statutum prædictæ Ecclesiæ: vt patet ex declaratione desuper facta die 24. Martij 1612. quam refert Barbof. *in decis. Apost. decis. 404. n. 5.* † Sicut dicitur de Choristis, qui Collegiũ non faciunt, nec sunt de Capitulo; imò potius illi subiiciuntur. Franc. Marc. *quæst. 207. part. 1. & 669. part. 2.*
20. Et cum alijs quidam Hebdomadarij eiusdem Ecclesiæ Metropolitanae præsentis ciuitatis in suis prouisionibus curauissent apponi clausulam, quod *reciperentur in fratrem, & cum plenitudine iuris Canonici*: Capitulum dictæ Ecclesiæ, pro quo Ego consului, habuit iustam causam se opponendi receptioni illorum sub dicta clausula: nam licet receptio in fratrem videatur continere nomen ventosum, & sine fructu; vt dicit Lotter. *de re benefic. lib. 1. quæst. 19. num. 4.* † tamen illud verum est quando agitur de Ecclesia non numerata, aut de Canonico recepto vltra numerum; non autem quando Canonicus recipitur intra numerum, vt habeat vocem in Capitulo, & locum in Choro, vnà cum præbenda canonicali: prout distinguit Lotter. *loco citato.*
21. Sed maioris est considerationis alia clausula *cum plenitudine iuris canonicalis*, de qua idem Lotter. *dist. quæst. 20. num. 48.* Gratian. *discept. forens. cap. 867.*
- numer. 6. & sequent. & sine dubio per talem clausulam fieret præiudicium Capitulo propter derogationes quæ apponi solent in fine prouisionum, dum derogatur omnibus statutis Capituli, & nominatim statuto inhabilitanti dictos Hebdomadarios ad vocem Capitularem: cui rationi licet responderi possit, tum ex iis quæ postea subiungit *ibidem* Gratianus; tum ex alijs quæ breuitatis causa omittuntur: tamen cautius esse iudicauimus, ad tollendam omnem dubitationem quæ in futurum oriri posset, si Capitulum in tempore occurreret ad impediendum præiudicium, quod sibi ex tali clausula inferri posset. † Disputant enim DD. vtrum derogatio generalis facta statutis comprehendat caput illorum qui redduntur inhabiles ad vocem in Capitulo: & quidem Felin. *in cap. constitutus. de Rescript. numer. 25.* in eam videtur inclinare sententiam, vt statutum illud in generali derogatione minimè comprehendatur: qua de re agit etiam Abb. *in cap. cum M. n. 32. de constitut. Barbof. de Canonic. cap. 3. num. 14.* Menoch. *conf. 1179. n. 22. & 23.* vbi dicit dictam clausulam *cum plenitudine iuris canonicalis* comprehendere solere honores, præminentias, & prærogatiuas quæ cæteris Canonicis competunt.
- Verum quidem esse diximus, quod si Hebdomadarius in sua receptione promississet cum iuramento obseruare statutum illud particulare, per quod ipse redditur inhabilis ad vocem in Capitulo, & ad iura ac præminentias Canonicales; tunc non censeretur receptus iuxta tenorem litterarum, immò illis quoad hoc renunciare censeretur: vt determinat Gratian. *discept. forens. cap. 482. num. 18. & 19.* vbi deciditur, † quod licet iuramentum Canonici in sua receptione præstitum debeat intelligi saluo honore litterarum, propter quas recipitur; vnde si in eis continetur quod non teneatur ordinari, non tenebitur etiam si statuta per eum iurata aliud velint: quia tam ipse prouisus, quàm recipientes ipsum intelliguntur se limitasse secundum litteras ex Felin. *in cap. cum venerabilis. 6. column. 8. post med. num. 24. de Exception.* † Tamen si tempore quo iurauit fuerint lecta, aut specificata talia statuta; stante ipsa specificatione videtur iurans renunciaisse gratiæ, & eà non obstante tenetur ad præcisam obseruantiam statuti, quoad illum articulum.
- Multò minus opponi potest in prouisionibus Hebdomadarios clausula *vocis in capitulo*; cum ad hoc per statutum Ecclesiæ reddantur inhabiles: & idè quàmuis Canonici nominari soleant, non tamen sunt verè Canonici, neque simpliciter, sed secundum quid: & ideo non habent vocem in Capitulo, quæ non competit nisi illis qui sunt verè Canonici: vt superius diximus, & vltra citatos tradit Seraphin. *decis. 1495. numer. 2.* & sic non possunt nominari Canonici sine adiuncto; sed tantum Canonici Hebdomadarij.

§. 13.

De Rege, & Iure Regaliæ.

1. Iure Regalia Rex Christianissimus, sede Episcopali vacante, deputat Oeconomus, & confert beneficia.
2. Regalia durat, & Oeconomatus, donec Episcopus fidelitatis iuramentum præstiterit personaliter, & litteras obtinuerit pro relaxatione bonorum temporalium Ecclesiæ.
3. Bona Ecclesiæ, sede Episcopali vacante, futuro successoris reservari debent.

4. *Consuetudo non valet quòd temporalia Ecclesia non reseruentur successori in Pralatura.*
5. *Emolumenta sigilli & iurisdictionis reseruanda sunt successori in Episcopatu.*
6. *Oeconomus deputatus, sede Episcopali vacante, spectat ad Capitulum.*
7. *Ius Regalia competens Regi Gallia fundatur in immemoriali consuetudine.*
8. *Qua sit praxis in Gallia dum Rex ad manus suas reducit temporalitatem Ecclesiarum.*
9. *Collatio beneficiorum potest pertinere ad Regem ex immemoriali consuetudine per summum Pontificem tolerata.*
10. *Ius Regalia aperitur tam per mortem, quàm per Episcopi translationem.*
11. *Translatio Episcopi non aperit Regaliam ante consensum ab Episcopo prastitum translationi.*
12. *Regalia aperitur quocumque genere vacationis sedes vacet.*
13. *In Regalia non est locus regula de verisimili notitia.*
14. *Rex conferens iure Regalia derogare solet regnlis Cancellaria.*
15. *Ignorantia obitus Pralati, vel illius cuius beneficium vacat, non annullat prouisionem factam iure Regalia.*
16. *Regalia aperitur per resignationem, & in ea non habet locum regula de infirmis resignantibus.*
17. *Propter rebellionem Pralati, Regalia locus est. Item & propter permutationem Pralature.*
18. *Regalia aperitur per promotionem ad Cardinalatum à die declarationis, seu publicationis factæ per Papam.*
19. *Rex prouidens iure Regaliorum derogat iuripatronatus Ecclesiastico.*
20. *Rex iure Regalia admittit resignationes in fauorem, vel ex causa permutationis.*
21. *Finitur ius Regalia post captam personaliter possessionem, qua capi non potest per procuratorem ad faciendum claudi Regaliam; nisi adsit legitimum impedimentum.*
22. *Diligentia de capiendõ possessionem Pralature, non faciunt cessare ius Regalia; sed debent sortiri effectum aliàs non clauditur Regalia.*
23. *Regalia non clauditur nisi vltra adeptionem possessionis actualis exhibeantur Bulla Pontificia Episcopi successoris.*
24. *Rex conferens iure Regalia, confert pleno iure; & contra eum nulla datur preuentio.*
25. *Prouisus iure Regalia litigat saistus, neque sequestro locus est.*
26. *Non intrat deuolutio post semestre aduersus Regaliam.*
27. *Littera prouisionum factarum iure Regalia; non subiiciuntur apicibus iuris; sed in eis proceditur ex aequitate.*
28. *Si Regalista prouisiones suas in arca retinuerit, vtrum cesset effectus iuris Regalia.*
29. *Rex succedens iure Regalia, seu eius Oeconomus pro temporalium administratione deputatus, tenetur stare locationi factæ per Pralatum defunctum.*
30. *In prouisione prebende Theologalis non est locus Regalia.*
31. *In beneficiis Britannia vtrum locus sit iuri Regalia.*

32. *Item vtrum Regalia locum habeat in beneficiis Prouinciarum Regno Gallia de nouo vntarum. Remissiuè.*
33. *In beneficiis litigiosis non cessat Regalia, & quomodo hoc intelligatur.*
34. *Quomodo differat nominatio Regia, & collatio facta per Regem iure Regalia.*
35. *Ex nominatione Regis ius in re produci iudicatur in Gallia.*
36. *Nominatus à Rege statim administrat in Gallia temporalia beneficij bona; sed nullo modo potest exercere spiritualia, nisi post collationem summi Pontificis, & Bullarum expeditionem: ideò antea non potest proprie dici quòd habeat ius in re.*
37. *Regia nominatio, aut mandata Apostolica non sortiuntur effectum in Gallia in beneficiis vacaturis per resignationem, aut per permutationem non fraudulentam.*
38. *Regia nominationi locus non est in beneficiis amouibilibus, nec in prioratibus ab Ordine Melitenfi dependentibus.*

EX antiqua Regni consuetudine Rex Gallia, vel ^{1.} Oeconomus ab eo deputatus confert beneficia, sede Episcopali vacante, iure Regalia nuncupato; quo Rex beneficia, sede Episcopali, Archiepiscopali similie vacante, beneficia illius Diocesis confert, & pro bonis Ecclesia temporalibus custodem seu Oeconomum deputat: quod fuisse vsurpatum dicit Cuiac. lib. 3. de feud. tit. 1. † Et durat Regalia, nec ^{2.} non Oeconomus pro rebus temporalibus beneficij; donec Episcopus iuramentum fidelitatis personaliter prastiterit, & à Rege litteras obtinuerit pro liberatione bonorum temporalium Episcopatus, illasque in Camera Computorum verificari curauerit: quia statim, sede vacante, dignitates Ecclesia reducuntur ad manus Regis, etiam quoad temporalitatem; † ^{3.} quamuis aliàs bona & fructus Ecclesia debeant futuro successori reseruari; cap. cum vos. de offic. Ordinar. † Non obstantibus statutis, consuetudinibus, ^{4.} aut priuilegiis; tam in Ecclesiis Cathedralibus, ^{5.} quàm in Collegiatis: cap. Quia saepe. de Election. in 6. & cap. statutum. eod. tit. † vbi dicitur quòd etiam ^{5.} emolumentum sigilli & iurisdictionis debet futuro successori reseruari; † quamuis etiam, sede vacante; ^{6.} spectet ad Capitulum apponere custodem seu Oeconomum; cum succedat in iurisdictione. Innocent. in cap. Ut nostrum. Ut Ecclesiast. benefic. & c. & Geminian. in cap. Cupientes. §. ad hac. de elect. in 6. Barbof. de iur. Eccles. vniuers. lib. 1. cap. 32. numer. 27.

Tamen stante antiqua & immemoriali consuetudine; Rex Gallia, sede Episcopali vacante, habet administrationem bonorum Ecclesia, & illa reducit ad manus suas. Franc. Marc. decis. 44. num. 8. part. 2. † & statim habità notitià sedis vacantis, Procurator ^{8.} Regius generalis porrigit supplicem libellum Curia, narrando inconuenientia & pericula quæ possent subsequi sede vacante, propter violentias & intrusiones aliquorum, quæ possent fieri de castris, territoriis, & locis temporalibus, quæ mouentur de feudo & homagio Regis: super quo datur Commissio alicui ex Dominis Curia, qui procedit ad reductionem temporalitatis ad manus Regias; & proceditur iuxta formam & praxim, de qua Franc. Marc. quæst. ^{98.} part. 1. & 560. part. 2.

Et ex eodem iure Rex, sede vacante, confert omnia ^{9.} beneficia sui Regni: quod fieri posse stante longissimi & immemorialis temporis consuetudine per summum

- summum Pontificem non ignorata, testatur Carol. Tap. *decis. Regni Sicil.* 18. numer. 4. Gratian. *discept. forens. capit.* 296. numer. 50. Lotter. *de re benef. lib.* 1. *quest.* 4. numer. 42. Selu. *de benef. lib.* 2. *quest.* 23. *p. r. tot.*
10. Ius autem Regaliæ aperitur ad fauorem prouisi à Rege, non solum per mortem, sed etiam per translationem Episcopi ad alium Episcopatum; non tamen ante præstitum consensum translati: † quia sicut in coniugio spirituali contrahendo requiritur consensus promoti; ita & fortius in dissoluendo: cum illud difficilius dissoluatur, quam contrahatur: *cap. Inter corporalia: & cap. final. de translat. Prælat.* Gratian. *discept. forens. cap.* 296. numer. 51.
11. Et generaliter Regalia aperitur per vacationem Episcopatum, Archiepiscopatum, & similibus Prælaturarum, quocumque vacationis genere illas vacare contigerit. † Et si beneficia vacauerint per obitum, isto casu locus non est regaliæ Cancellariæ de *verisimili notitia.* Charond. *lib.* 1. *respons.* 6. † sicut nec aliis regulis Cancellariæ, quibus Rex derogare solet. dum confert iure Regaliæ. Idem Charond. *aux obseruations du droit francois. in verb. Regale.*
12. *versic. & que le Roy.* † Vnde nec impeditur Regalia quamuis mortem Rex ignorauerit, siue de Prælate per cuius obitum sedes vacat loquamur, siue de eo cuius mors collationi beneficii locum dedit, teste Bley. *in tit. de Annat. de port. & iur. regal. numer.* 42.
13. *in gloss. D. fol.* 133. † Similiter aperitur Regalia per resignationem Prælaturæ, nec impeditur per regulam de *viginti diebus*, seu de *infirmis resignantibus*. Idque siue de Prælati, siue de dependentibus ab ipsis beneficiis agatur. Forget. *in tract. de iur. Regal. numer.*
14. 37. vbi sic iudicatum testatur. † Item & propter delictum Prælati, veluti propter rebellionem. Forget. *numer.* 16. & propter permutationem Episcopatus, seu Prælaturæ. Bley. *dict. numer.* 42. *in gloss. F.* † Item aperitur Regalia per promotionem ad Cardinalatum, à die declarationis factæ per summum Pontificem: prout iudicatum refert Peleus, *lib.* 1. *action. forens.* 22. *in fin.*
15. Item Rex prouidens iure Regaliorum, derogat iripatronatus Ecclesiastico. Louët *litt. R. numer.* 47. & ibi Addent. & *litt. P. numer.* 45. & ibi *Gloss. B.*
16. † vbi quod Rex sic prouidens fungitur vice summi Pontificis, & admittit resignationes in fauorem, vel ex causa permutationis beneficii vacantis in Regalia, etiam reseruata pensione: vt in dicta *Litt. R. numer.* 47.
17. Regaliæ ius finitur per præstationem iuramenti fidelitatis Regi factam per Prælaturam nouam, & captam possessionem per ipsum personaliter, & non per procuratorem, cessante impedimento legitimo:
18. † talisque possessio debet esse realis, & actualis, ita vt nec sufficiant diligentia de capienda possessione; sed continuo duret Regalia vsque ad tempus quo diligentia sortitæ erunt effectum. Forget *loc. cit. numer.*
19. 8. & 9. † Neque per solam adeptionem realis & actualis possessionis, ac iuramenti præstationem clauditur Regalia; sed præterea oportet vt interueniat exhibitio Bullarum Pontificiarum, nec non Litterarum Regiæ in Camera Computorum registratæ, cum præcepto de relaxando nouo prouiso reddito, & iura Prælaturæ. Forget. *loc. cit. numer.* 8. Bley. *loc. cit. numer.* 45. *gloss. L.* Pel. *lib.* 1. *action.* 16.
20. Effectus collationis factæ iure Regaliæ hic est, vt contra Regem nulla detur præuentio; sed Rex con-
21. ferat pleno iure. Peleus *lib.* 1. *action.* 20. † Item prouisus iure Regaliæ litigat saisitus, neque locus est se-
22. questro. Papon. *lib.* 2. *tit.* 3. *arrest.* 4. † & non subii-
23. citur ius istud deuolutioni etiam post semestre, † & 27. literæ collationis validæ sunt licet in eis forma iuris non fuerit seruata; veluti si nomen aut qualitas beneficii, verusque illius valor non fuerit expressus; dummodò de beneficii corpore constet. Pastor. *tract. de benef. lib.* 1. *tit.* 13. *numer.* 3. † Cessat autem 28. effectus collationis iure Regaliæ factæ, si Regalista prouisiones suas in arca retinuerit, illasque saltem intra triennium non produxerit. Quod tamen non indistinctè admittitur: vt tradit Peleus *lib.* 1. *action.* 18.
24. Item Rex succedens iure Regaliæ, seu Oeconomo- 29. mus à Rege deputatus tenetur stare locationi factæ per Prælaturam, nec illius colonos & conductores remouere potest. Tonnet. *in sua recollect. Arrest. benef. lit. B. numer.* 8.
30. Regaliæ locus non est in prouisione præbendæ 30. Theologalis. Louët. *litt. P. numer.* 46. † Vtrum habeat locum in beneficiis Britannia? Pel. *lib.* 1. *action. forens.* 7. † Quid in prouinciis Regno unitis de no- 32. to? disputat Louët, *litt. R. numer.* 58. † In beneficiis 33. autem Litigiosis non cessat Regalia, immò illi locus est, nempe si lis sit adhuc indecisa tempore quo Regalia aperitur; vel si is qui recredientiam beneficii obtinuerat, fuerit per sententiam eiectus tempore Regaliæ apertæ, Regalista admittendus est: vt copiosius explicat Charond. *aux obseruat. du droit. franc. in verb. Regale. versic. La Regale ha lieu.*
34. Quod autem attinet ad Regiam nominationem, 34. hæc longè differt à prouisione quæ fit iure Regaliæ: nam in illa Rex nominat, & Papa prouidet; in iure verò Regaliæ, Rex ipse prouidet. Ex prouisione iure Regaliæ facta oritur ius in re, † ex nominatione 35. verò Regis, dubitari potest vtrum ius ad rem, dumtaxat, an verò ius etiã in re oriatur: in Gallia iudicatur quòd oritur etiam ius in re, † quia nominatus à 36. Rege solet administrare temporalia sui beneficii, statim post nominationem; sed tamen quoad spiritualia non admittitur, neque vllò modo administrare potest nisi priùs confectis Bullis: & sic improprie dicitur habere ius in re: ex notat. per Addent. ad Louët *Litt. O. numer.* 2. *gloss. A.*
37. Dictaque Regis nominatio, sicut & mandata 37. Apostolica effectum sortiri non possunt in Gallia quoad beneficia vacatura per resignationem, aut permutationem; dummodò permutatio facta non sit in fraudem. Louët *Litt. P. numer.* 6. & ibi *Gloss.* † 38. Nec Regiæ nominationi locus est in beneficiis amouibilibus. Peleus, *lib.* 1. *action.* 11. nec in prioratibus ab Ordine Melitensi dependentibus. Idem *lib.* 1. *cap.* 1.

§. 14.

De Rotæ Romanæ Auditoribus, Quoad beneficiorum collationem.

1. *Commissarius à summo Pontifice deputatus ad cognoscendum de aliqua causa beneficii, cum clausula quòd ordinet Ecclesiam de persona idonea: non tamen potest presentatum instituere, vel beneficium conferre.*
2. *Delegatus, non debet in sententia dicere, quòd tali confert beneficium; sed dumtaxat quòd illi beneficium conferri debet.*
3. *In Auditoribus Rotæ Romanæ speciali iure introductum est, vt si alicui ex litigantibus beneficium deberi iudicauerint, illud ipsi conferre possint.*
4. *Clementin. Auditor. de Rescript. loquitur dumtaxat*

taxat de iudiciis in Romana Curia deputatis: & ideo non corrigit textum in cap. super eo. de offic. & potest. Iudic. delegat.

5. Auditor Camera non habet potestatem conferendi beneficia, quam habent Auditores Rotæ Romanæ.
6. Quamvis Papa in litteris speciales deputaverit executores; potest nihilominus Rotæ auditor de beneficio, quod ipse colliganti adiudicandum censuerit, provisiones facere.
7. Ampliatur ut procedat, etiamsi Papa dederit Episcopo commissionem in forma Dignum, ut nihilominus Rotæ Auditor conferre possit.
8. Beneficia vacantia per violationem sequestri sunt Pontifici reservata; & tamen si sequestrum fuerit ordinatum in Rota in secunda instantia, cum beneficium violentis sequestrum vacet, Rota potest illud colliganti conferre.
9. Si beneficium vacauerit in mense reservato ob regulam Mensium non potest Rotæ Auditor illud conferre, & reservatio illum ligat: quia succedit in locum collatoris ordinarij.
10. In praxi servatur quibusdam in locis, quod Iudices à Nuncio delegati solent etiam conferre beneficia illis, quibus melius insuper illis competere indicant.

1. Constitutum est in cap. super eo. 15. de offic. delegat. quod iudex delegatus ad cognoscendum super iure præsentandi, de quo inter duos erat contentio, non potest vnum ex præsentatis instituere; etiamsi in eius commissione adesset clausula, *Quod si constiterit ad alterutram partium præsentationem pertinere, ordinet Ecclesiam de persona idonea*: quia hoc non obstante non potest inconsulto Episcopo instituere præsentatum à Patrono. Quod etiam refert Barbof. in cap. Pastoralis. 19. n. 5. de privileg. Paris. de resignat. lib. 7. quæst. 22. n. 5. † Non potest igitur delegatus instituere, sed debet in sua sententia dicere, & ordinare talem de tali beneficio esse inuestiendum, & instituendum: ut dicit Mantie. decis. 231. numer. 3. Quod copiosè explicat Abb. in dicto cap. super eo. & post ipsum Ioan. de Selu. de benefic. part. 2. quæst. 13. per tot.

3. Sed tamen in Rotæ Romanæ Auditoribus speciali iure statutum est, ut ad evitandos circuitus possint sine alia commissione providere de beneficio, quod alicui fore debitum pronunciant: per text. in Clementin. Auditor. de Rescript. † Vnde cum Clementina loquatur de Auditoribus in Romana Curia deputatis, non corrigitur per eam text. in d. cap. super eo. qui loquitur de Auditoribus extra Romanam curiam deputatis: ut dicit Gloss. in dict. Clement. Auditor. in verb. in Romana Curia. † sed hoc non est extendendum ad Auditorem Cameræ: quia hic in beneficialibus nullam habet iurisdictionem; nisi specialiter illi detur, atque ita servat Signatura, teste Gonzal. ad regul. 8. gloss. 23. num. 14. & 15.
6. Dictaque facultas beneficia conferendi competit Rotæ Romanæ Auditoribus; etiamsi Papa in litteris specialem deputasset executorem: quia cum ad Papam collatio pertineat, nihil interest per quem fiat huiusmodi provisio. Gloss. fin. in eadem Clementin. & facultas executoris à Papa deputati est totaliter translata ad Auditorem, propter litem coram eo pendentem. Et in omnem eventum facultas executori non censeretur data privatiuè, sed cumulatiuè: & sic admittenda esset etiam hoc casu provisio facta per Auditorem. Rot. in Legionens. Canonatus 25.

Octobris, 1574. coram Aldobrand. apud Marchesan. de commiss. lib. 1. fol. 366. num. 30. † Et iuxta prædictam decisionem fuit aliàs iudicatum, quod Auditor conferre potest beneficia super quibus lis pendet in Rota, quamvis gratiæ executio sit directa Ordinario in forma Dignum: ut apud Seraphin. decis. 833. Cæs. de Grass. decis. 14. num. 9. de Præbend.

Vnde quamvis beneficia vacantia per violationem sequestri, lite pendente in curia Romana, sint sedi Apostolicæ reservata; ut diximus hoc cap. 3. §. 3. num. 30. Tamen si sequestri violatio contigerit lite pendente in Rota per appellationem; tunc, ut evitetur circuitus, poterit Auditor in odium violentis sequestrum beneficium conferre colliganti. Barbof. de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 57. numer. 47.

Prædicta autem locum non habent quando beneficium non esset occasione litis sedi Apostolicæ reservatum; sed ob regulam Mensium & Alternatiue, inducta esset reservatio: ut explicat & comprobatur Gonzal. ad regul. 8. gloss. 31. numer. 51. ubi dicit quod vacante quadam Ecclesia parochiali in mense reservato, Ordinarius concursum indixit; & is qui ab eo magis dignus repertus fuit, obtinuit provisiones à sede Apostolica, iuxta formam Concilii Tridentini. sess. 24. cap. 18. Alius autem appellavit ab irrationabili electione Episcopi, & causam suæ appellationis in Rota Romana committi curavit; ubi fuit declaratum Ordinarij electionem fuisse irrationabilem; tandemque concludit, stante reservatione, Rotæ Auditorem non potuisse de illo beneficio providere; sed necessariam esse provisionem Apostolicam: cum Rotæ Auditor succedat in locum Ordinarij, cuius manus ligatæ sunt per reservationem.

Ultimò circa hanc materiam aduertendum est, quod si Riccio credimus, servatur in praxi quod delegati à Nuncio in causis capellaniarum, & beneficiorum iurispatronatus; in causis appellationum solent institutionem & collationem facere. Quam praxim dicit videri posse sustineri ex clausulis generalibus, quæ in commissionibus apponi consueverunt: ut per eundem Riccio. collect. 1598.

§. 15.

De Curia Parlamenti Parisiensis.

2. Indultum extraordinarium quod dicatur, & quomodo definiatur.
2. Indulti nomen sumitur etiam passivè pro iis quibus indultum est, ut beneficia illis ex privilegio conferri debeant.
3. Indultum Curie Parlamenti Parisiensis in quo consistat, & quibus personis suffragetur.
4. Sub quibus modificationibus Paulus III. Pont. max. indulta Curie Parisiensis approbaverit.
5. Indultum ut suffragetur indultariis Curie Parlamenti, quæ conditiones requirantur.
6. Infra quod tempus indultarij teneantur facere suas requisitiones coram collatoribus ordinariis, pro beneficiis vacantibus.
7. Indultarij Curie, an possint compositionem facere pro suis indultis.
8. Subrogati in locum Dominorum curie Parlamenti Parisiensis ad quid teneantur, ut indulto, & subrogatione frui possint.
9. Indultarij Curie tenentur ad residentiam Parochialium Ecclesiarum illis vigore indulti collatarum.

10. *Indultarij tenentur ad registrationem suarum litterarum.*
11. *Registratio intra duos dies saltem ante obitum resignantis, aut permutantis, ex Edicto Ludouici XIII. fieri debet.*
12. *Sed ex Edicto Ludouici X I V. hoc correctum fuit.*
13. *Indultarij Curia Parlamenti sunt praferendi Graduati.*
14. *Indultum Curia Parlamenti potentius est indulto Cardinalium, qui vigore sui indulti conferunt tanquam Ordinarij collatores.*
15. *Cardinales sunt in Gallia obnoxij Regia Senatorum nominationi.*
16. *Primaria Regis preces sub praetextu incundi ad coronam aduentus non sunt admittende, ut Ordinarij nominatis à Rege conferre teneantur.*

Diximus superius §. 5. huiusce capitis; duo esse indultorum genera: quaedam videlicet ordinaria, quaedam extraordinaria: & de ordinariis quidem *ibid.* copiosè actum est: sequitur vt de extraordinariis

1. hoc loco differamus. † Indulta extraordinaria illa sunt quae conceduntur illis, qui ex iure proprio tanquam Ordinarij collatores ius conferendi non habent: & sic ab Anastaf. Germon. definiuntur, vt sint quaedam concessio Cardinalibus, aut Episcopis, seu Principibus facta conferendi beneficia, aut ad ea nominandi seu praesentandi, super quibus nullum ius nullamque potestatem ordinariam ipsi habent.

2. Sumitur etiam apud Gallos indultum passiuè, vt indultarij dicantur illi quibus ius est petendi beneficij collationem, exclusis aliis quibuscumque.

3. Huiusmodi est indultum quod Dominis de Curia Parlamenti Parisiensis summum Pontificem Eugenium IV. concessisse dicitur, sub die 18. Martij anno 1434. Et huius indulti vigore Domini Praesides, Consiliarij & Graffarij ciuiles ac criminales, ac praesentationum, nec non quatuor Notarij & Secretarij Curiae Parlamenti, vti solent praesentatione aduersus omnes alios mandatarios, & gratias expectatiuas, ad hoc vt per Regem nominentur, & in consequentiam huius nominationis illis postea per Praelatos prouideatur, & alios ius conferendi habentes de beneficiis vacantibus, & illorum collationi suppositis. Indultum tamen istud Eugenij, non loquitur nisi de Cancellario, Praesidentibus, & Consiliariis Curiae Parlamenti Parisiensis, cum facultate ipsis quantumuis laicis concessa, loco sui, nominandi parentes, familiares & alios de eiusdem Parlamenti corpore & gremio existentes, & alijs prout in dicta Bulla Eugenij continetur; cuius mentio & confirmatio facta fuit per Paulum III. ad instantiam Francisci I. Galliarum Regis sub die 19. Iunij anno 1538. Quae Bulla inseritur ad longum apud Fontanon, *tom. 4. tit. 14. fol. 487.* & apud Chopin. *de sacr. polit. lib. 1. tit. 5. numer. 16. fol. 97.* † Quae Pauli III. confirmatio facta fuit sub duabus modificationibus in eius Bulla adiectis. Prima, quod mandatarij Apostolici praerentur Indultariis curiae Parlamenti. Secunda quod isti indultarij non cogentur acceptare beneficia, quae minoris essent valoris seu redditus quam ducentarum librarum Turonensium annuarum.

4. Hodie indultum istud cum sequentibus qualitatibus solet in Gallia praesentari. Primò quidem, quod Praesides, Consiliarij & alij ex dicta curia Parlamenti Parisiensis, qui alios subrogauerunt vigore litterarum Regiarum, & in quos ius suum transtulerunt, tenebuntur expectare vacationem primò aduenien-

tem; dummodo beneficium habeat qualitates ex indulto requisitas: nempe quòd non sit minoris redditus quàm 200. librarum Turonensium annuarum.

Secundò, quoad beneficia nondum vacantia, isti 6. Indultarij tenentur suas requisitiones facere coràm collatoribus ordinariis infra sex menses à die vacationis computandos; quibus elapsis, ad huiusmodi requisitionem vigore indulti faciendam non amplius admitti possunt.

Tertiò, quòd non possunt indultarij, seu in locum ipsorum subrogati, aliquam compositionem aut concordiam seu transactionem facere pro dictis indultis: & casu quo id fecerint, talis concordia locum obtinebit repletionis, hoc est computabitur in reditu sufficienti indultarij, perinde ac si beneficium illi collatum fuisset.

Quartò, quòd subrogati in locum Dominorum 8. de Curia Parlamenti tenebuntur litteras suae nominationis insinuari facere in Graffariatu loci, vbi beneficium super quo facta fuit nominatio situm est, in libro insinuationum Ecclesiasticarum; idque infra duos menses post significationem dictarum litterarum, & se sistere coram Ordinario Episcopo loci in quo beneficium situm est, & coram eo examen subire, & suae capacitatis attestationem obrinere.

Quintò, quòd indultarij qui vigore sui indulti ob- 9. tinent sibi de dignitatibus prouideri, praebendis, vel beneficiis curam animarum habentibus, tenebuntur residere; nec aliquam dispensationem residentiae praetendere poterunt sub praetextu suorum officiorum.

Sextò, quòd litterae nominationum quae fient vi- 10. gore huiusce indulti registrabuntur in Graffariatu Parlamenti, ad hoc vt recursus ad illud registrum haberi possit, dum opus erit; super quibus omnibus videri poterit ordinatio Henrici IV. sub die 9. Decembris anni 1606.

Addi potest praedictis Ordinatio Ludouici XIII. 11. facta anno 1637. & mense Nouembris *artic. 19.* secundum cuius indulti tenorem, indultarij omnes tam Graduati, quàm alij priuantur effectu sui indulti, si prouisiones factae per collatores ordinarios, & eorum Vicarios; siue per demissionem, siue per resignationem, aut permutationem; nec non prouisiones per eosdem Ordinarios aut illorum Vicarios factae, fuerint registratae, vulgò *contreroullées*, per duos dies integros ante obitum resignantis, aut permutantis.

Sed per declarationem factam per Regem Ludo- 12. uicum nunc regnantem sub die 10. Septembris anni 1646. *artic. 13.* solum requiritur, quòd similia mandata ad resignandum vel permutandum sint admissa in vita resignantis, vel permutantis; & registrata in libro insinuationum Ecclesiasticarum ante obitum ipsius resignantis, seu permutantis.

His ita suppositis dubitatum fuit vtrum indulta- 13. rij Curiae Parlamenti praedicti praerendi sint Graduati; quorum indultum videtur fauorabilius: & per consequens potentius.

Sed contrarium iudicatur nempe Indultarios Cu- 14. riae dicti Parlamenti potiores esse, & praerendos Graduatis; siue simplices sint Graduati, siue etiam Nominati: vt notat Frerot, *en la conference des Ordonnances Royaux. lib. 1. tit. 6. §. 12.* Louet, *in recollect. Arrest. litt. B. num. 14.*

Iudicatur etiam hoc indultum Curiae Parlamenti potentius esse indultis Cardinalium; eà ratione, quia Cardinales quibus indultum concessum est conferunt tanquam Ordinarij collatores; & sic non vtuntur maiori priuilegio: cum summi Pontificis indultum solum remoueat obstacula regularum Cancellariae, & alia quae illos impedirent conferre tanquam

tanquam Ordinarios. Sed bene aduertit Theuen. *ad ordinat. Reg. lib. 1. tit. 24. artic. 1.* hæc omnia potiùs ex voluntate potentiorum introducta fuisse, quàm ex iuris dispositione.

15. *Quamobrem sic iudicatum fuisse testatur Chopin. de sacr. polit. lib. 1. tit. 5. num. 17. & 18.* ipsos etiam S. R. E. Cardinales obnoxios esse Regiæ Senatorum nominationi, eique postponi debere Scholasticos, qui ab Academia beneficiarij designantur.
16. Sunt & alia indulta fauore cantorum capellæ Regiæ introducta, quorum origo desumitur à litteris quibusdam patentibus anni 1577. per Henricum III. factis die 9. Maij, de qua Chopin. *lib. 2. de Doman. tit. 13. num. 11.* Quæ nonnulli etiam ad quascumque alias personas extendere voluerunt, vt Ordinarij ad primarias Regis preces, post eius ad coronam aduentum, primam præbendam vel canonicatum per obitum vacaturum in Ecclesia Cathedrali personæ idoneæ conferre tenerentur. Sed hoc merito exploratum est, tanquam nulla lege aut constitutione firmatum: vt optimè explicat Iulian. Brodeau in *suis egregiis annotat. ad Louët. litt. P. num. 6. versic. Et n'y a aucune apparence.* Nec non Ioan. de Bordenau in *suo tract. de l'estat des Cours Ecclesiastiques. cap. 1. num. 28.* Atque ita solemnè Senatus decreto fuit iudicatum congregatis classibus die 7. Ianuarij anni 1616. pro quadam Ecclesiæ Constantiensis præbenda. vt ambo præfati Doctores attestantur.

ni, nisi priùs citato possessore; quamuis ille esset intrusus.

14. *Si executor mittat in possessionem prouisum, non citato possessore, datur ab eius processuris appellatio suspensiva.*
15. *Ampliatur vt procedat, quamuis in literis non adesset illa clausula vocato &c. semper enim possessor citandus est.*
16. *Iustificatio literarum Apostolicarum debet precedere executionem, & fieri parte citata si adsit contradictor legitimus.*
17. *Iustificari debent omnia narrata ante executionem literarum.*
18. *Si duo vacationis modi fuerint alternatiuè expostiti, sufficit vnum iustificare.*
19. *Narratiua probanda est quamuis consisteret in negatiua.*
20. *Quibus modis negatiua probari possit.*
21. *Negatiua clericatus, publicationis & similes probari possunt per confessionem partis.*
21. *Quando nullus adest contradictor, non est opus probatione iudiciali narratiua; sed sufficit quòd ante executionem literarum Apostolicarum, executor se informet extraiudicialiter de veritate ipsius.*

Præcipuas ac notabiliores obseruationes circa Bullarum, ac Breuium expeditionem hic afferemus; cum in breui compendio omnia nequeant singulariter explicari.


In primis igitur notandum est expeditiones Romanæ Curie fieri quandoque per Breue, aliquando per Bullas. Breue sic nuncupatur quòd breuibus verbis fiat, & expeditiones fiunt per Breue à solis Secretariis, & per Papam signantur in cera Rubea sub annullo Piscatoris: vt notat Staphil. *de litter. grat. in tit. de litter. Apostol. in forma Breuis. num. 3. & 4.* Rebuff. *in praxi. part. 3. tit. de Breui Apostol. num. 15. & sequentib.*

Bulla dicuntur scriptura in membrana descripta, plumbo funibus pendente, iure munita; salutationem cum narratione, ac Papæ concessionem, aliisque necessaria continens: & si contineat gratiam, solet appendi chordis sericis; si iustitiam contineat, seu si sit executoria, chordis canapis quibus plumbum seu sigillum appensum est: ita Rebuff. *in prax. part. 1. tit. Bulla noua, ac simpl. prouis. declarat. num. 11: & sequent. † Cui quidem Bulla, nisi sit omni ex parte perfecta, non est fides adhibenda: vt explicat Mascard. de probat. conclusion. 243.*

Breuium Apostolicorum, & Bullarum eadem est virtus, & efficacia: vt notat Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 59. num. 16. Put. decis. 149. num. 1. lib. 1.* Quamuis litteris Apostolicis sub plumbo maiorem dari fidem, quàm Breuibus dixerit Gomes. apud Gonzal. *dicta gloss. 59. num. 6.*

Expeditionarij qui beneficialium literarum expeditioni operam dant, tenentur fideliter procedere: alias ratione doli & fraudis tenentur erga partem læsam. Tournet. *litt. B. num. 25.* qui de Expeditionariorum salario agit, *numer. 26. † Horum tanta fides est in Gallia, vt sub simplici Expeditionarij attestatiõne possessionem beneficij prouisus capere possit, talisque possessio producat effectum præuentionis. Addit. ad Louët litter. V. num. 2.*

Appellatione autem literarum Apostolicarum continentur, eandemque prærogatiuam habent prouisiones factæ à Legatis, seu Vicelegatis: vt notauit Illustrissimus



CAPVT IV.

De Acquisitione beneficiorum, & variis modis illa acquirendi.

§. I.

De Bulla, & Breui, & literis Apostolicis.

1. *Breue vnde sic nuncupetur, & quomodo soleat expediri.*
2. *Bulla in quo differat à Breui, & in qua forma concedatur.*
3. *Bulla fides non est adhibenda nisi sit omni ex parte perfecta.*
4. *Breuium Apostolicorum, & Bullarum virum eadem sit vis.*
5. *Expeditionarij tenentur fideliter procedere, al:às ratione doli possunt conueniri.*
6. *Fides magna datur in Gallia Expeditionariis, & ex eorum certificatione capta possessio vim habet præuentionis.*
7. *Littera Legati, vel Vicelegati, sunt Apostolica; & habent eandem prærogatiuam.*
8. *Littera Apostolica paratam habent executionem adinstar testamenti.*
9. *Litteris Apostolicis non datur parata executio aduersus prouisum ab Ordinario existentem in possessione.*
10. *Item non habent executionem aduersus alium prouisum Apostolicum possidentem.*
11. *Quando deducitur exceptio probata, vel incontinenti probanda contra litteras Apostolicas, cessat via executiua.*
12. *Clausula vocatis vocandis, impedit paratam literarum executionem, & facit decretum executoris appellabile.*
13. *Littera Apostolica non possunt mandari executio-*

simus Dominus Argel. *in tractat. de acquirend. possess. quest. 20. artic. 1. num. 2.* post Rot. *decis. 106. part. 1. n. 5. diuers.* Garf. *de benefic. 5. part. cap. 3. n. 14.*

Istæ litteræ paratam habent executionem adinstar
8. remedij *l. final. Cod. de edict. Du. Adrian.* Mohedan, *decis. 13. vt lire pendem. Rot. decis. 338. num. 17. & 699. num. 17. part. 2. recent.*

Non tamen habent executionem paratam aduersus prouisum ab Ordinario, existentem in possessione; quia iste dicitur legitimus contradictor ad impediendum ne procedatur executiuè vigore litterarum Apostolicarum: *cap. si à sede. de præbend. in 6.* Dominus

10. Argelus *de legit. contradict. quest. 15. num. 103.* †

Secundò, litteræ Apostolicæ non habent executionem paratam contra alium prouisum Apostolicum existentem in possessione, Burat. *decis. 842. num. 1.* † Tertio, non mandantur executioni litteræ Apostolicæ, quando ex parte opponentis deducitur exceptio probata, vel incontinenti probanda, per quam ius actoris probabiliter excludatur. Menoch. *remed. 6. adipisc. possess. num. 48.*

12. Quartò dum in eis adest clausula *vocatis vocandis*; quæ facit vt ordinario iudicio, & non executiuè procedendum sit; & detur appellatio à decreto executoris cum illa clausula deputari, Seraphin. *decis. 1045.* vbi dicit omnia gesta post talem appellationem esse attentata.

13. Quintò executor litterarum Apostolicarum non potest mittere in possessionem prouisum, nisi prius citato possessore; quamuis ille esset intrusus: per

14. text. *in cap. licet Episcopus. de præbend. in 6.* † & si executor procedat non vocato possessore, datur appellatio quoad vtrumque effectum. Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 9. in annotat. num. 227.* Quoties enim possessio non est vacans, iudex aut executor tenetur citare possessorem, & iudicis partes assumere; aliàs datur appellatio tam deuolutiua, quam suspensiuua. Garf. *de benefic. part. 6. cap. 2. num. 143.* &

15. 159. † Et hoc procedit quamuis in literis non adest clausula *vocato &c.* Paris. *de resignat. lib. 11. quest. 10. num. 33.* Et ita aliàs obtinui in possessorio pro R. D. Ioanne Stequa, anno 1624. super quodam canonicatu Sancti Petri huius Ciuitatis; quamuis in petitorio dixerim eum non esse fundatum.

16. Sextò, litteræ Apostolicæ non mandantur executioni, nisi prius fuerint iustificatæ. Quod cum hac distinctione intelligendum est: nam si adest legitimus contradictor, gratia debet omninò, & formiter iustificari, parte citatâ. Mohedan. *de renunciat. decis. 35. per tot. Cæf. de Grass. decis. 12. de probat. num. 1.* & 4. Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 9. in annotat.*

17. 18. num. 228. † Et tota narratiua probari debet; † nisi alternatiuè propositi fuissent duo vacationis modi: tunc enim alterum probare sufficit. Seraphin. *decis. 911. num. 7. versio. Quare conclusum.* Marchesan. *de commissionib. part. 1. in decis. inserta fol. 478. decis. 57. num. 2.* & 3. Rot. *recent. decis. 379. num. 5. part. 1.* vbi tamen hoc limitat, vt non procedat quando deinde constat quòd gratia est restricta ad vnam tantum partem alternatiuæ.

19. Et quod plus est, narratiua iustificari debet; quamuis consisteret in negatiua, quæ tamen ex se impro-

20. babilis est. Ludouif. *decis. 242.* & ibi Addent. † Dantur enim modi negatiuam probandi, veluti ex confessione partis. Pacian. *de probat. lib. 1. cap. 38. num.*

21. 2. † veluti probatio negatiuæ clericatus fit ex eo, quòd quis dixit se non esse clericum. Boër. *decis. 171. n. 18.* Eodem modo probatur negatiua non factæ publicationis, scilicet si pars confessa fuerit publicationem factam non esse. Ludouif. *decis. 210. num. 4.*

Quarant. *in summa Bullar. in verb. Benefic. resignator. publicatio. num. 18.* Reliqua de probanda negatiua videri poterunt apud Pacian. *de probat. lib. 1. cap. 38. & sequentibus vsque ad 55.*

Si verò nullus adest contradictor legitimus, sufficit quòd iudex extraiudicialiter se informet super iustificatione. Addent. *ad Burat. decis. 842. num. 10.*

Reliqua quæ concernunt executionem litterarum Apostolicarum, fusè exponuntur per Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Argelum *in tract. de acquir. possess. quest. 19. artic. 1. & sequentibus.*

§. 2.

De Executoribus litterarum beneficialium in forma gratiosa, & in forma dignum

1. *Executorem deputatum esse in forma gratiosa quomodo cognoscatur, & quæ sit huius commissionis forma.*
2. *Quomodo commissio data censeatur executori in forma dignum, & quæ sit huius commissionis praxis.*
3. *Quantà sit commissio in forma dignum nouissima.*
4. *Executor in forma dignum quomodo ad sua commissionis executionem procedere debeat.*
5. *In Gallia commissarij in forma dignum non cognoscunt de veritate narratorum, sed solum de idoneitate prouisi.*
6. *Quando executor recusat prouidere, ad quem recurrendum sit in Gallia iuxta stilum Curie Tholosanae, diuersum à stilo Curie Parlamenti Parisiensis.*
7. *Gratia in forma dignum non tribuit ius in re, sed tantum ad rem: & continet tantum mandatum de prouidendo.*
8. *Hac gratia in forma dignum non est conditionalis, sed solum per eam suspenditur executio.*
9. *Gratia concessa per hec verba. Quatenus sit idoneus, non redditur conditionalis; secus si dictum fuerit, si tibi constiterit illum esse idoneum.*
10. *Per prouisionem factam in forma dignum, vacatio non est consumpta donec executio perfecta fuerit.*
11. *Si executor in forma dignum prouisum idoneum declarauerit, cum tamen non esset; conditio dicitur adimpleta.*
12. *Si commissio in forma dignum data fuerit Vicario, Episcopus non potest in ea se intromittere.*
13. *Eodem modo si commissio fuerit data Episcopo, Vicarius non potest cognoscere de idoneitate prouisi.*
14. *Episcopus non potest delegare Vicario executionem in forma dignum donec commissio ipsi Episcopo fuerit presentata.*
15. *Gratia in forma dignum non expirat morte Papæ, vel alterius illam concedentis, veluti Legati; sed eo nonobstante procedi potest ad illius executionem, ex veriori sententia.*
16. *Gratia in forma dignum non dicitur facienda, sed facta.*
17. *Dispensationes non expirant morte Papæ illarum commissionem & executionem committentis, etiam re integrâ.*
18. *Ordinarij quibus commissiones ad dispensandum datae sunt, mortuo committente, etiam si res sit integra, immò etiam sede Pontificiâ vacante, procedere possunt ad dispensationem vigore commissionis sibi data.*

1. **E**xecutores pro literis Apostolicis super beneficiis vacantibus, dantur duobus modis. Primò in forma gratiosa, videlicet quando collatio fit immediatè à Papa, vel Legato, nec alteri committitur faciendâ: quæ literæ in forma gratiosa, secundùm stylum Curia Romanæ expeditæ, habent chordas sericas rubei croceique coloris, & tales executores dantur ad partis petitionem personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, idque sub alia Bulla separata, quæ dicitur executoria, & habet chordas canapis: si tamen executio fiat per Cameram, & non per Cancellariam, tunc in eadem Bulla possunt poni gratiosa, & executoria.
2. Alio modo dantur executores non in forma gratiosa, sed in forma *Dignum*, quando videlicet collatio seu prouisio non fit immediatè à Papa, sed ab ipso mandatur fieri prouisionem quatenus prouisus sit idoneus repertus: & tunc expediuntur duæ Bullæ ambæ cum chorda canapis, & executio dirigitur ad
3. Ordinarium, seu ad eius Officialem. † Et hæc dicitur commissio *in forma Dignum nouissima* de qua fit mentio in constitutione Pij V. apud Paris. *de resign. lib. 8. quæst. 7. post num. 196.*
4. Præsentialis Episcopo literis *in forma dignum*, duas ipse facere debet inspectiones. Primò quidem debet videre utrùm narrata in impetratione sint vera, secundò examinare utrùm prouisus sit ad beneficium idoneus. Quibus duobus verificatis debet beneficium illi qui in literis nominatus est non propriâ, sed Apostolicâ autoritate conferre: vt dicit Paris. *dicto lib. 8. quæst. 7. num. 198.*
5. Sed tamen in Gallia non solent Ordinarij de veritate narratorum cognoscere, sed dumtaxat de capacitate & idoneitate impetrantis, facto diligenti examine & inquisitione; cùm tales executores in Gallia nullam habeant iurisdictionem, nec causæ cognitionem.
6. Quòd si Ordinarius cui data est commissio exequi recuset, in arbitrio est impetrantis utrùm malit ad Metropolitanum recurrere, aut eo relicto, vnum ex vicinioribus Episcopis adire; siue sint Suffraganei eiusdem Metropolitanus, siue non. Quia non refert ex qua prouincia fuerit executor, dummodò sit vnus ex vicinioribus; prout in Senatu Tholosano obseruatur & iudicatur. Sed Parisiis alio modo Curia iudicare solet: nam ad Metropolitanum recurrendum existimat, non autem ad Episcopum viciniorem, teste Addit. ad Paris. *lib. 8. quæst. 7. ad num. 198.*
7. Hæc gratia *in forma dignum*, non tribuit ius in re; sed ad rem: quia solum continet mandatum de providendo, quatenus impetrans fuerit repertus idoneus. Rot. *decis. 560. num. 3. & 590. num. 3. part. 2. recentiar.* † Non tamen propterea gratia sic concessa dici debet conditionalis: quia solum suspenditur per eam executio donec prouisus repertus fuerit idoneus. Rot. *decis. 523. num. 2. & 3. part. 2. recent.* quidquid in contrarium videatur decisum in Rot. *decis. 711. num. 2. part. 1. recent.* Quia veritas est, quòd non est conditionalis quoad substantiam, sed dumtaxat quoad executionem: vt dicit & probat Barbof. *de clausul. cap. 66. num. 1.* vbi bene explicat. † Nihilominus tamen videnda sunt verba gratiæ quomodo sint concepta; si quidem clausula *Quatenus sit idoneus*, non reddit gratiam conditionalem: quia respicit qualitatem præsentis temporis, quæ non potest facere conditionem: vt in *dicto num. 1.* sed si apposita fuerit clausula, *si tibi constiterit illum esse idoneum*: tunc gratia est conditionalis; cùm necessaria sit hoc casu causæ co-

gnitio: & ideo non impletâ conditione, beneficium non remanet affectum: per text. in *Clement. unic. de concess. præb. & ibi Cardin. n. 11. Ancharan. n. 17.*

Non tamen dicitur consumpta vacatio per prouisionem factam *in forma dignum*, nisi prius illa fuerit executioni demandata. Rot. *decis. 498. num. 2. part. 2. recent.* quamuis Rot. *decis. 635. num. 10. part. 3. recent.* & Garf. *part. 2. cap. 1. num. 145.* dixerint post admissam resignationem & consensum præstitum, beneficium vacare per obitum resignatarij: quamuis resignatio facta sit *in forma dignum*, dummodò resignatarius fuerit in rei veritate idoneus. Sed Ego in beneficiis Gallia contrarium practicum audiui, nec casu eueniente priuatus fuit resignans iure suo prout Ego consului in quodam canonicatu Villænouæ secus Auenionem, & consilium meum fuit per viros doctos in ciuitate Parisiensi approbatum, & resignans retinuit semper possessionem canonicatus, non obstante obitu resignatarij ante captam possessionem: vt alibi dixi. Est tamen verum, quòd in casu illo concurrebat alia ratio admodum releuans: quia videlicet non constabat resignatarium acceptasse collationem, seu resignationem ad sui fauorem factam.

Quòd si executor deputatus *in forma dignum* prouisum idoneum declarauerit, quamuis reuera talis non esset; conditio *si sit idoneus* dicitur adimpleta. Garf. *de benefic. part. 6. cap. 2. num. 270.* Staphil. *de liter. grat. tit. quib. mod. expirent litt. ad benefic. §. sexto principaliter. num. 1. & 2.*

Si commissio hæc data fuerit Vicario, seu Officiali Episcopi, non potest Episcopus de illa se intromittere; & processuræ coram eo factæ hoc casu nequidem titulum præberent coloratum, nec ita prouisus posset iuuari regulâ *de triennali*: vt contra Nauarr. tenet Garf. *de benefic. part. 6. cap. 2. num. 20. & 21.* faciunt tradita per Sanch. *de matrim. lib. 8. disput. 27. num. 30.*

Et è conuerso non potest Vicarius se intromittere si commissio data esset Episcopo; nisi mediante delegatione sibi per Episcopum factâ post præsentatam sibi commissionem; & non ante: † quia nondum præsentatâ sibi commissione, non habet iurisdictionem actû, nec habitu; & per consequens quòd non habet, alteri delegare non potest. Garf. *ibid. n. 22. & 23.*

Gratiam autem *in forma dignum*, re integrâ, morte Papæ illam concedentis expirare censuere plurimi: vt per Ricc. *collect. 1587.* Sed tamen contrarium verius est, nempe per mortem illam concedentis non expirare: vt *ibidem* Riccius probat. † Et ratio est, quia gratia ista dicitur facta, & non faciendâ, & vt supra diximus *num. 16.* per eam datur ius ad rem, licet non in re: & sic intrat dispositio text. in *cap. si super gratia. de offic. delegat. in 6.* † Vnde eadem ratione concludendum est, dispensationes quæ conceduntur committendo in partibus ordinariis, vt dispensent constituto sibi de veritate narratorum, non expirare morte Papæ concedentis re integrâ. Ricc. *ibid. versic. ex quibus omnibus.* † Et ideo Ordinarij possunt procedere ad executionem talium dispensationum, etiam sede Apostolicâ vacante. Sanch. *de matrim. lib. 8. disput. 30. num. 11.* Garf. *de benefic. part. 6. cap. 2. num. 312.* Eodem ergo modo procedere possunt ad executionem commissionis *in forma dignum*. Garf. *loc. cit. n. 300.*

§. 3.

De gratia si Neutri, si Nulli, si Alteri.

1. Gratia si neutri duo requirit, nempe beneficij vacatione, & quòd neutri litigantijs ius cõperat.

2. *Qua sit differentia inter has tres clausulas, si neutri, si nulli, si alteri.*
 3. *In gratia si neutri requiritur vacatio beneficij de presenti.*
 4. *Limitatur, nisi in hac gratia apponantur verba futurum tempus respicientia; vel clausula, & aliàs quouis modo: tunc enim sufficit ad hanc gratiam futura vacatio.*
 5. *Sicut piscis non potest esse sine aqua, sic gratia si neutri sine lite præexistenti.*
 6. *Gratia si neutri est noua prouisio, & in ea fieri debent omnes expressiones sicut in beneficiorum prouisionibus.*
 7. *Gratia si neutri non purgat vitia præterita.*
 8. *Lis quando dicatur finita ad hoc vt non sit locus gratia si neutri.*
 9. *Quando presentatus à maiori parte Patronorum impetrat gratiam si neutri, non debet annullari presentatio facta à minori parte Patronorum.*
 10. *Non debet fieri derogatio iuris patronatus, quando presentatus à maiori parte obtinet gratiam si neutri.*
 11. *Si Patroni presentauerint, sed nulliter; non est opus in gratia si neutri apponere derogationem iuris patronatus.*
 12. *Gratia si neutri facit, vt possessor non possit excludere actorem per non ius ipsius.*
 13. *Titulus anterior nisi fuerit validus & iustificatus, non facit cessare gratiam si neutri.*
 14. *Gratia si neutri, quæ datur accessorie ad gratiam principalem, censetur data sub eadem narratione.*
 15. *In gratia si neutri debet fieri mentio prouisionis aduersarij, & annalis possessionis ipsius, aliàs gratia est nulla.*
 16. *Sustinetur gratia si neutri, si constat Papam illam concessurum fuisse, etiam non narratâ prouisione, & possessione annali aduersarij.*
 17. *Lis de facto sufficit ad validitatem gratia si neutri.*
 18. *Gratia si neutri non valet si narratum fuerit beneficium vacare per resignationem, & resignatio non fuerit publicata: quia tunc non vacat illo modo; sed vacat ob non publicationem.*
1. **C**lausula, seu gratia *si neutri* duo necessariò requirit: primò quòd beneficium vacet: secundò quòd nulli litigantium ius competat. Et ideo ius huius gratiæ pendet à futuro euentu. Rot. *decis.* 726. *num.* 1. & 3. & *decis.* 10. *num.* 5. *decis.* 105. *num.* 3. *part.* 2. *recent.* Non enim hanc gratiam suffragari, nisi adsit vacatio, decisum fuit per Rotam *in recentior. locis cit. & alibi passim.* Paris. *de resign. benefic.* *lib.* 1. *quest.* 4. *num.* 26. veluti si resignatio facta fuerit nulliter in fauorem certæ personæ. Idem Paris. *lib.* 1. *quest.* 3. *num.* 64. Est enim gratia conditionalis, hoc est, sub illa conditione concessa, quatenus beneficium sit vacans. Paris. *dicto lib.* 1. *quest.* 3. *num.* 105.
2. Sed notandum est secundo loco, magnam esse differentiam inter has tres formulas *si Neutri, si Nulli, & si Alteri*: siquidem gratia *si neutri*, locum habet quando neutri duorum collitigantium ius competit in beneficio: gratia verò *si nulli* dicitur, quando sunt tres vel plures super eodem beneficio litigantes, & nullus ex eis ius habet: Gratia verò *si alteri* datur, quando vnus ex collitigantibus obtinuit tres sententias conformes, quibus beneficium fuit illi adiudicatum; & tamen ius non habet in illo beneficio: quia noua superuenit causa post sententiam quæ ignorabatur à collitigante condemnato; veluti propter hæresim, aut simoniam: tunc enim si talis causa proberetur, impetrans obtinebit vigore clausulæ *si Alteri*: ita explicat Barbof. *de clausul. cap.* 164. *num.* 2. & 3.
- Tertiò notandum est, quòd ita requiritur vacatio in beneficio imperato vigore gratiæ *si neutri* vt illa necessaria sit de tempore datæ; neque sufficiat vacatio postea superueniens. Mohedan. *decis.* 33. *de præbend. Rot. decis.* 824. *lib.* 3. *part.* 3. *diuers.*
- Quod tamen limitatur duobus modis: Primo, 4. nisi in tali prouisione apponantur verba respicientia tempus futurum: secundo, quando apponitur clausula & aliàs quouis modo: quia tunc gratia refertur etiam ad vacationem postea superuenientem. Gomes. *ad regul. de publicand. resignat. quest.* 16. *in fine.*
- Quartò, hæc gratia non solùm supponit vacationem, & non ius, vt supra expositum est, sed etiam requirit omninò litem præexistentem: & sicut piscis non potest esse sine aqua, nec gratia *si neutri* sine lite. Barbof. *de clausul. cap.* 164. *num.* 7.
- Quintò, hæc gratia habet vim nouæ prouisionis. 6. Paris. *de resignat. lib.* 1. *quest.* 3. *num.* 104. & *lib.* 10. *quest.* 2. *num.* 101. & 102. & ideo in hac gratia eadem expressiones fieri debent, quæ fierent in aliis gratiis beneficalibus. Gomes. *ad regul. de Annal. quest.* 28. *versic. præterea.*
- Vnde gratia ista non purgat vitia præterita, nec in illis aliquid disponit, prout est de natura nouæ prouisionis. Paris. *de resignat. dict. lib.* 1. *quest.* 3. *num.* 101. & 102.
- Sextò, cum lis necessariò præexistere debeat 8. ad obtinendam hanc gratiam; videndum est an, & quomodo lis dicatur finita ad effectum exclusionis huius gratiæ: & respondendum est ad hoc vt lis dicatur finita per sententiam, & rem iudicatam inspiciendum esse vtrum ille, in cuius fauorem lata fuit sententia, fuerit in possessione tempore prolationis sententiæ: nam si aduersarius post sententiam attendendo apprehenderit possessionem, lis non dicitur extincta: ad hunc ergo effectum extinctionis litis, requiritur quòd nulla amplius adsit lis siue vera, siue de facto: hæc ex Mantica. *decis.* 99. *numer.* 2. & 4.
- Septimò in hac gratia seu rescripto *si neutri*, quando agitur de duobus presentatis à diuersis Patronis, & ille qui à maiori parte est presentatus, illud vult impetrare; non debet annullari alia presentatio facta à minori parte Patronorum: quia ex eo quòd presentant vt singuli, valet presentatio cuiuslibet. Rebuff. *in prax. in tit. de rescript. si neutri, num.* 31. † qui subdit hoc casu non esse opus derogatione iuris patronatus: quia omnes presentauerunt & functi sunt officio suo, licet diuersos presentauerint: & in hoc rescripto derogari potest iuris patronatus laicali: vt per Rebuff. *ibid. num.* 37. Ratio est quia iam Patroni consenserunt in illa vocatione, † Eodem modo, quando Patroni presentauerunt sed nulliter; non est opus derogatione iuris patronatus: quia Patroni iam functi sunt officio suo. Rebuff. *in prax. in 3. part. signatur. num.* 19.
- Octauò, huius gratiæ effectus est, vt possessor 12. non possit actorem excludere ob non ius ipsius: Garf. *de benefic. part.* 6. *cap.* 2. *num.* 215. quia ex tali gratia constat de iure actoris; cum illius ius satis appareat eo ipso quòd non constat de iustificata rei prouisione. Garf. *loco citato num.* 216. *in fin.* † vbi 13. dicit

dicit quòd licet opponatur aduersus impetrantem gratiam *si neutri*, de titulo anteriori; non tamen cessat effectus huius gratiæ, nisi titulus ille anterior doceatur validus & iustificatus.

14. Nondò aduertendum est, quòd duobus modis gratia *si neutri* impetratur. Primo quidem accessorie ad aliã gratiam principalem. Secundo per se & principaliter, ac independenter ab alia gratia. Si detur accessorie, censetur concessa sub eadem narratiua sub qua concessa est gratia principalis, & venit iustificanda: quia sumit vires ex corpore gratiæ principalis. Seraphin. *decis. 1470. num. ult.*
15. Decimò, gratia *si neutri* nulla est, si in ea non fiat mentio prouisionis aduersarij; sicut etiam quòd non fuit expressum, aduersarium beneficium contentiosum per spatium vnus anni pacificè possedisse. Rot. *decis. 105. num. 1. part. 2. recentior.*
16. Sed tamen si ex coniecturis colligatur summum Pontificem, etiam illis non narratis, fuisse concessurum gratiam; prouisio sustinebitur: quia, aut is contra quem impetratur habet prouisionem validam; & hoc casu non est agendum de gratia *si neutri*, quæ supponit aduersario ius nullum competere: aut prouisionem habet inuvalidam; & hoc casu necesse non est fieri de eã, in impetratione huius gratiæ, mentionem. Rot. *decis. 105. num. 3. parte 2. recentior.*
17. Vndecimò, ad validitatem huius gratiæ, litis quidem requiritur præexistentia, (vt supradictum est) sed sufficit adesse litem & controuersiam de facto, licet non adsit lis iuridica, & vera. Mant. *dicta decis. 99. num. 4. Ludouif. decis. 84. num. 1. ubi Addit.* Si tamen adesset defectus iurisdictionis in Iudice, tunc non posset prætendi adesse litem etiam de facto. Addit. ad Ludouif. *decis. 94. num. 10. versic. si tamen adesset.*
18. Vltimò vt cætera omittamus, ista gratia *si neutri* non dicitur iustificata, si fuerit expressum, beneficium vacare per resignationem; & tamen resignatio non fuit publicata: quia tunc beneficium non vacat per resignationem; sed tantum ob non publicationem; & eo modo debebat impetrari: quia debet specialiter exprimi modus verus vacationis; quamuis resignatio facta fuerit in manibus collatoris inferioris: & dum exprimitur vacare per resignationem, debet intelligi de resignatione valida, qualis non est illa quæ non fuit publicata. Mant. *decis. 347. per tot.*

§. 4.

De Rescripto Perinde valere.

1. In quo consistat substantia rescripti Perinde valere.
2. Quomodo differant inter se rescriptum perinde valere, & noua prouisio.
3. Gratia perinde valere insufflat spiritum priori gratia demortua.
4. Gratia perinde valere nihil prodest, quando prima gratia continet nullitatem; veluti si sit subreptitia.
5. In gratia perinde valere omnes defectus prioris gratia in specie sunt exprimendi, aliàs non sanantur.
6. Quando perinde valere continet aliquem defectum, debet obtineri aliud perinde valere, super primo perinde valere.
7. Gratia perinde valere non potest nocere tertio cui intermedio tempore ius fuit quæsitum.
8. Papa nunquam censetur derogare iuri tertio qua-

sito: quod maxime in beneficiis suis in Gallia obseruatur.

9. Si obtineatur rescriptum perinde valere super gratia coadiutoria propter aliquem illius defectum, non exigitur in hac secunda noua coadiuti consensu.
10. Gratia perinde vale e. seu reuicatoria non est omnino noua gratia; sed est veluti quadam appendix prima.

Rescriptum perinde valere impetratur, quando quis obtinuit à Papa gratiam, seu prouisionem alicuius beneficij, quam dubitat aliqua ratione esse inuvalidam, seu impugnari posse; tunc recurritur ad eundem Papam ad obtinendam gratiam, ad hoc vt prouisio prima æquè valida sit, ac si primò omnia requisita interuenissent. † Differt à noua prouisione quæ datur, quando prima gratia fuisset obtenta ab alio quàm à summo Pontifice; sed perinde valere datur quando ipsemet Papa primam gratiam concessit. Rebuff. *in praxi part. 2. capit. 1. de rescript. Etiam, & Perinde valere. num. 3. & 6.* † Hæc itaque gratia fulcit priorem concessionem corrudentem, & moribundæ insufflat spiritum vitæ: vt dicit Corrad. *in prax. dispensat. lib. 8. cap. 5. num. 40.*

Intellige vt hoc verum sit, quando principalis gratia nondum est collapsa: nam si ipsa nullitatis aut subreptionis vitium haberet, aut causæ defectum pateretur; sane sicut prima & principalis gratia nulla est, ita & corrueret ista accessoria: quia sublato principali rescripto, tolluntur omnes clausulæ, & concessionem accessoria: ita Marius Antonin. *lib. 1. var. resolut. capit. 105. numer. 7. ex doctrina Paris. de resignat. lib. 3. quæst. 11. numer. 46.* † Et ideo necesse est omnes defectus exprimi in hac gratia, qui interueniunt in prima: alioquin non sanantur per hanc secundam; nisi quatenus expressi fuerint in ea. Corrad. *loco citato. num. 43.* † Ideo in hac expressione si adsit aliquis defectus, obtineri debet perinde valere, super alio perinde valere. *Ibidem num. 44.*

Sed notandum est istud perinde valere, non nocere tertio impetranti: quia fictio retrouocatiua nunquam operatur in præiudicium tertij, cui intermedio tempore ius fuit quæsitum: vt ostendi in *meis quæstion. civil. b. quæst. 58. numer. 9.* Et quamuis Lotter. *de re benefic. lib. 2. quæst. 54. num. 62.* subtiliter argumentetur in contrarium; tamen hæc vera est & indubitata sententia: † quia Papa nunquam solet, aut vult derogare iuri tertio quæsito. Mart. *de clausul. part. 1. cap. 321. numer. 3.* Antonin. *dicta resolut. 105. numer. 5. part. 1. plures allegat Barbof. claus. 100. numer. 6.* Rebuff. *d. capit. 1. de rescript. Etiam, & Perinde valere. numer. 27.* Bouchel. *in summ. beneficiar. in verb. Rescript.* dum agit de hac gratia, *versic. au reste.* hoc itaque obseruandum est vbique, & maxime in Gallia, iuxta DD. prædictos.

Sed pulchrum est dubium, vtrum coadiutoria gratia existente defectuosâ, vel nullâ, requiratur nouus consensus coadiuti ad obtinendam gratiam perinde valere. † Resolutio est non requiri in ista gratia reuicatoria nouum consensum: quia præsumitur durare cum semel fuerit præstitus; nisi contrarium probetur: tum quia si per primum actum non satisfit menti disponentis, intelligitur de secundo: tum etiam quia gratia reuicatoria non est res totaliter noua, sed quoddam adiunctum primæ. Rot. *decis. 266. num. 3. part. 3. recentior.*

§. 5.

De subrogandis collitigantibus.

1. Subrogatio duplex est; una gratiosa, alia rigorosa: & quid sit gratiosa.
2. Subrogatio rigorosa quid sit, & in quo differat à gratiosa.
3. Lis calumniosa utrùm sit sufficiens ad subrogationem, quando calumnia est evidens.
4. Lis nulliter prosequuta non est sufficiens subrogationis fundamentum.
5. Subrogatio utrùm detur impetranti per priuationem, & sub quibus clausulis.
6. Lis super possessorio non prebet causam sufficientem ad subrogationem.
7. Subrogatio gratiosè an concedenda sit immisso in possessionem.
8. Nihil interest utrùm subrogatio concedatur ad partes, vel cum gratia principali.

DE subrogatione nonnulla diximus lib. 1. quest. benefic. cap. 28. quæ hîc non repetimus.

1. Paucis dicendum est duplicem esse subrogationem; quarum una gratiosa, alia rigorosa nuncupatur. In gratiosa, tria sunt probanda: primò, obitus defuncti in possessione: secundò, Clericatus impetrantis: tertio quòd beneficium sit reseruatum, aut litigiosum. Rot. in recentior. part. 1. decis. 154. num. 1. 321. num. 1. 629. num. 1 & 700. in princip.
2. Subrogatio verò rigorosa dicitur, quando Papa non dicit *subrogamus*, sed utitur hac clausula *subrogari mandamus*: & hæc requirit ministerium iudicis, qui partes audiat. Et non solum dicta tria requisita subrogationis gratiosæ sunt iustificanda; sed etiam iura partium sunt discutienda, & examinanda. Rot. decis. 378. num. 1. & 2. & 429. num. 1. & 2. eadem part. 1. recentior.
3. Subrogatio autem non datur quando lis est calumniosa, Rot. decis. 342. num. 7. part. 1. recentior. Intellege quando dicta calumnia est evidens; nam cessante euidenti calumniâ, locus est subrogationi. Rot. decis. 261. num. 5. part. 2. recentior.
4. Similiter quando in liti prosecutione adest nullitas, non est locus subrogationi, Rot. decis. 261. num. 2. & 3. part. 2. recentior. Calumnia tamen aut nullitas debet esse evidens: si enim sit aliquis color exclusiuus nullitatis aut calumniæ, non impeditur subrogatio: pro qua obtinenda sufficit non constare euidenter de non iure, & præensione omninò discolorata. Ludouif. & ibi Addent. decis. 426. num. 11. Rot. decis. 167. num. 20. part. 4. recentior. num. 3.
5. Impetranti autem per priuationem non conceditur subrogatio, nisi post latam vnam sententiam priuationis. Gomes. ad regul. de subrogand. collitig. quest. 7. num. 4. in fin. versic. limitantur tamen. Et multò magis conceditur quando latæ sunt duæ sententiæ. Ludouif. decis. 426. in fin. Ideo solet in supplicatione apponi, quando petitur subrogatio impetrantis per priuationem, hæc clausula: *Et cum decreto quod si priuandus metu priuationis post accusationem, & inscriptionem beneficium huiusmodi in alterius quàm oratoris fauorem resignauerit, Indices nihilominus ad executionem literarum priuationis procedere possint, perinde ac si resignatio huiusmodi minimè facta fuisset.* Et Referendarij solent addere post primam vacationis sententiam. Super quibus videri poterit Cokier, ad regulam. 28. num. 53. Sed ob clausulam quouis modo datur subrogatio, etiamsi beneficium vacet per

priuationem. Seraphin. decis. 1055. numer. 6.

Sed lis ad effectum subrogationis debet esse super 6. titulo, non autem super possessorio; quia per eam non inducitur vera litispententia: Et ideo non impeditur quo minus Ordinarius alteri conferre possit. Cod. Fabrian. lib. 1. tit. 2. de sacros. Eccles. definit. 70. num. 5. quæ tamen doctrina intelligenda est vt procedat, si simpliciter summo Pontifici narratum fuerit adesse litem; si enim narrata fuerit lis in possessorio, sufficit illam verificare prout narrata fuit: & intrat subrogatio data lite in possessorio tantum. Seraphin. decis. 990. num. 7. in princip. Addit. ad Burat. decis. 927. num. 30.

Effectus gratiosæ subrogationis est, vt sic subrogatio 7. detur immisso in possessionem defuncti non controuersam, etiam vigore clausularum generalium, ex quibus derogatio ortum habet. Rot. decis. 570. num. 1. part. 1. recentior. & decis. 401. num. 1. & 2. part. 2. recentior. probatis tamen dictis tribus requisitis, nempe obitu defuncti in possessione, clericatu impetrantis, & reseruatione; quam reseruationem tenetur semper probare subrogatus, dum petit se immitti in possessionem vigore subrogationis tradit Illustrissimus Dominus Argelus de legitim. contradiet. quest. 15. num. 110. vbi dicit hoc ex infinitis decisionibus probari. † Neque refert siue subrogatio sit expedita 8. cum gratia principali, siue separatim ab ipsa: quia semper concedenda est immissio subrogatio gratiosè, absque alia narratorum iustificatione, probatis prædictis tribus requisitis: vt in dicta decis. 401. num. 3. part. 2. recentior.

§. 6.

De Electione, Nominatione, Confirmatione, & Translatione.

1. Electio quid sit, & quid confirmatio.
2. Quando electio sola vim confirmationis obtineat.
3. Collatina beneficia quæ sint, & quæ electiua.
4. Postulatio quid sit; & quòd à maiori parte Capituli fieri debeat.
5. Postulatus exercere non potest ante admissam à Superiore postulationem; alioquin postulatus commodo postulationis, & postulantes iure eligendi pro illa vice priuantur.
6. Qui potest eligi potest postulari, sed non è contra.
7. In electione post publicatum scrutinium variare non licet; sed in postulatione secus, donec Superiori fuerit presentata.
8. Electo ante confirmationem, & presentato ante institutionem quaritur ius ad rem; sed non ius in re.
9. Postulato nullum omninò ius acquiritur ante declaratam Superioris voluntatem.
10. Translatio quid sit.
11. Episcopus de Ecclesia ad Ecclesiam sine summi Pontificis auctoritate transferri non potest.
12. Episcopus si se propria auctoritate transferat de Ecclesia ad Ecclesiam, ab vtraque deponitur.
13. Episcopus post consensum translationi præstitum utrùm amittat possessionem primi Episcopatus, donec fuerit in possessione secundi.
14. Capitulum potest deputare Vicarium Capitularem statim vbi Episcopus suæ translationi consensit; etiamsi nondum adeptus sit possessionem Episcopatus, ad quem translatus est.
15. Consensus Episcopi suæ translationi præstitus probatur coniecturis.

16. In Gallia non vacat possessio Episcopatus donec littera secundi Episcopatus fuerint facta, & Capitulo presentata: & num. 19.
17. Si tamen Episcopus distulerit sine impedimento, littera habebuntur pro presentatis.
18. In Gallia quod dicatur legitimum impedimentum, ut Episcopus litteras suæ translationis presentet.
20. In Hispania etiam Episcopus ante presentatas suæ translationis litteras, non amittit possessionem primi Episcopatus.
21. Nominatio quedam est solemnis, quedam minus solemnis & quæ sit illarum efficacia.
22. Electio non potest fieri nisi per scrutinium secretum.
23. Oñtodecim requisita ad validitatem electionis. Remissive.
24. Electio postquam semel fuit confirmata, non potest amplius de eius validitate dubitari.
25. Intellige ut hoc procedat aduersus eligentes non autem in præiudicium tertij, qui electioni non interuenit.
26. Non admittitur tertius impugnans electionem ex certa scientia à summo Pontifice confirmatam.
27. In electione testes non sunt adhibendi.
28. Scriptura priuata libri capitularis probat electionem.
29. Attestatio Capituli sufficienter probat electionem.
30. Publicatio electionis sufficit quòd fiat per unum ex capitularibus.
31. Potest quis seipsum eligere quando electio spectat ad plures.
32. Electus in absentia debet electionem acceptare intra tres menses.
33. Electio antequam fuerit acceptata tribuit tantum ius ad rem: ideo tertius potest interim impetrare.
34. Collatio beneficij ante acceptationem tribuit ius ad rem; non in re.

Electionis materia amplissima est; sed paucis quædam notabilia magisque scitu necessaria exponemus.

1. In primis supponendum est diuersos esse terminos Electionis, Confirmationis, Postulationis, Translationis, & Nominationis. Electio est alicuius personæ ad Prælationem facta vocatio, concordibus Electorum suffragiis, seu maioris partis ipsorum legitime congregatorum, & seruata iuris formâ. † Confirmatio est Electionis per Superiorem ad id potestatem habentem approbatio: quandoque tamen Electio vim habet confirmationis; nempe quando Capitulum eligit simul & confert, nullâ aliâ Superioris expectatâ approbatione. Tusch. *Litt. E. conclus.* 90. num. 3. & 4. † vnde aliqua dicuntur beneficia Electiua collatiua, alia electiua confirmatiua. Primi generis sunt ea in quibus nulla Superioris exigitur approbatio; sed electio vim confirmationis habet. Secundi generis sunt in quibus approbatio Superioris exigitur: quod copiosius explicauimus *lib. 1. quæst. benefic. 40. num. 6. & seqq.*
4. Postulatio est illius, quem eligentes ob aliquem defectum eligere non possunt, apud summum Pontificem ex eius mera indulgentia requisitio: quæ debet fieri, à maiori parte Capituli; aliàs Superior potest postulationem reicere, & reiiciendo nemini facit iniuriâ: *cap. postulationem. de postulat. Prælat.* † neque potest postulatus exercere aut administrare ante admissam à Superiore postulationem. Roman. *consil.*

330. num. 20. 21. & sequent. alioquin & postulatus omni commodo postulationis priuatur, & postulantes facultate postulandi, vel eligendi: & fit pro illa vice deuolutio ad Papam & sedem Apostolicam. Roman. *ibid.* & Tusch. *litt. P. conclus.* 459. † Postulatio nititur gratiæ, electio verò iustitiæ: & qui potest eligi, potest & postulari; sed non è contra. Tusch. *litt. E. conclus.* 59. num. 11. & 12. Exemplum postulationis adduximus *lib. 1. quæst. benefic. cap. 18. num. 5. & 6.*

In Electione non licet variare publicato scrutinio; sed collatio faciendâ est & electio celebrandâ: *cap. 7. publicato 58. de Election.* In postulatione verò licet variare, & ab ea recedere, donec fuerit Superiori presentata: DD. in dicto *cap. publicato.* † quia electo ante confirmationem, sicut & presentato ante institutionem quæritur ius ad rem; licet non quærat ius in re: *cap. qualiter. 17. de elect. cap. auaritiæ. 5. eod. tit. in 6. Extrauag. iniuncta. de Elect. in communib.* Ioann. Escob. in tract. de nobilit. prob. quæst. 7. numer. 29. 34. & sequent. † Sed per postulationem nullum ius acquiritur postulato, ante declaratam Superioris voluntatem: *cap. penult. de postulat. Prælat.* Rebuff. in *Concordat. tit. de Reg. nominat. §. 1. in verb. postulationem.*

Translatio est alicuius personæ de vna Ecclesia ad aliam canonica transmutatio. Hostiens. in *summ. tit. 10. de translat. Episcop.* in princip. † Episcopus de Ecclesia ad Ecclesiam sine Papæ autoritate transferri non potest: *cap. 1. ibi, Translationes Episcoporum: de translat. Episcop.* † Et si Episcopus propria autoritate de vna ad aliam Ecclesiam se transferat, ab utraque deponitur: *cap. quanto. de translat. Episcop. can. si quis Episcopus. 7. quæst. 1.*

Sed dubitatum nuper fuit vtrum Episcopus translatus post acceptatam translationem, seu consensum illi præstitum, amiserit ius & possessionem primi Episcopatus; an verò expectandû sit donec acquisierit possessionem secundi Episcopatus ad quem translatus fuit. Hæc quæstio diuersimodè resoluitur secundum diuersitatē regionum & tribunalium in quibus decidenda proponetur. Nam in Vrbe, & tribunalibus Vrbs, decisio certa est quòd etiam nondû captâ possessione secundi Episcopatus, translatus amittit iura primi à cuius vinculo fuit absolutus: sic enim per sacra Episcoporum Congregationem fuit decisum Decembris 1624. † Et ideo posse Capitulum primæ Ecclesiæ deputare Vicariû, si translatio facta fuerit de ipsius translati consensu, etiam ante adeptam secundæ Ecclesiæ possessionem: ut testatur Barbof. *de iur. Eccles. vniuers. lib. 1. cap. 19. num. 37. Rot. decis. 475. num. 6. in fin. part. 1. recentior.* † vt *ibidem* Rot. benè probat dicens, consensum probari hoc casu sufficienter ex coniecturis; veluti si soluta fuerit Annata; aut pro consequendo secundo Episcopatu notabiles factæ fuerint expensæ: Idem tenet Lotter. *de re benefic. lib. 1. quæst. 12. num. 21.*

Si verò huius negotij decisio fiat in Tribunalibus Galliæ; contraria opinio præualebit; nempe non vacare primam Ecclesiam Episcopi translati, donec capta fuerit possessio secundæ, & litteræ Capitulo presentatæ: per text. expressum in dicto *cap. Iniuncta. de Elect.* ibi *Nullique eos ante dictarum litterarum Apostolicarum ostensionem recipiant: & in versic. sequent. ibi, si forsan contra præsumptum fuerit, irritum habeatur.* † Et si Episcopus nullum habuerit legitimum impedimentum presentandi litteras suæ translationis, habebuntur pro presentatis si per ipsum steterit quominus presententur. Rot. *dicta decis. 475. num. 14. & num. 17. in fin.* † Legitimum autem

autem impedimentum dicitur in Gallia, si prouisus nondum fuerit ad iuramentum fidelitatis per Regem; prout fuit iudicatum in Senatu Parisiensi die 6. Iulij 1628. super translatione Domini de Myron Andegauen. Episcopi ad Archiepiscopatum Lugdunensem: vt refert Torneus in sua recollect. *Arrest. Litt. R. num. 82.* † Non vacat igitur prima Ecclesia, nisi prius Bullæ translationis fuerint Capitulo Ecclesiæ, ad quam fit translatio, præsentata; prout hoc anno cuidam Episcopo in Gallia translati Respondi ex doctrina Abbat. in cap. In nostra numer. 11. de Rescript. Pauinus de offic. & potest. capit. sede vacante. pralud. 7. n. 14. Paris. de resignat. lib. 7. quest. 21. numer. 14. & quest. 23. numer. 47. Rebuff. in prax. in tit. de simoniac. resignat. numer. 31. & 40. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. §. 15. gloss. 2. num. 83. & sequent.

Et notandum est quòd illa constitutio *Iniunctæ*, loquitur in Electo promotò, confirmato, vel consecrato in Curia summi Pontificis: vt aduertit Additio marginalis ad Ioan. de Selu. de benefic. lib. 2. quest. 15. num. 1. vbi Ioan. de Selua in fine dicti numer. 1. notanter dicit necessariò requiri, quòd translatus prius inducatur in possessionem: quod & voluit Rebuff. in Concordat. tit. de Reg. ad pralat. nominat. §. Monasteriis, in verb. vacantibus, versic. sexto etiam. Et ita fuit etiam iudicatum nuper in translatione quorundam Episcoporum.

20. Quod nemini mirum esse debet: quia etiam in Hispania, vbi minor est Regis circa nominationem ad Episcopatus potestas, Episcopi translati ministrant in primo Episcopatu, & in eius possessione permanent, donec secundi assequantur possessionem; ita tamen vt fructus istius secundi Episcopatus percipiant ante possessionem: sicque obseruatum fuisse in Ecclesia Gienensi, Burgenfi, Lucensi, & Segobienfi testatur Nicol. Garf. de benefic. part. 11. cap. 6. num. 41.

21. Nominatio triplex est; Primò, quædã est nominatio minus solemnns, quæ fit dum aliquis proponitur eligendus, vt de eo tanquam probò & digno fiat scrutinium: & per hanc nullum ius acquiritur nominato: vnde Collegium seu Capitulum potest, non obstante huiusmodi nominatione, ad alterius electionem transire: & de hac loquitur text. in cap. quod sicut. §. super eo. de elect. Secundum nominationis genus est, quando capitulantes aliquem eligendum in scrutinio electionis nominarunt: & cum hæc nominatio sit verbalis, per eam non acquiritur ius nominato: sed ille qui nominauit non potest alium nominare, & à sua nominatione recedere, saltem publicato scrutinio: cap. publicato. de elect. Franc. Marc. decis. 925. numer. 2. part. 1. Tertio, est nominatio solemnns, quando duo vel plures nominantur Principi, & petitur vt ex his eligat vnum: & ex hac nominatione nullum etiam ius queritur nominatis; sed post præsentatam Superiori nominationem variare non possunt. Abb. in dicto cap. quod sicut. §. super eo. de elect. num. 1. & de hac variatione agit Cost. de re integr. distinct. 107. num. 2.

22. His ita suppositis, Dico Electionem seu vocis dationem non nisi secretò, & viua voce, vel per schedulas secretas iuxta diuersitatem statutorum vel constitutionum faciendam esse: cap. Quia propter. de elect. Cod. Fabrian. lib. 1. tit. 3. definit. 40.

23. In summa, debent interuenire octodecim requisiti de quibus in dicto cap. Quia propter, ex quibus si vnum deficiat, electio defectu formæ vitatur: quæ requisiti singulariter explicat Lezana, in summ. regul. 24. lib. 2. cap. 12. num. 27. † Et electio si semel fuerit con-

firmata, quamuis in ea aliquis defectus interuenisset, non essent audiendi opposites; sed ipsa valida & legitima remaneret: L. penult. §. fin. ff. de Decurionib. can. nulli. 54. distinct. Pascal. de patr. potest. part. 4. cap. 10. num. 7. Nouarius in allegat. inserta apud Ricc. collect. 2579. col. 1.

Intellige vt hoc procedat respectu illorum qui 25. electioni interueniunt, & confirmationi acquiescunt; non tamen respectu tertij qui non impeditur electionem & confirmationem impugnare: vt notat Franc. Marc. decis. 50. n. 7. part. 2. quia sicut electio est nulla, ita & confirmatio ruinoso innixa fundamento. † Si tamen Papa ex certa scientia electionem nullam confirmasset; non esset amplius locus reclamandi aduersus electionem. Idem dicta deci. 50. num. 8. & 9. part. 2. & decis. 927. num. 6. & sequentib. part. 1.

In Electione Capitulari testes non sunt necessarij; 27. immò aliqui DD. existimant consultius esse si non adhibeantur. Ancharan. in dicto capit. Quia propter. de elect. in 2. column. versic. ultra Tabellionem verò.

Immò sufficit Electionis probatio facta per scripturam priuatam in libro Capituli factam. Franc. Marc. decis. 1203. in fin. part. 1.

Ipsam verò Capitulum testificari potest Electionem factam, vel non factam esse. Ancharan. in cap. cum olim. num. 7. in 9. notabil. de dol. & contumac. Mascard. de probat. conclus. 592. num. 2.

Publicatio Electionis sufficit quòd fiat per vnum 30. ex capitularibus: quia præsumitur habere mandatum ab alijs præsentibus. Lotter. de re benefic. lib. 3. quest. 17. num. 61.

Vtrum autem quis seipsum eligere possit? respon- 31. detur affirmatiuè, quando electio spectat ad plures. Mar. Antnion. lib. 1. resolut. 51.

Si Electus sit absens à loco in quo fit electio, de- 32. bet illa ipsi intimari, talique electo datur spatium vnus mensis ad acceptandam electionem, & trium mensium ad obtinendam confirmationem: cap. quam sit. 6. de elect. in 6. Tusch. litt. E. conclus. 61. n. 6. & 7. Barbof. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 19. num. 146.

Sed si ante eius acceptationem tertius quidam 33. prouisiones obtinuerit à Papa, iste præferendus erit Electo: quia posterior illius acceptatio non retrahitur in præiudicium tertij: & electio antequam fuerit acceptata, tribuit ius ad rem; non autem ius in re. Cod. Fabr. lib. 1. tit. 2. definit. 19. † Sicut col- 34. latio beneficij facta alicui, antequam acceptetur; non tribuit ius in re; sed tantum ius ad rem. Ricc. in decis. Cur. Archiepiscop. Neapolis. part. 2. decis. 41. num. 2.

§. 7.

De Resignatione.

1. Dimissio beneficij quid sit, & quomodo differat à resignatione.
2. Qui beneficium incompatible assequitur, non potest resignare primum; sed dimittere illud tenetur.
3. Resignatio simplex statim ius abdicat à resignante, sed conditionalis non nisi adimpletã conditione.
4. Vtrum, resignatario mortuo ante approbationem Episcopi, ius à resignante abdicetur.
5. Resignatario datur manutentio, si de eius prouisione disputetur postquam in possessionem immisus fuit.
6. Intellige si per resignantem aut eius procuratorem consensus legitime fuerit præstitus.

7. Per resignationem beneficij existentis de iure patronatus laicali, non abdicatur ius à resignante donec Patronus consenserit.
8. Consensus præstitus à procuratore non habente legitimum mandatum, non abdicat ius à resignante; vel si ipse excedat fines mandati.
9. Resignanti datur actio spolijs aduersus resignatarium, qui adeptus est possessionē in vim mandati nullitatem continentis.
10. Si consensus resignationi præstitus sit nulliter, fructus interim spectant ad resignantem.
11. Et hoc etiam casu, moriente resignante, beneficium vacat per illius obitum.
12. Per resignationem simoniacam ius non abdicari à resignante, sed iterum illum resignare posse, quidam existimant; licet secus sit in collatione simoniaca.
13. Contrarium verius est nempe resignationem simoniacam ita præiudicare resignanti, ut tertius beneficium impetrare possit.
14. Resignatarius ante collationem pœnitere potest, nec hoc casu resignans indiget noua possessione.
15. Resignatio in Gallia nulla est, si facta fuerit in vim mandati excedentis annum.
16. Mandatum debet esse speciale ad certum beneficium, nec sufficit generale.
17. Resignatio imperfecta remanet, si non sequatur acceptatio resignatarij.
18. Si Resignatarius moriatur ante acceptationem, beneficium non vacat per obitum resignatarij.
19. Si resignans mortuus fuerit in mense reseruato, & postea resignatarius moriatur ante acceptationem, semper durat reseruatio.
20. Plures de resignationibus, cuiusque requisitis quaestiones. Remissiuè.
21. Pensio super beneficio tertij difficilè reseruari potest.
22. Pensio, vel pactum, aut conuentio in fauorem tertij qui non est in lite, simoniaca est, nisi legitime à Superiore approbetur.
23. Facultas concessa Magno Magistro Ordinis Hierosolimitani admittendi resignationes cum reseruatione pensionis, non extenditur ad admittendas pensiones in fauorem tertij.
24. Vicelegatus Auenionensis amplam habet facultatem quoad resignationes admittendas cum reseruatione pensionis.
25. In resignatione necesse est, ut resignans in infirmitate constitutus superuiuat per viginti dies à die consensus præstiti numerandos: quod exemplis exponitur.
26. Consensus præstari debet in loco ubi fit resignatio: ideo non sufficit ad numerationem viginti dierum, inchoandam, consensus per procuratoris constitutionem præstitus.
27. In numero Viginti dierum regula de infirmis, dies ipse præstiti consensus computari debet.
28. Papa & Legatus, quoad beneficia Gallie, solent huic regula de infirmis resignantibus derogare.
29. In Gallia semper debet Superior potestatem habens derogare Regula de infirmis resignantibus, ex mente Rebuffi.
30. Quomodo procedatur in Gallia, si recusetur derogatio regula de infirmis resignantibus.

signationibus tractatum remittentes; partim ad ea quæ passim hîc, & in primo quæst. benefic. libro diximus.

Definitur Resignatio, vt sit spontanea & libera i. beneficij obtenti facta coram Superiore dimisso. Circa quam definitionem aduertendum, dimissionis nomen duobus modis sumi posse. Primò in genere, adeo vt resignationem ex causa permutationis, aut in fauorem alterius factam comprehendere possit. Secundò strictè, & in specie; quando quis dimittit aut deserit simpliciter beneficium: & hoc modo capitur in decreto, quod in prouisionibus beneficiorum incompatibilium per summum Pontificem apponi consuevit, hoc modo: *Et cum decreto quod dictus Orator infra duos menses à die adeptæ possessionis secundi, seu qua per ipsum steterit quominus illam assequatur; primum dimittere, seu iuri competenti cedere in manibus Romani Pontificis tantum teneatur.* &c. † Quia qui incompatible beneficium adeptus est, & per duos menses vigore illius decreti illud retinet, non potest resignare; sed tenetur purè & simpliciter illud dimittere in manibus summi Pontificis: non autem in fauorem alicuius, nec etiam ex causa permutationis. Barbof. de Episc. part. 3. allegat. 57. num. 78. Nicol. Garf. de benefic. part. 11. cap. 5. num. 61.

Resignatio duplex est; vna pura, alia conditio- 3. nalis. Resignatio pura & simplici per Superiorem admittâ, resignans omni iure priuatur; sed si facta fuerit in fauorem, requiritur acceptatio illius cui facta est resignatio. Paris. de Resignat. lib. 10. quæst. 8. num. 1. Et quòd resignatarius beneficij possessionem adeptus sit; alioquin deficiente conditione deficit & resignatio. Petr. Gregor. in institut. rei benefic. cap. 28. num. 9. Rebuff. in praxi tit. de resignat. condit. num. 18. Paris. lib. 1. cap. 4. num. 74. & cap. 5. num. 37. Barbof. de iur. Eccles. lib. 3. cap. 15. numer. 75. Post. de manutent. obseruat. 57. num. 16. & sequentibus.

Et propterea non est admittenda sententia Fabri 4. in Cod. lib. 1. tit. 2. definit. 57. Videatur Louët. & ibi Addent. lit. B. numer. 13. † vbi ostendit quid dicendum sit, si resignatarius moriatur antequam Ordinarius suum Visa interposuerit. Maynard. lib. 1. cap. 62. & lib. 8. cap. 3. & 5. Peleus, lib. 1. actiõ. 30. Cod. Fabr. lib. 1. tit. 2. definit. 3. & 84.

Sed tamen si resignatio prætendatur nulla, post- 5. quam resignatarius immisus fuit in possessionem vigore resignationis, interim lite pendente danda est manutentio resignatario; cum etiam ex actu nullo possessio acquiratur; quando deuentum fuit ad executionem facti: l. 1. §. si uxori & ibi DD. de acquir. possess. Rot. decis. 92. part. 1. recent.

Quod intelligendum est vt locum habeat, quando 6. possessio capta fuit vigore consensus præstiti per resignantem; secus si illius deficiat consensus: veluti quando præstitus fuit per procuratorem cuius mandatum expirauerat: tunc enim datur resignanti actio spolijs contra resignatarium; quamuis possessionem adeptus fuerit. Rot. decis. 423. part. 1. recentior.

Resignatio quoque si Patrono contempto facta 7. fuerit, nec illi consensum Patronus adhibere voluerit, & agatur de iure patronatus laicali, nulla prorsus est; nec per eam ius abdicatur à resignante. Rot. decis. 4. num. 2. part. 2. recentior. † Idem dicendum est, si resignatio facta fuerit à procuratore excedente fines mandati. Rot. decis. 293. num. 1. eadem part. 2. Maximè si in mandato adfit clausula, & non alias, &c. Rot. eadem part. 2. decis. 286. n. 2. & 276. n. 2. † 9. & hoc casu datur actio spolijs resignanti: eadem part. 2. decis.

PAuca de hac amplissima materia in medium afferemus: cætera partim ad copiosum Parisij de Re-

10. *decif. 542. num. 5.* † & fructus pertinent ad resignantem, nonobstante resignatione, quæ nullitatis vitio laborat. *decif. 278. num. 7. eadem part. 2.* † Et si is qui resignauit moreretur interim; hoc casu beneficium non vacabit per resignationem; sed per obitum. *Burat. decif. 856. numer. 1. Barbof. de Episcopis. part. 3. allegat. 19. numer. 34. Ludouif. decif. 441. num. 9.*
11. Si autem resignatio sit simoniaca, dubitari potest utrum per eam ius abdicetur à resignante? Et videtur quod non: quia resignatio est hoc casu nulla ipso iure; & per consequens non abdicatur per eam ius à resignante: sequitur ergo ipsum posse iterum resignare: ita tenet *Rebuff. in prax. part. 3. cap. 1. de mod. amittend. benefic. num. 35. & 36.* Quamuis aliud esse dicat in collatione simoniaca: quia per collationem ius quaeritur; ergo collatio facta simoniaco nulla est: ut per eum, *num. 37.*
12. Contrarium nempe resignationem simoniacè factam tenere in ipsius resignantis præiudicium, nec illi dari regressum; imò beneficium uti vacans à tertio impetrari posse, reiectâ *Rebuffi* sententiâ, censuit *Addit. ad Philip. Dec. consil. 118. Addit. ad Louer. Lit. B. n. 13. column. 8. versic. ce qui a mesme lieu. Boër. decif. 117. num. 4.*
13. Quod si resignatarius re integra à resignatione sibi facta recesserit, antequam alteri facta fuerit collatio, potest pœnitere: quia actus remanet imperfectus, & resignans in eodem statu semper manet. *Boër. decif. 350. num. 5. nec resignans amittit ius suæ antianitatis, cum noua non indigeat possessione. Tournet. Lit. B. num. 35. Papon. lib. 2. tit. 8. num. 17.*
14. Rursus nulla est ipso iure resignatio in Gallia, si facta fuerit per procuratorem post annum à die datæ sui mandati: quia præsumitur ex diuturnitate temporis tacita mandati reuocatio. *Papon. lib. 2. tit. 8. arrest. 1. & de hoc adest expressa Regis constitutio; adeo ut nec in possessorio habenda sit ratio prouisionum in vim talium mandatorum factarum. † Sicuti nec earum quæ fiunt in vim mandatorum generalium; nisi certa beneficia in specie fuerint designata. Confer. des Ordonnanc. lib. 1. tit. 3. §. 19.*
15. Item pro nihilo habenda est resignatio, si resignatarius beneficium resignatum non acceptauerit: quia ante acceptationem ius apud resignantem remanet.
16. *Parif. lib. 10. quest. 8. num. 5. & sequent.* † Vnde si resignatarius moriatur ante acceptationem resignationis, beneficium non vacat per eius obitum; sed tantum illius vacatio induci potest ex persona resignantis, à quo ius non est abdicatum donec resignatarius acceptauerit. *Gonzal. ad regnl. 8. gloss. 15. §. 2. num. 6.* † Vnde si resignans mortuus fuerit in mense reseruato, & postea resignatarius moriatur ante acceptationem; semper durat reseruatio: quia beneficium vacat ex persona resignantis: ut *ibid.* *Gonzal.* notat: & per consequens si viuo resignante resignatarius ante acceptationem moriatur, resignans in suo iure & possessione manet, nonobstante resignatione: (loquor de resignatione in fauorem: nam in pura aliud supra conclusum fuit) ita in hoc casu & pluribus aliis similibus concludit *Barbof. de iur. Eccles. vniuers. lib. 3. cap. 15. num. 76.* † qui plures casus similes affert, & breuiter illo capite à *num. 114.* ostendit quæ requirantur ad validitatem resignationis, & qui sint resignationis effectus à *num. 148.* & quæ beneficia possint resignari à *num. 125.* Ideo superfluum esset illa repetere quæ per eum solerter, & bene dicta sunt.
17. Superest igitur ut nonnulla dicamus de resignatione triangulari, vel cum reseruatione pensionis in fauorem tertij. Sanè pensionem super beneficio tertij non facile admitti ad euitandas fraudes censuit *Parif. lib. 6. quest. 2. numer. 23.* † Immo pacta, re-
se uationes pensionis, & aliæ conuentiones quæ
fiunt ad vtilitatem tertij qui non est in lite, sunt sem-
per improbæ & simoniacæ: *cap. cum pridem. de pact. cap. constitutus. cap. super eo. de transact. Couarruu. lib. 1. var. resolut. cap. 5. numer. 6. Garf. de benefic. part. 1. cap. 5. num. 343.* Vnde nullæ sunt & inu-
lidæ resignationes continententes pacta ad fauorem ter-
tij: ut per *DD.* supra citatos, & post eos *Rot. decif. 94. n. 2. & 8. part. 6. recentior. Lotter. de re beneficiar. lib. 3. quest. 29. num. 184.*
- Quod adeo verum est; ut quamuis magnus Ma-
gister Hierosolimitanus ex summorum Pontificum
concessione habeat facultatem admittendi beneficio-
rum resignationes, illasque resignantibus in titulum,
sive commendam; ac omnes illorum fructus, sive
illorum partem; aut super illis quascumque annuas
pensiones etiam quæ transirent ad successores, refer-
uandi & assignandi; tamen iudicatum fuit illam fa-
cultatem non extendi ad reseruationem pensionis in
fauorem tertij; etiam pro bono pacis & concordiæ:
provt fuit resolutum in *Rot. decif. 386. part. 5. re-
cent. & part. 6. decif. 94. & 345.*
- Legatus tamen Auenionensis habet facultates am-
pliores; cum illi summus Pontifex concesserit facul-
tatem admittendi resignationes beneficiorum, & illa
conferendi; cui facultati subiiciuntur hæc verba:
*Nec non resignantibus, seu cedentibus, & aliis qui-
busuis personis Ecclesiasticis, ut se commodius susten-
tare valeant; aut alia quavis de causa, ob quam tibi
expedire videbitur, super eorundem beneficiorum resi-
gnatorum, aut aliorum quorumlibet, quæ fortè perso-
næ, quibus beneficia huiusmodi conferentur, obtinent;
aut quorumcumque aliorum beneficiorum, etiamsi il-
la in manibus tuis non resignentur; fructibus, rediti-
bus, & prouentibus, pensiones annuas, de quibus tibi
videbitur, & partes ipsæ concordæ fuerint, ipsis ce-
dentibus seu resignantibus, aut aliis quibusuis personis,
reseruandi concedimus facultatem.*
- Vltimò loco videndum esset quomodo regulæ
Cancellariæ de infirmis resignantibus & de publica-
tione resignationis locus sit; cum hoc scitu omninò
sit necessariū in materia resignationum: sed quia de
dicta regula aliquid diximus *lib. 1. cap. 93. num. 25,*
& *cap. 109. a numer. 10.* & de publicatione resigna-
tionis *cap. 13. numer. 14. & cap. 27. numer. 49. &
cap. 85. numer. 11.* Ideo non est in hoc diutius infi-
stendum.
- Solum in praxi quoad regulam de infirmis, scien-
dum omninò est; quod viginti dies numerari & cõ-
putari debent à die consensus præstiti; veluti si quis
resignauerit die 1. Ianuarij, tunc censetur die 21. vi-
xisse viginti dies; sed si consensus fuerit die 3. præ-
stitus; tunc die 21. Ianuarij numerabuntur demta-
xat 18. dies. † Neque sufficit consensus præstitus per
constitutionem procuratoris, sed debet præitari in
loco vbi fit resignatio: ita *Rebuff. in prax. ad Re-
gul. de infirm. resignant. gloss. 10. num. 1. & 2.* Et sic
deciditur magna quæstio, de qua *Boër. decif. 348.*
numer. 3. vbi tractat utrum viginti dies debeant nu-
merari à die resignationis: quia verba regulæ sunt
clara quoad hanc quæstionem; ibi, *resignauerit, &
postea in infirmitate decesserit.*
- Dies autem, in qua præstitus fuit consensus, com-
putari debet in numero viginti dierum: ex *Gratian.*
discept. 161. numer. 24. & 26. post *Boër. decif. 348.*
*numer. 3. column. 2. ad med. versic. & idem habetur in
regula.*

28. Huius regulæ de viginti diebus praxis raro accidit in Gallia; nam si collatio facta fuerit ab Ordinario, hodie obseruatur regulam in istis Ordinarij collationibus locum non habere: vt dixi lib. 1. cap. 109. num. 13. Si verò de collatione summi Pontificis, vel Legationis agatur; semper solet huic regulæ derogari, teste
29. Cokier, ad regul. 18. num. 34. † Immò Rebuff. censuit non posse Legatum recusare derogationem huius regulæ quoad beneficia sita in Gallia: vt per eum in tract. Nominat. quæst. 17. numer. 70. † Item consil. 25. à numer. 8. vsque ad finem consilij, vbi dat modum procedendi quando Legatus recusat huic regulæ derogare super beneficiis in Gallia sitis. Idem notat Addit. ad Paris. de resignat. lib. 12. quæst. 14. ad num. 2.

§. 8.

De Permutatione.

1. Permutatio quid sit.
2. Permutatio fieri non potest nisi permutantes habeant ius in re.
3. Non est necesse ad permutationem, vt permutantes adepti fuerint possessionem beneficiorum permutandorum; dummodò titulum habeant.
4. Qui beneficium habet cum titulo, non potest permutare cum eo qui non habet titulum.
5. Nominatus, vel electus ante confirmationem, & similes habentes ius ad rem dumtaxat, non possunt permutare.
6. Ius ad rem an resignari possit.
7. Presentatus ante institutionem, & electus ante confirmationem, non habent ius in re; sed tantum ad rem.
8. Presentatus à Patrono Ecclesiastico, habet ius in re ex sententia aliquorum: que tamen reprobat.
9. Ius ad rem permutari potest coram summo Pontifice.
10. Permutatio sine auctoritate Superioris facta, reputatur simoniaca: sed hæc est simonia interpretatina.
11. Auctoritas in permutatione exigitur illius Episcopi, in cuius diocesi sita sunt beneficia permutata. Et quid si sint in diuersis diocesisibus.
12. In Gallia exteri sunt incapaces beneficiorum, nisi à Rege fuerint admissi ex gratia speciali.
13. Exteri non sunt in Gallia capaces permutationis beneficij.
14. In permutatione beneficiorum reseruatorum requiritur sedis Apostolica auctoritas.
15. Ampliatur vt procedat etiam si vnum ex duobus beneficiis permutatis esset reseruatum, & aliud non reseruatum.
16. Episcopus Clericum suæ Dioceseos ab vna Ecclesia ad aliam suæ Dioceseos inuitum pro utilitate Ecclesie transferre potest.
17. Intellige vt hoc procedat, quando utilitati Ecclesie alio remedio succurri non potest.
18. In permutatione debet interuenire consensus illorum, ad quos electio, collatio, vel presentatio pertinet.
19. Permutatio spretis Patronis laicis facta, non est ipso iure nulla; sed annullari potest, si Patroni contempnum prosequantur.
20. Ampliatur vt procedat in permutationibus factis in Romana curia.
21. Permutantis beneficium contempto scienter Patrono vacat.

21. Patronus ex veriori sententia cogi non potest ad consentiendum permutationi, nisi ageretur de euidenti Ecclesie utilitate.
23. Patronus non potest impugnare permutationem ipso spretio factam, si lapsum fuerit tempus illi assignatum ad presentandum.
24. Si Patronus ante permutationem se opposuerit, multo magis resistitur nulla permutatio, eo non consentiente facta.
25. Permutatio debet fieri vnus beneficij cum alio beneficio, non autem cum alia re spirituali; veluti cum decimis.
26. Permutatio beneficij fieri non potest cum Capella nondum in titulum beneficij erecta; nec cum Hospitali, aut Præstimonio, quando non sunt beneficia.
27. Permutationes Episcopus sine iusta causa admittere non potest.
28. Credendum non est Episcopo asserenti se permutationem ex iusta causa admisisse.
29. Iusta causa admittenda resignationis peti potest non solum ex utilitate Ecclesie, sed etiam personarum.
30. Si vnus ex permutantibus moriatur infra viginti dies à tempore præstiti consensus, & non fuerit regula derogatum; beneficium illius permutatum alteri conferri potest: siue permutatio sit equalis, siue inaequalis.
31. Regula de Publicand. resignationib. obseruanda quoque est in permutationibus.

Permutatio est vnus iuris beneficij cum altero, ex causa, & de consensu Superioris reciproca præstatio. Ex qua descriptione sequentia notabilia colliguntur.

Primò, quòd ad validitatem permutationis requiritur, quòd permutantes habeant ius in re super beneficiis compermutatis; nec sufficit quòd habeant ius ad rem: cap. cum vniuersorum. de rerum permutat. Paris. lib. 2. de resignat. benefic. quæst. 21. & 23. Garf. de benefic. part. 11. cap. 4. num. 17.

Non tamen necesse est, vt permutans fuerit adeptus possessionem beneficij quod permutare intendit; sed sufficit quòd ius & titulum habeat. Ancharan. in cap. vlt. num. 10. de rerum permutat. Mantica. de tacit. conuent. lib. 25. tit. 9. num. 9.

Vnde qui habet beneficium cum titulo, non potest permutare cum eo qui habet aliud beneficium sine titulo, & talis permutatio nulla est. Mantica. lib. 25. tit. 9. num. 4.

Item nominatus ad aliquod beneficium, aut presentatus vel admissus ad parochialem per concursum, vel electus ante confirmationem, qui omnes dicuntur habere ius ad rem; non possunt permutare beneficium cum alio, quod possidetur ab eo qui in illo ius formatum & veram possessionem obrinet: per text. in cap. de rer. permutat. lib. 6. Zerol. in verb. Renunciatio. §. 1. part. 2. Flamin. Paris. de resignat. benefic. lib. 2. quæst. 21. & 23. † vbi multa de iure ad rem, quod resignari posse simpliciter asserit, sed non in fauorem; quamuis Addit. ad Paris. ibidem se practicasse contrarium testetur.

Quod autem presentatus ante institutionem, & electus ante confirmationem, habeant ius ad rem; non in re: probatur in cap. qualiter. 17. de election. cap. Auaritia. §. eod. tit. in 6. & extranag. iniuncta. de election. in communib. † sed aduertendum est hoc procedere in eo qui presentatus est à Patrono laico, qui potest variare; sed non in eo qui presentatus est à Patrono Ecclesiastico qui variare nequit: vnde presentatum

- præsentatum ab Ecclesiastico ius habere in re censuit Barbof. *de Episcop. part. 3. allegat. 72. numer. 154.* ubi etiam dicit quod per electionem statim acquiritur ius in re, quod est contrarium iis quæ mox dicta sunt; sed veritas est quod per electionem non tribuitur ius in re; sed tantum ad rem. Zerol. *in prax. part. 1. in verb. ius ad rem §. 1. Gonzal. gloss. 15. §. 2. num. 1. Garf. de benefic. part. 4. cap. 3. num. 3. & 8. idem Barbof. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 19. num. 22. & lib. 3. cap. 15. numer. 29.* Ideo videtur quod nec etiam Patroni Ecclesiastici præsentatio ius in re tribuat: tum quia ratio illa qua æquiparantur electio, & præsentatio, non subsistit: tum etiam quia nec per electionem ius in re tribuitur: tum & denique quia licet Patronus Ecclesiasticus non possit post factam semel præsentationem variare; tamen ius ab eo obtentum incertius est, & instabilius iure obtento à Patrono laico: quia huic non potest derogari, illi verò facillimè derogatur: ideo non videtur verum, quod ius in re quaratur per præsentationem Patroni Ecclesiastici. Quod etiam consideravit Ioan. Escobar, *in tract. de purit. & nobilit. quest. 7. num. 50.*
9. Isti igitur omnes qui dumtaxat habent ius ad rem, non ius in re; prohibentur permutare, vel resignare. Boër. *decis. 205. numer. 4.* nisi resignatio aut permutatio fieret coram Papa ex certa scientia disponente. Paril. *de resignat. lib. 2. quest. 10. numer. 5. & dict. quest. 23.*
10. Secundò, ad validitatem permutationis requiritur autoritas Superioris, & permutatio aliter facta reputatur simoniaca: *cap. questum. & ibi Abb. num. 3. de rer. permutat.* Quanquam hæc sit improprie simonia: quia non datur temporale pro spirituali. Est ergo interpretatiua simonia: de qua nos alibi diximus.
11. Ille autem Episcopus autoritatem interponere debet, ad quem spectat collatio beneficii, seu confirmatio electi, aut institutio præsentati: *dict. cap. 1. de rer. permutat. in 6. Clementin. 1. eod. tit.*
Quod si beneficia sita sint in diuersis Diocesisibus; quilibet Episcopus debet conferre beneficium quod ad suam pertinet collationem; vel vnus ex Episcopis alteri debet committere. Gloss. *in dict. cap. 1. de rer. permutat.* vel ambo debent simul conuenire ad faciendam collationem, & recipiendam renunciationem. Mantic. *de tacit. & ambig. conuent. lib. 25. tit. 8. num. 9.*
12. Sed dubitari potest quid dicendum sit, si vnus ex permutantibus sit alienigena & per consequens beneficium in Gallia situm per permutationem assequi velit; cum certum sit alienigenas in Gallia beneficiorum ibi sitorum non esse capaces: Alienigenæ siquidem Albini quasi Alibi nati nuncupantur, vnde processit ius illud quod vocatur *Le droit d'Aubeine.* Tornet. *in sua recollect. Arrest. litt. B. num. 4. Selu. de benefic. part. 2. quest. vltim.*
13. Respondetur permutationem istam non posse subsistere nisi ex speciali Regis indulgentia. Rebuff. *in prax. tit. de rescript. mixt. num. 7. Abb. in cap. bone 2. de postulat. Pralat. num. 16.* ubi dicit potius Ecclesiæ præficiendos esse illos, qui aliquo in loco vitam egerunt, & extraneis præferendos: quod tamen malè extra Galliam obseruatur, certis quibusdam locis exceptis.
14. Quod autem dictum est requiri autoritatem Episcopi ad validitatem collationis, non habet locum in beneficiis referuatis, in quibus autorizatio non spectat ad Episcopum; sed ad sedem Apostolicam: *cap. dudum. & cap. execrabilis, in Extrauagant.*
- sub tit. de Prabend. Plures citat Cokier. in tract. de permutat. benefic. lib. 2. cap. 7. num. 2.*
- Quod ampliatur etiam si ex duobus beneficiis permutatis vnus sit referuatum, & aliud non referuatum: quia quoad referuatum non valet collatio Ordinarij, & beneficium vacat: quia resignatio est valida; sed non collatio: ideo securà beneficii euictione non referuati, ille qui resignauit referuatum non potest ad illud redire: quia non debet conferri per alium quàm per Papam. Card. Tusch. *litt. P. conclus. 307. numer. 3. Mantic. de tacit. conuent. lib. 25. tit. 12. numer. 9. Cokier. de permutat. benefic. lib. 2. cap. 2. num. 9.*
- Sed quæri potest vtrum etiam ad hoc extendatur autoritas Episcopi, vt cogere possit clericum sibi subditum ad permutandum suum beneficium ad hoc vt transferatur ad aliam Ecclesiam suæ Dioceseos? Respondendum est Affirmatiuè, & id posse Episcopum etià repugnante beneficii possessore, illum de Ecclesia ad Ecclesiã transferendo; ita tamen vt illi cambiũ saltem æquale alterius beneficii, Prælaturæ, vel dignitatis assignetur; dummodò agatur de bono & vtilitate Ecclesiæ. Mantic. *de tacit. conuent. lib. 25. tit. 8. num. 17. & sequent. †* sed non quælibet vtilitas, aut necessitas Ecclesiæ hoc casu requiritur; sed ea debet esse talis, vt non possit illi per dationem coadiutoris aut alio modo subueniri: & quod necessitas sit magna, veluti ad euitandum magnum scandalum, vel destructionem Ecclesiæ: vt post Federic. de Sen. *in tract. de permutat. benefic. quest. 25. num. 39. tradit ibid. Mantic. num. 19.*
- Tertiò requiritur in permutatione consensus illorum, ad quos collatio seu electio aut præsentatio pertinet: quia licet Episcopus totum debeat expedire; tamen istorũ interest fieri, vel non fieri permutatione. Gloss. *in c. vnic. in verb. collationem. de rer. permut. lib. 6. Barbof. iur. Eccles. lib. 3. cap. 15. num. 182.*
- Vnde dubitari potest vtrum permutatio possit fieri spretis Patronis; aut si ipsi nolint consentire, sufficiat requisitio ipsis facta, vel alio remedio succurri possit aduersus Patronos permutationi consensum præstare recusantes.
- In hac quæstione concludendum Primò est, permutationem factam de beneficio iurispatronatus laicalis, spretis Patrono, quamuis non sit nulla ipso iure, posse tamen annullari si Patronus contemptum suum prosequatur intra tempus sibi datum ad præsentandum. Ricc. *in prax. rer. for. Eccles. in tit. praxis iurispatronatus. decis. 171. num. 105. Cokier. de permutat. benefic. lib. 1. cap. 19. num. 1. & sequent. †*
- Quod ampliatur ad permutationes expeditas in Romana Curia: vt per Ricc. *collectan. 2716.*
- Ideo si permutans habuerit scientiam iurispatronatus, & contempto Patrono permutauerit, beneficium vacat: quia in casibus in quibus ius non abdicatur à resignante, inducitur vacatio propter scientiam; licet aliàs renuncians beneficio, seu illud permutans nulliter, ius à se non abdicet si id ignoranter fecerit. Paril. *lib. 1. de resignat. quest. 3. numer. 71. & num. 118. Gratian. discept. forens. cap. 835. num. 10. & sequentibus. Rebuff. consil. 192. num. 5. dicens clausulam non aliter, nec alio modo non operari, quando adest culpa resignantis.*
- Secundò concludendum est; quod licet magna sit inter DD. controuersia, vtrum permutatio fieri possit inuito Patrono, si ipse postquam fuerit requisitus recuset sine iusta causa consentire: vt per Rebuff. *in 3. part. Signat. in verb. nec non iurispatronatus. num. 40. & in tit. de permutat. num. 22. Garf. de benefic. part. 11. cap. 3. numer. 17. qui dicunt sufficere quod Patronus*

Patronus requiratur; & eo sine iusta causa consentire recusante; posse procedi ad expeditionem permutationis. Peleus. *lib. 1. act. forens.* 41.

Tamen pro vera resolutione dicendum est, non posse cogi Patronum inuitum ad consentiendum permutationi beneficij de suo patronatu existentis, nisi quando agitur de magna utilitate Ecclesiæ. Rot. *in Barchinonen. beneficij.* 1628. *coram Durano. decis. numer. 12.* prout intelligit Gars. *de benefic. part. 11. cap. 3. numer. 28.* Rot. *decis. 190. numer. 11. part. 5. recentior.* Et causa utilitatis, aut necessitatis Ecclesiæ non præsumitur; sed probanda est ab allegante. Rot. *eadem part. 5. decis. 152. numer. 14.* Idem comprobatur Cokier, *de permutat. benefic. lib. 1. cap. 19. numer. 10.* qui aliud esse dicit, quando permutatio fit ad utilitatem personarum; tunc enim non potest fieri inuitis & reluctantibus Patronis. Idem *num. 12. versic. aut permutatio.*

23. Si tamen post permutationem factam, lapsum esset tempus à lege assignatum Patrono ad præsentandum, non esset amplius admittendus ad impugnationem permutationis factæ ipso contempto. Cokier, *ibid. num. 13. in fin.*

24. Et prædicta resolutio multò magis locum habet, quando Patronus antequam procedatur ad permutationem se se opposuit, & postquam fuit requisitus ante factam collationem contradixit in actis; tunc non valet permutatio in eius præiudicium facta, & collatio Ordinarij subsequuta, nisi fuerit ex aduerso probata causa magnæ utilitatis, aut necessitatis Ecclesiæ. Rot. *dicta decis. 152. numer. 9. versic. sed quando Patronus. & numeris seqq.*

25. Quartò ad validitatem permutationis requiritur, quòd fiat de beneficio cum alio beneficio non autem cum alia re spirituali; veluti de beneficio cum decimis: hæc enim permutatio non esset valida. DD. *in cap. final. de rer. permutat.* Rebuff. *in prax. part. 3. tit. de permutat. numer. 24.* † Sicuti nec potest fieri permutatio de beneficio cum capella non erecta in titulum beneficij, seu legato aut fundatione simplici. Charond. *lib. 1. respons. 41.* Papon. *lib. 1. tit. 7. arrest. 1.* Mantic. *de tacit. convent. lib. 25. tit. 9. numer. 43.* Sanch. *in consil. moralib. lib. 2. cap. 3. dubitat. 37. numer. 18.* vbi de permutatione beneficij cum hospitali, vel præstimonio, quando non sunt beneficia, Barbof. *iuris Eccles. lib. 3. cap. 15. num. 179.* vbi de permutatione beneficij cum pensione prohibita.

27. Quintò permutatio coram Ordinario fieri non potest, nisi iustà subsistente causâ: *cap. questum. de rer. permutat.* Duran. *decis. 163. numer. 6.* † qui dicit non esse credendum Episcopo attestanti iustam causam interuenisse, Barbof. *loc. cit. num. 172.* † qui causam sufficientem peti posse testatur, non solum ex utilitate Ecclesiæ; sed etiam ex utilitate personarum. Rationem reddit Ricc. *decis. 37. Cur. Archiepiscop. Neapolit. numer. 5. part. 1.* quia ex utilitate personarum resultat utilitas Ecclesiæ: quia melius Deo inferatur: quæ ratio vtrum sit concludens, penes lectorem iudicium esto. Conclusio tamen vera est.

30. Sextò pro validitate permutationis requiritur, quòd permutantes vixerint spatio viginti dierum: quia regula *de infirmis* includit etiam casum permutationis. Itaque si resignans ex causa permutationis moriatur intra viginti dies præstiti consensus, & non fuerit huic regulæ derogatum; beneficium illius permutatum, alteri poterit licitè conferri: siue permutatio æqualis fuerit, siue inæqualis. Cokier, *de permutat. benefic. lib. 1. cap. 5. num. 2.*

Septimò requiritur publicatio permutationis iuxta Bullam Gregorij XIII. quæ etiam locum habet in permutationibus. Barbof. *dicto lib. 3. cap. 15. numer. 186.*

§. 9.

De Iure præsentandi, & Iure patronatus.

1. *Ius præsentandi, & Ius patronatus differunt: quia aliqui possunt præsentare, qui tamen non sunt Patroni.*
2. *Sequester castri vel villa à beneficio dependentis potest esse laicus: sed sequester beneficij debet omnino esse clericus.*
3. *Per sequestrum voluntarium partes possessionem amittunt; non tamen per necessarium, de mandato scilicet ius dicentis factum.*
4. *Sequestrum dicitur necessarium, & iudiciale, quod mandante Iudice factum est; licet postea partes illi acquieverint.*
5. *Ius præsentandi vtrum transeat ad curatorem hereditatis iacentis, tutorem, vsufructuarium, & fideicommissarium.*
6. *Ius præsentandi non transit ad creditorem immissum in possessionem vigore Saluiani interdicti; quamuis in bonis, in quibus immisus est, adsit aliqua capella de iure patronatus.*
7. *Præsentatus ab eo qui est in quasi possessione præsentandi, præfertur præsentato à vero Patrono.*
8. *Facta & subsistente præsentatione illius, qui est in quasi possessione, præseruatur ius veri Patroni pro futuris vacationibus.*
9. *Sola præsentandi quasi possessio sufficit, quando constat de existentia iuris patronatus, & dubitatur dumtaxat de pertinentia illius; id est ad quem ex duobus pertineat: sed si existentia iuris patronatus esset dubia, non sufficeret sola quasi possessio, excepto iure patronatus Regio.*
10. *Si sit controuersia de existentia iuris patronatus, eadem probationes requiruntur in possessorio, & manutentione; qua in petitorio.*
11. *Qui est in quasi possessione præsentandi excluditur, si notorius sit proprietatis defectus: & quando dicatur notorius.*
12. *Ius patronatus acquiritur constructione Ecclesiæ, dotatione, & territorij concessionem.*
13. *Ampliatur ut procedat, licet construens, dotans, vel terram concedens; nihil sibi expressè reseruaerit; dummodò illi non renunciauerit.*
14. *Vtrum hæres qui coactè construxit, vel dotauit, sibi acquirat ius patronatus.*
15. *Ad acquisitionem iuris patronatus interuenire debet consensus Episcopi.*
16. *Vicarius Capituli sede vacante authorizare potest ius patronatus.*
17. *Episcopi consensus necessarius est in translatione iuris patronatus facta à laico in laicum; secus si ad Ecclesiam.*
18. *Vicarius Episcopi, illo absente, & in remotis regionibus agente, multa sine speciali mandato facere potest, qua hic dinumerantur.*
19. *Vicarius, Episcopo in remotis agente, non potest ius patronatus translationem in laicum factam authorizare.*

20. Vicarius, Episcopo in remotis agente, potest ea solum facere que sunt iustitia; non que gratia: sine speciali mandato.
21. Tempus ad presentandum Patrono laico concessum, est quatuor mensium: in clericali vero iuripatronatus, vel mixto, est sex mensium.
22. Tempus datum Patronis ad presentandum non currit nisi à die scientie vacationis.
23. Si iuripatronatus fuerit litigiosum inter Patronos, Episcopus lapsò quadrimestri, vel semestri, prouidet; si eo tempore lis non sit finita.
24. Si lis sit inter presentatos, & non controuertatur ius vel possessio presentandi; Episcopus lapsò quadrimestri, vel semestri, non prouidet de beneficio donec lis sit finita.
25. Si Procurator iurisdictionalis Episcopi litem moueat contra Patronos, non potest Episcopus conferre sine Patrono, donec lis fuerit terminata.
26. Episcopus potest si velit tempus à iure concessum Patronis ad presentandum ampliare; non tamen potest illud minuere.
27. Patronis nouum quadrimestre datur si presentatus acceptare noluerit, aut mortuus fuerit, cessante fraude.
28. Lapse tempore Patronis ad presentandum concessò, Episcopus potest gratiosè admittere presentatum.
29. Episcopus presentatum à Patrono lite pendente gratiosè admittere potest.
30. Quarantis Patronus seipsum presentare nequeat; potest tamen per uiam supplicationis ab Episcopo prouideri.
31. Voces quomodo computanda sint, quando sunt plures hæredes ex disparibus portionibus instituti.
32. Quando sunt plures donatarij vel legatarij iuripatronatus, voces equaliter & in capita computantur: vox tamen illius qui maiorem habet bonorum portionem, si cetera sint paria, preualere debet.
33. Papa derogare solet iuripatronatus laicali, quoad beneficia vacantia in Curia.
34. Papa derogare solet iuripatronatus mixto, hoc est partim laicali partim clericali.
35. Iuripatronatus ex priuilegio vel consuetudine quæsito Papa in totum derogare solet.
36. In beneficiis qua litigiosa sunt in Curia Romana, Papa solet iuripatronatus laicali derogare.
37. Iuripatronatus laicali pro medietate Papa derogare solet: quod tamen quomodo in praxi intelligendum sit, ibidem explicatur.
38. Papa derogat iuripatronatus laicali, quando Orator unus est ex Patronis.
39. Promoto ad Episcopatum Papa concedere solet retentionem beneficiorum iuripatronatus, alioquin vacantium cum derogatione.
40. In Gallia non admittuntur derogationes iuripatronatus laicalis, nisi aliquando pro bono pacis.
41. Plures alij casus sunt in quibus Papa derogat iuripatronatus laicali, vel etiam conferre solet beneficia patronata, etiam sine expressa derogatione iuripatronatus. Remissè.

Differunt inter se iuripatronatus, & ius præsentandi: multi enim possunt præsentare, qui non

habent iuripatronatus; veluti sequester, qui licet non sit Patronus, tamen præsentare potest: ex notat. per Post. in tract. de manuent. obseruat. 52. n. 9. † 2. Cum hac tamen distinctione; vt si sequester fuerit laicus deputatus pro Castro, villa, vel bonorum vniuersitate sequestrata, in qua adit iuripatronatus inde dependens, si pendente tempore sequestrationis contigerit vacatio alicuius beneficij ab illo iuripatronatus dependentis, sequestrarius poterit præsentare: sed si agatur de eo qui deputatus est sequester beneficij, cui annexum est ius præsentandi; tunc necesse est vt sequester sit clericus. Gloss. in Clement. 1. de sequestrat. possess. & fruct. in verb. idoneam. Franc. Marc. decis. 464. num. 2. part. 1.

Præterea hoc intelligendum est de sequestro voluntario, quod fit de consensu partium: quia per tale sequestrum partes priuantur possessione: secus si esset necessarium factum à iudice, partibus inuitis: tunc enim partes non priuantur sua possessione; sed illud censetur tantum factum causa custodiæ. Rot. decis. 516. n. 2. part. 1. recentior. Mant. decis. 252.

Quod procedit etiam si post decretum sequestrationis partes illi acquieuerint: quia non ideo minus sequestrum debet dici necessarium, & factum dumtaxat causâ custodiæ: quia inspicere debet causa originalis, nempe decretum & authoritas Iudicis; cuius intentio fuit vt partes non priuantur sua possessione. Addit. ad Ludouic. decis. 9. numer. 12. apud quem alia limitationes afferuntur. Et istam distinctionem inter sequestrum voluntarium, & necessarium, ad effectum præsentationis; tradit Ricc. collectan. 1645. & Barbof. Iur. Eccles. vniuers. lib. 3. cap. 12. numer. 234. † In quo etiam cap. à numer. 230. explicat vtrum ius præsentandi transeat ad curatorem hæreditatis iacentis, aut in tutorem, vel usufructuarium vniuersitatis bonorum? Et concludit affirmatiuè: non tamen vult transire in fideicommissarium vniuersalem; sed remanere apud hæredem ostendit Idem, num. 232.

Sed circa hanc iuris præsentandi materiam fuit aliàs dubitatum, vtrum illud competeret creditori, qui vigore saluiani interdicti obtinuerat se immitti in possessionem cuiusdam prædij, in cuius medio debitor construi fecerat & fundauerat quandam capellam? Ego negatiuè Respondi. Quia licet aliàs iuripatronatus annexum vniuersitati bonorum transeat cum ipsa vniuersitate; tamen per pignoris traditionem facultas præsentandi non transit in ipsum creditorem, qui vigore saluiani interdicti, immisus dumtaxat fuit in possessionem prædij, vt perciperet fructus in commodo pecuniario consistentes, quique in sortem principalem iuxta naturam saluiani interdicti erant imputabiles; iuxta l. 1. & 2. Cod. de pignoratit. action. Vnde cum facultas præsentandi licet sit in fructu, non tamen est pretio æstimabilis, nec imputabilis in sortem principalem: sequitur ius præsentandi remanere penes debitorem: ex notat. per Barbof. lib. 3. Iur. Eccles. vniuers. lib. 3. cap. 12. numer. 237.

Præterea, quamuis aliquis non sit verus Patronus; si tamen sit in quasi possessione præsentandi, præferatur ab eo præsentatus illi quem verus Patronus (qui non est in quasi possessione) præsentauit: c. consultationibus. & ibi Abb. n. 3. de iuripatron. Mant. decis. 360. n. 6. Caualer. decis. 609. n. 9. Lotter. de re beneficiar. lib. 1. quest. 34. n. 26. † valet autem institutio facta ad illius præsentationem qui est in quasi possessione præsentandi, etiam si postea constet de bono iure veri Patroni: quia non propterea reuocatur institutio iam

- iam facta; sed iura veri Patroni præservantur ad proximè futuram tunc vacationem. Rot. *decis.* 174. num. 2. & 362. num. 2. part. 5. recent. Addit. ad Burat. *decis.* 776. num. 12.
9. Quod intellige, quando constat de iurepatronatus, & solùm est quæstio de pertinentia illius; id est ad quem ex contententibus ius patronatus, vel præsentandi pertineat: si enim reuocaretur in dubium existentia iurispatronatus, & Ordinarius, aut alius contenderet Ecclesiam esse liberam; tunc sola quasi possessio præsentandi non esset sufficiens ad probationem iurispatronatus: immò nec sufficeret ad manutationem; nisi ageretur de iure patronatus Regio. Rot. apud Marchesan. part. 1. fol. 1054. & part. 2. fol. 488. num. 3. Cavaler. *decis.* 609. num. 5. Idque vigore Concilij Tridentin. *sess.* 24. cap. 9. † adeo ut eadem probationes requirantur in possessorio, quæ requirerentur in petitorio: ut per Eminentissimos Cardinales Concilij interpretes *decisum* fuisse testatur Postius, *de manutent. obseruat.* 32. n. 27.
11. Item supradicta limitantur ut non procedant, quando constat notoriè de non iure possessoris; tunc enim notorius proprietatis defectus facit cessare causam possessorij, illamque absorbet; dummodo de iure veri Patroni constet per confessionem partis, vel per rem iudicatam. Addit. ad Burat. *decis.* 776. num. 15. & 16.
- His ita suppositis circa ius præsentandi, nonnulla eaque præcipua quæ ad iurispatronatus præxim sunt necessaria, compendiosè exponenda supersunt.
12. Primò, quomodò constituatur seu acquiratur iurispatronatus, quod fit pluribus modis. Primò constructione Ecclesiæ: *can. monasterium.* 16. quæst. 7. Secundò, dotatione: *cap. filijs vel nepotibus. eadem caus.* 16. quæst. 7. Tertiò, territorij ad Ecclesiam ædificandam datione: *can. Abbatem.* 18. quæst. 2. † Et acquiritur quamvis expressè non fuerit reseruatam: *cap. significavit. & ibi DD. omnes, de Testib.* Addit. ad Burat. *decis.* 1. num. 14. dummodo fundans, vel dotans, aut construens, iurispatronatus expressè non remiserit. Rot. *decis.* 167. n. 4. part. 2. *diuers.*
14. Limitatur nisi talis fundatio constructio vel datio per aliquem facta esset coactè, & non voluntariè. Ludouif. & ibi Addent. *decis.* 397. num. 5. Exemplum afferri potest in hærede qui grauatus fuit construere capellam; quia si non sponte, sed coactè illud fecerit; non consequitur iurispatronatus. Rot. *dicta decis.* 167. num. 6. part. 2. *diuers.* ad quod vide Lambertin. *de iurepatronat. lib. 1. part. 1. quæst. 4. artic. 7.*
15. Intellige secundò prædicta, dummodo interueniat expressus Episcopi consensus: ut fusè explicat
16. Tusch. *Litt. I. conclus.* 600. num. 1. † sufficit tamen sede vacante consensus Vicarij Capitularis: ut per Barbof. *de iur. Eccles. vniuers. lib. 1. cap. 32. num. 88.*
17. Quando verò iurispatronatus semel in esse deductum fuit; acquiri potest per laicum multis modis, & nominatim titulo donationis, vel legati; dummodo Episcopi autoritas interueniat: ut dixi *lib. 1. cap. 54.* nisi translatio fieret in Ecclesiam: quia tunc Episcopi consensus non esset necessarius: ut dictum est *edd. cap. 54. num. 13.*
18. Sed Vicarius, absente seu in remotis agente Episcopo, licèt multa facere possit, quæ non possit ipso præsentante sine speciali mandato; veluti insinuationes in Gallia recipere: Rebuff. *de nominat. num.* 100. Dimissorias concedere: Barbof. *de Episcop. part. 2. cap. 7. num. 9. & de iur. Eccles. lib. 1. cap. 15. num. 21.* Ricc. *in prax. aur. resolut.* 18. Item in Suffraganeos

iurisdictionem exercere: Sbrozz. *de offic. Vicar. lib. 2. quæst. 58. num. 3.* Item consentire collationi, non tamen electioni: Idem *lib. 2. quæst. 71. num. 22. & 23.* statutis capitularibus consensum adhibere: Idem, *lib. 2. quæst. 200. num. 4. & licentiam Ordines assumendi concedere. Abb. consil. 88. versic. venio ad quartum. lib. 1.*

Non tamen etiam, in remotis & extra montes 19. existente Episcopo, potest donationem iurispatronatus, aut eius erectionem in fauorem laici autorizare. Io: Bapt. Ferrer. *consil. 327. lib. 2. †* Potest enim ea tantùm facere quæ sunt iustitiæ, aut necessitatis; non ea quæ sunt gratiæ sine speciali mandato: ut per Picard. apud Menoch. *consil. 52. num. 75.* Gratian. in terminis, *discept. forens. cap. 303. per tot.*

Secundò principaliter videndum est de tempore 21. dato Patronis ad præsentandum, quod in iurepatronatus Ecclesiastico diximus esse sex mensium; in laicali verò quatuor: *cap. vnic. de iurepatronat. in 6.* Idem dicendum est de iurepatronatus mixto, quod partim clericale, partim laicale est; in quo etiam locus habet quod dictum est de clericali: quia in mixto dantur sex menses, quamuis præsentantium maior pars essent laici: quia iurispatronatus clericale tra hit ad se laicale tanquam minus dignum. Lambertin. *de iurepatronat. lib. 2. part. 2. quæst. 1. artic. 3.*

Quod tempus non currit Patronis nisi à die 22. scientiæ vacationis: *cap. licèt. de supplend. neglig. Pralat. cap. quia diuersitatem. de concess. prebend.* Burat. *decis.* 459. num. 7. Ideo qui obtinet beneficium iure deuoluto propter negligentiam Patronorum, tenetur probare veram scientiam ipsorum, tanquam fundamentum suæ gratiæ. Mantie. *decis.* 260. num. 1. Rot. *decis.* 221. num. 9. & 10. part. 7. recent. Vbi id maximè procedere dicitur, quando mors possessoris beneficij Patronati aduenit in partibus remotis.

Tertiò hoc constitendum est quòd si iurispatronatus sit litigiosum, & tempore litis contingat vacatio, si lis non fuerit finita inter Patronos laicos intra quadrimestre, ius conferendi deuoluitur ad Superiorem: vel intra semestre, si de Patronis Ecclesiasticis agatur: *cap. eam te. de iurepatronat. †* Quod est intelligendum, si lis sit super præsentatione iurispatronatus, vel de competentia iuris præsentandi inter Patronos, seu de quasi possessione huius iuris: nam si disputetur tantùm de vocibus, ut quia quilibet prætendat se habere plures voces; tunc nullum currit tempus Patronis qui functi sunt officio suo, & pertinet ad Episcopum controuersiam illam decidere: vnde non currit tempus Patronis ad præsentandum. Idem si disputetur de forma & validitate præsentationis, vel si inter duos præsentatos lis vertatur, quænam ex duabus præsentationibus sit melior; vel aliàs inter duos præsentatos sit controuersia: quia text. *in cap. eam te. 22. de iurepatronat.* quo cauetur Episcopum lite existente super iurepatronatus posse conferre post sex menses, si intra illud tempus lis non fuerit finita; cum sit exorbitans, & loquatur de lite inter Patronos existente, non est extendendus ad litem, quæ tractatur inter præsentatos. Rot. *decis.* 586. num. 7. part. 4. *diuers.*

Similiter si sit controuersia non inter Patronos 25. inter se, sed procurator mensæ Episcopalis se opponat, aut aliàs deducat in controuersiam ius Patronorum lite pendente, tempus non currit Patronis, sed Episcopus potest Oeconomum deputare lite pendente. Zerol. *in prax. Episcop. part. 1. in verb. iurispatronatus. §. 5.* vbi concludit ad hoc ut Episcopus,

lapso quadrimestri vel semestri, de beneficio prouidere possit; requirit quòd lis ventiletur inter ipsos Patronos super iure Patronatus, vel præsentandi.

In summa si quis totam materiam per plures casus distinctam videre desideret, adeat Zabarellam in *Clemen. plures. §. quibus. de iurepatronat.* Lambertin. de *iurepatron. lib. 2. part. 2. quest. 1. principal. artic. 9.* ex quibus desumptæ sunt doctrinæ Viuian. *lib. 7. cap. 3.* & Barbof. de *Episc. part. 3. allegat. 72. num. 140.* Sanch. in *oper. moral. lib. 2. cap. 3. dubitat. 60.*

26. Sed circa præmissa notandum est in praxi, quòd Episcopus potest si velit Patrono prorogare tempus ad præsentandum; non tamen potest illud abbreviare. Ricc. *collect. 119.* Vgolin. de *Episcop. part. 2. cap. 51. §. 1. num. 4. versic. Tertio.* Paris. de *resignat. lib. 7. quest. ult. num. ult.*

27. Item quòd si præsentatus noluerit consentire præsentationi, vel si post acceptatam præsentationem illi renunciauerit, vel si mortuus fuerit, renouandum & iterum inchoandum est tempus quadrimestre, & respectiue semestri; vt intra illud Patronus præsentare possit; neque computandum est in nouo hoc tempore illud quod de antiquo effluxit: *argum. cap. si electio. de Elect. in 6. quod ibi DD. & Gloss. in verb. integrum* extendunt ad præsentationem. Quod intellige, nisi interuenerit fraus. Rot. in *nois tit. de iurepatronat. decis. 8.* Lambertin. de *iurepatronat. lib. 2. part. 2. quest. 1. art. 17.*

28. Item quòd nonobstante lapsu temporis ad præsentandum, Episcopus potest gratiosè agendo cum Patrono, illum admittere ad præsentandum. Lambertin. *lib. 2. part. 2. quest. 1. art. 27.* Viuian. de *iurepatron. part. 2. lib. 7. cap. 6.*

29. Præterea, quamuis lite pendente Patronus præsentare non possit, nisi esset in quasi possessione præsentandi; tamen posset hoc facere per viam supplicationis, & posset Episcopus gratificari & instituire nominatum ab illo: vt decidit Rot. in *Regiensi Iurispatronatus die 5. Martij 1625. in recent. part. 4. tom. 30. decis. 599. num. 12.* † Quod fundatur in doctrina Panormitan. in *cap. per nostras. 26. de iurepatronat.* Vbi quòd licèt Patronus seipsum præsentare non possit; tamen beneficium obtinere potest ab Episcopo per viam supplicationis: vt etiam notat Lambertin. *lib. 2. par. 1. quest. 8. artic. 3. num. 3.*

30. Quartò tractandum esset de forma & praxi computandi voces in iurepatronatus; sed de hoc superiùs actum fuit *lib. 1. cap. 32. maximè à num. 26.* Ideo videri poterunt quæ nos *ibidem* diximus. Hoc vnum addendo quòd cum de pluribus hæredibus præsentantibus loquuti sumus, ita intelligendum est, vt non attendatur pro qua parte quis fuerit hæres; sed omnes hæredes etiam ex disparibus portionibus instituti habent vnam vocem: ita vt si duo ex quarta parte, vnus ex dimidia sit hæres institutus, duorum vox tertio qui pro medietate hæres est præualeat: vt notat Peregr. de *fideicommiss. artic. 6. num. 37.* dicens iurispatronatus non transire ad hæredes vti hæredes, sed quia hæredes. † Et quòd de pluribus hæredibus dictum est, locum etiam habet in pluribus aliis, iurispatronatus titulo donationis, aut cum emptione vniuersitatis acquirentibus: vt notat Sanch. *lib. 2. consil. moral. cap. 3. disput. 98. num. 7.* qui tamen subdit *num. 8.* quòd si vota essent æqualia, vox illius qui maiorem habet hæreditatis portionem præponderaret.

31. Quartò tractandum esset de forma & praxi computandi voces in iurepatronatus; sed de hoc superiùs actum fuit *lib. 1. cap. 32. maximè à num. 26.* Ideo videri poterunt quæ nos *ibidem* diximus. Hoc vnum addendo quòd cum de pluribus hæredibus præsentantibus loquuti sumus, ita intelligendum est, vt non attendatur pro qua parte quis fuerit hæres; sed omnes hæredes etiam ex disparibus portionibus instituti habent vnam vocem: ita vt si duo ex quarta parte, vnus ex dimidia sit hæres institutus, duorum vox tertio qui pro medietate hæres est præualeat: vt notat Peregr. de *fideicommiss. artic. 6. num. 37.* dicens iurispatronatus non transire ad hæredes vti hæredes, sed quia hæredes. † Et quòd de pluribus hæredibus dictum est, locum etiam habet in pluribus aliis, iurispatronatus titulo donationis, aut cum emptione vniuersitatis acquirentibus: vt notat Sanch. *lib. 2. consil. moral. cap. 3. disput. 98. num. 7.* qui tamen subdit *num. 8.* quòd si vota essent æqualia, vox illius qui maiorem habet hæreditatis portionem præponderaret.

32. Quòd si vota essent æqualia, vox illius qui maiorem habet hæreditatis portionem præponderaret.

33. Vltimò in hac copiosa materia, super est vt videamus quomodò & quando derogari possit iurispatronatus. Paucis concludendum est Papam sine dubio posse iurispatronatus tam Ecclesiastico quàm sæculari

derogare; sed super sæculari non ita facilè: nec in Gallia istam derogationem admitti. Causæ autem quibus Pontifex ad derogandum moueri solet sunt hæ: Primò, quando beneficium iurispatronatus vacat in Curia; quia licèt ex tali vacatione oriatur reueruatio clausa in corpore iuris ex *cap. 2. de præbend. in 6.* quæ non comprehendit beneficia iurispatronatus laicalis, vt supra diximus ex *Gloss. in dicto cap. 2. & ibid. Franc. Geminian. & alij;* tamen in casu talis vacationis censetur fundator se voluisse conformare consuetudini, & sic voluisse vt nemo se ingereret, dum Papa beneficia sic vacantia in Curia conferre vult: ita Viuian. de *iurepatronat. part. 3. lib. 14. cap. 4.* Lotter. de *re benefic. lib. 2. quest. 8. num. 98. & 99.*

Si tamen ageretur de iurepatronatus Regum, Papa illi non derogaret, etiamsi beneficia vel dignitates vacarent in Curia, Paris. de *resignat. lib. 2. quest. 4. num. 47.*

Secundò, Papa mouetur ad derogandum quando agitur de iurepatronatus mixto; hoc est partim clericali, partim laicali: vt per Viuian. *dict. cap. 4. Paris. dict. quest. 4. num. 49.*

Tertiò, quando agitur de iurepatronatus ex privilegio, vel consuetudine; tunc enim Papa derogat in totum. Paris. *num. 51.* Cassador. *decis. 4. de probat. & decis. 4. & vltim. de iurepatronat.* Lambertin. de *iurepatronat. lib. 2. par. 3. quest. 9. artic. 25.*

Quartò quando beneficium erat litigiosum in Curia Romana, Couarr. *præct. quest. cap. 36. num. 7. & 8.*

Quintò, derogatur iurispatronatus pro medietate: quod tamen sano modo intelligendum est. Nam derogari iurispatronatus pro medietate, nihil aliud est quàm reducere consensus per plures Patronos præstitos ad medietatem: vnde si præsentatio ad vnum spectet pro medietate, hoc casu non suffragatur derogatio per Papam facta hoc modo; nempe pro medietate: oportet igitur hoc casu quòd præsentatus tot habeat voces, quæ cum ista medietate faciant maiorem partem: vt explicat Paris. *dicto lib. 2. quest. 4. num. 54. & sequent.*

Sextò derogatur per Papam iurispatronatus laicali, quando orator vnus est ex Patronis. Paris. *ibidem num. 57.*

Septimò, in retentione beneficiorum promoti ad Episcopatum, Ratio est, quia conceditur retentio personæ iam à Patrono approbatæ. Paris. *num. 58.* Lotter. *lib. 2. quest. 8. num. 105.*

In Gallia non ita facilè iurispatronatus laicali derogatur, nec etiam pro medietate: vt diximus *lib. 1. cap. 32. num. 27.* licèt quandoque id fiat pro bono pacis. Pastor. *lib. 1. cap. 19. de iurepatronat. num. 28.* † vbi etiam nonnullos adfert casus, in quibus admittitur hæc derogatio. Rebuff. in *prax. in 3. parte Signatura, in verb. nec non iurispatronatus num. 12. & 36.* qui *ibid. à num. 10.* ponit plures casus in quibus valet prouisio, etiam sine derogatione iurispatronatus,

§. 10.

De collatione beneficiorum per concursum.

1. In beneficiis vacantibus per obitum, vel resignationem, etiam in Curia; requiritur quod prouisio fiat per concursum.
2. Concursus non adhibetur, nec est necessarius in resignationibus factis in fauorem; sed solum simplex examen sufficit, & dantur prouisiones in forma dignum.

3. *In Parochialibus quæ sunt de iure patronatus laicorum, concursus non exigitur.*
4. *In beneficiis regularibus concursus non est adhibendus.*
5. *Item nec quando Papa concedit Parochialem in forma dignum.*
6. *Nec in dignitatibus curam animarum actu habentibus.*
7. *Nec in Beneficiis iurispatronatus mixti ex Clericali & laicali.*
8. *Nec in Parochialibus unitis Canonici.*
9. *Nec in permutatione quæ fit inter duos Parochos iam examinatos, & approbatos ad Parochialem.*
10. *In Vicariis Parochialium unitarum Capitulis, vel aliis locis piis.*
11. *In Parochialibus unitis Capitulis prouidetur ad nominationem eorum, quibus Parochiales sunt unita, prætio tamen examine & approbatione Episcopi.*
12. *Si duo adsint presentati à Patronis ad Parochialem Ecclesiam habentes voces æquales, debet inter illos duos fieri concursus, & institui ille qui inter ipsos duos in concursu magis idoneus reperietur.*
13. *Si presentati à Patronis habeant vota inæqualia, ille præferendus erit qui vocum pluralitatem pro se habebit.*
14. *De forma obseruanda in instituendo concursu in Ecclesiis Parochialibus. Remissiuè.*

I. **N**onnulla de concursu, & examine in ipso faciendo, diximus lib. I. cap. 59. nunc pauca adiungemus.

Primò, quamuis concursus omninò necessarius sit regulariter in Ecclesiis Parochialibus vacantibus, siue per obitum, siue per resignationem etiam in Curia factam, vel quacumque alia ratione ad quemcumque collatio pertineat: ex Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 18. & constitutione 32. Pij V. quæ incipit *In conferendis*.

2. Dixi per resignationem, intelligendo de resignatione pura; si enim facta fuerit in fauorem, & admissa Parochialis beneficii resignatio; solùm inquiritur utrùm prouisus sit idoneus, nullo adhibito cõkursu, siue resignatarius sit præsens in Curia, siue non: & tunc solet dari prouisio in *forma dignum*. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 6. num. 121. dicens ita per Sac. Congregat. fuisse declaratum.

3. Tamen multi sunt casus in quibus concursus non debet adhiberi; veluti si agatur de beneficiis iurispatronatus Laicorum. Paris. de resignat. lib. 8. quæst. 9. num. 111. Quod ampliatur vt locum habeat, & non sit necessarius concursus, quando agitur de iurepatronatus quod ab origine erat totum laicale; sed deinde pro duabus tertiis per donationem à laico factam, fuit effectum clericale: vt decisum à sacra Congregatione testatur Barbof. in decis. Apostol. collect. 201. num. 9.

4. Item concursus non est adhibendus in beneficiis regularium; sed solùm examen super idoneitate: ita decidit Sacra Congregatio ex Gonzal. gloss. 6. num. 162.

5. Nec quando Papa confert Parochiales in *forma dignum*: quia tunc sufficit simplex examen. Vgolin. de Episc. part. 2. cap. 50. §. 3. num. 3. versic. Sextò.

6. Nec beneficia curam animarum habentia, quæ sunt verè dignitates. Garf. de benefic. part. 9. cap. 2. num. 195.

Nec beneficia quæ sunt iurispatronatus mixti; 7. idest partim laicalis, partim Ecclesiastici. Barbof. de offic. Paroch. cap. 2. num. 30.


Nec in Ecclesia Parochiali quæ est unita Canonicatui: quia nec ipse Canonicatus exercetur per concursum. Vgolin. ibid. num. 3. versic. Nonò.

Non fit etiam concursus in permutatione quæ fit 9. de duabus Parochiis; cùm vterque Parochus fuerit ad exercitium curæ iam approbatus. Limitatur tamen, si quis simplex beneficium cum alio curam animarum habente permutteret; Nam hoc casu qui beneficium curatum adipisci volet, examinabitur; non qui simplex. Vgolin. ibid. versic. Septimò.

Non exigitur quoque concursus in Vicariis Parochialium unitarum Capitulis, vel aliis locis piis: iuxta Bullam Pij V. † sed tali casu prouidetur ad nominationem & præsentationem eorum, quorum beneficiis vel dignitatibus, seu Capitulis beneficia sunt unita, præuio examine & approbatione Episcopi. Rot. decis. 16. num. 12. part. 6. recet. Burat. decis. 214. n. 1. Rot. decis. 102. num. 1. & 9. part. 1. recent. Caualer. decis. 595. num. 4. & 599. num. 1. Barbof. de iur. Eccles. lib. 3. cap. 6. num. 34. & 35. Lotter. de re beneficiar. lib. 2. q. 31. num. 1. Et illa Pij V. constitutio posterior est Concilio Tridentino, & habet vim Legis. Rot. apud Garf. de benefic. part. 9. cap. 2. num. 309.

Sed tamen notandum est quòd etiam si ageretur 12. de beneficio curam animarum habente, quod esset de iurepatronatus laicali, prouideri deberet per concursum inter duos præsentatos habentes vota æqualia; ad sciendum quis ex duobus sit magis idoneus: † sed si vota essent inæqualia instituendus esset is, qui 13. plures haberet voces; dummodo esset sub simplici examine repertus idoneus: sic decisum refert in Curia Archiepisc. Neapolit. Ricc. collect. 3163.

De forma obseruanda in concursu, non est 14. amplius hîc agendum; cùm ea sufficienter exponatur apud Barbof. de offic. & potest. Paroch. cap. 2. à num. 37.



CAPVT V.

De amissione beneficiorum. Et de variis modis quibus beneficia amittuntur.

§. 1.

De Simonia, Confidentia, Assassinio, Homicidio, Concubinato, & aliis delictis.

1. *Propter simoniam beneficium impetrari potest ante sententiam.*
2. *Quo remedio impetratio fieri possit ante sententiam in non vacantibus ipso iure.*
3. *In iurepatronatus simonia committitur, sed improprie.*
4. *Simonia in iurepatronatus non inducit priuationem illius, nisi per sententiam, non autem ipso iure. Quod intelligendum est si simonia committatur circa iurispatronatus, non circa beneficium; hoc enim secundo casu priuatio incurritur ipso iure: num. 5. & 6.*
7. *Simoniam non committi in venditione præbendæ, quomodo verum sit.*
8. *Simonia quomodo probetur. Et an socius criminis & muneris in testem admitti possit ad probationem simonia: num. 9.*

10. Confessio resignantis post resignationem non probat simoniam in praeiudicium resignatarij.
11. Quomodo admitti, vel reiici possint coniectura pro probatione simonia.
12. Confidentia inducit beneficij priuationem ipso iure, etiam in Gallia: & num. 14.
13. Confidentia agendo debet concludenter probari, secus excipiendo.
15. Decem annis purgatur in Gallia vitium confidentia.
16. Fallit si sit delictum continuatum; tunc enim semper durat.
17. De Assassinio.
18. De Homicidio.
19. De Concubinato.
20. De Adulterio.
21. De occultantibus corpus defuncti.
22. De simplici percussione. An & quando inducant priuationis poenam ipso iure, vel per sententiam; an non: Remissive.
23. Clericus non debet priuari beneficio propter delictum, quando fuit ad illius titulum promotus. Fallit in clerico propter concubinatum suspensio: num. 24.
25. Scandalosi praenotata monitione beneficiis sunt priuandi.
26. Aleatori publico collatio facta, nulla est ipso iure.

DE simoniae probatione & ad illam requisitis degimus lib. 1. cap. 27. Item de distinctione simoniae in veram & interpretatiuam, eod. lib. cap. 69. numer. 34. & cap. 97. numer. 16. & sequentibus. Et de simonia in beneficiis plura tradit Sanch. in consil. moralib. lib. 2. cap. 3. a numer. 1. ad 48. & a numer. 101. ad 123.

1. Paucis dico beneficium vacans per simoniam impetrari posse etiam ante declarationem priuationis; quia vacat ipso iure. † Immo in non vacantibus ipso iure fieri posse impetrationem ante sententiam cum clausula si constiterit: quando crimen tale est ex quo veniat imponenda poena priuationis, vel depositionis, tradit Rebuff. conf. 59. numer. 4. & 5. vbi dicit sic obseruari in practica, quando agitur de simoniaci, vt facto ad plenum narrato apponatur clausula sequens: si vocatis vocandis reperias dictam Ecclesiam vacare, conferre procures, Tali: de quo etiam per nos dicto cap. 27. num. 15.
3. Proprie autem simonia committitur in ordine, vel beneficio: vnde in iure patronatus proprie simonia non committitur, sed improprie: & hac ratione pactum initum inter Patronum, & praesentatum; vt iste filio vel nepoti praesentantis, aut alteri tertio renunciet, simoniacum dici potest: cap. final. de pact. fact. cap. de iure. de inrepatronat. cum similibus † Sed quia haec non est proprie simonia; ideo simoniacus in iurepatronatus non incurrit poenam excommunicationis, nec priuationem iuris patronatus ipso iure; sed tantum post sententiam declaratoriam. Sanch. in consil. moralib. lib. 2. cap. 3. dubit. 82. numer. 6. & 8.
5. Quod tamen cautè intelligendum est, nimirum vt procedat quando simonia consistit dumtaxat circa ipsum ius patronatus; veluti si ius patronatus vendatur, vel pro eo aliquid temporale detur; secus est si simonia committatur circa ipsum beneficium, quod est de iurepatronatus; veluti si Patronus praesentaret ad beneficium sub pecuniae vel alterius rei tem-

poralis promissione: tunc enim simonia esset circa beneficium, non autem circa ius patronatus: & sic oriretur ipso iure poena priuationis. Sanch. lib. 2. consil. moral. cap. 3. dubitat. 107. n. 5. versic. vbi dicit secus esse. † Et quòd non incurratur poena excommunicationis ipso iure; quando simonia versatur dumtaxat circa ius patronatus, etiam post Consil. Tridentinum bene probat Sanch. dicto cap. 3. dubitat. 82.

Similiter simoniam non committi in venditione praebendae tradit Veral. decis. 237. part. 3. Quod intelligendum est, quando praebenda venditur tanquam commoditas fructuum; quia hoc casu est res merè temporalis: secus si vendatur tanquam spiritalis, vel annexa spiritali. Ricc. collect. 2232. versic. simonia non committitur.

De probatione simoniae diximus praedicto cap. 27. 8. & de coniecturis ex quibus illa probatur agit Ricc. in decis. Archiep. part. 3. decis. 114. Tales autem sunt, publica vox, & fama, mutuum pecuniae eodem tempore factum, confessio clerici resignantis quamuis sit socius criminis, quae licet non probet; tamen facit adminiculum; vt ibi per eum. † Quamuis de socio criminis hoc non ita simpliciter admittendum sit: vt docet idem Ricc. collect. 1715. quando non est socius criminis, & muneris; id est praestitit operam gratis: nam si sit socius criminis & muneris, quia videlicet emolumentum inde fuerit assecutus, admittitur in testem: per text. in cap. 1. de testib. in 6. Verall. decis. 244. part. 3.

Quod autem de confessione dictum est, intelligi debet vt procedat, dummodo confessio facta sit ante resignationem: nam si resignans confessionem emitteret post resignationem, non noceret resignatario. Caualer. decis. 352. num. 6.

Sed aduertendum est quòd omnes illae coniecturae reiectae fuerunt super eodem negotio apud Mar. Antonin. lib. 3. resol. 34. qui omnino videndus est pro resolutione eorum quae tradit Ricc. dicta decis. 114. lib. 3.

Confidentia quoque priuationem beneficiorum ipso iure inducit, etiam in Gallia: vt diximus lib. 1. cap. 89. num. 17. Qua de re Louet litt. B. num. 9. Peleus lib. 1. action. forens. cap. 50. Adeo vt nec per transactionem purgari possit. Louet litt. B. num. 10.

Haec etiam plenè probanda est, & concludenter, quando agitur de priuatione beneficij; secus si ageretur de excludendo à beneficio eum qui nondum illud adeptus fuit: quoniam tunc sufficiunt leuiiores probationes. Ricc. collect. 1714. post Seraph. decis. 516. numer. 3. versic. neque hic agitur. Mantic. decis. 211. num. 11. Plura de probatione Confidentiae Ricc. collect. an. 2324. & ex quibus coniecturis arguatur. Menoch. de arbitrar. cas. 566.

Quòd autem confidentia priuet ipso iure, etiam ante sententiam declaratoriam, indubitatum est: vt docet Parif. de confident. quest. 58. num. 16. & 17. sicut per simoniam oritur priuatio ipso iure. Petr. Greg. de benefic. cap. 26. num. 1. & 2.

Et quamuis huiusmodi delicta spatio decem annorum purgari in Gallia voluerit Bleyne. de benefic. cap. vlt. in gloss. 5. num. 57.

Tamen hoc non habet locum quando agitur de delicto continuato, & tractum temporis habente: quia cum semper duret delictum successiuum, nullo lapsu temporis tegi potest. Charond. lib. 1. Respons. 47. in fin.

De Assassinio actum est lib. 1. cap. 27. num. 4. & sequent. & cap. 97. num. 23. & 24.

De Homicidio eod. lib. cap. 27. numer. 3. & cap. 97. numer. 26.

19. De Concubinato publico, vel non publico actum est *cap. 97. num. 1. & sequentib.*
20. De Adulterio *cap. 97. num. 14. & 15.*
21. De occultantibus corpus beneficiarij defuncti *cod. cap. 97. num. 18.*
22. De simplici percussione, & vulnere illato cum effusione sanguinis, *eodem cap. 97. num. 25.*
23. Hoc autem generaliter in supradictis omnibus casibus notandum est, quod clericus priuari non debet beneficio, quamuis commiserit delictum priuatione dignum, si ad illius beneficij titulum fuerit ordinatus, & aliunde non habeat vnde vivere possit. *Ricc. decis. Cur. Archiep. 185. part. 1. † qui tamen hoc limitat in Clerico propter concubinatum suspenso, cui succurri non debet nisi in articulo mortis, vel alia extremissima necessitate: vt ibi per eum. Donat. Anton. de Marin. lib. 1. resolut. cap. 37. num. ult.*
24. Scandalosi quoque & turpiter viuentes sunt priuandi beneficiis, non tamen nisi præuia monitione. *Gratian. discept. 991. numer. 16. ex Concilio Tridentino sess. 21. cap. 6. de reformat. vbi dicitur quod tales sic viuentes postquam præmoniti fuerint per Episcopos, coercendi & castigandi sunt: & si adhuc incorrigibiles fuerint priuandi sunt beneficiis iuxta sacrorum canonum constitutionem, quacumque appellatione & exemptione remota.*
25. Aleatori autem publico beneficium conferri non potest. *Ricc. in prax. aur. resolut. 119. & collectan. 2772. Quia cum talis sit infamis nulla est ipso iure: si tamen sit aleator occultus, collatio non est ipso iure nulla; sed irritari debet: ita vt nec sub prætextu consuetudinis excusandus sit. Rot. decis. 426. num. 2. & sequentib. part. 1. diuers. vbi etiã explicatur quando licitus sit clerico ludus modicæ quantitatis, recreationis causâ.*

§. 2.

De Irregularitate.

1. Laicus qui irregularitatem incurrit, si velit postea factus clericus impetrare beneficium, tenetur obtinere dispensationem super irregularitate incurta tempore status laicalis.
2. Clausula cum absolutione à censuris non comprehendit irregularitatem: & vide §. sequentis, num. 10.
3. Irregularis efficitur qui exercet ordinem quem non habet.
4. Item exercendo Pontificalia post suspensionem.
5. Item sententiam sanguinis pronunciando, aut illi auxilium prestando; non tamen per solam presentiam tempore executionis capitalis: & numer. 7.
6. Nec incurritur irregularitas per prolationem sententia super tortura, nisi ex ea mutilatio membri, aut sanguinis effusio oriatur.
8. Condemnatus in perpetuum ad Triremes, vtrum ex eo sit priuatus beneficiis non requirentibus residentiam, si de hoc nihil in sententia dictum fuerit.
9. Promotus ad sacerdotium ante 25. atatis sue annum, fit irregularis. Maxime stante constitutione Pij V. qua pœnam suspensionis indidit: num. 10.
11. Collatio facta illi qui in ordine Presbyteratus ante 25. sue atatis annum ministravit, nulla est ipso iure.
12. Limitatur tamen vt non procedat in eo qui est in probabili ignorantia.

13. Crassa & vincibilis ignorantia sufficit in ministrante in sacerdotio ante 25. annos, ad euandam irregularitatem.
14. Iuris ignorantia excusat ministrantem in sacerdotio ante legitimam atatem, vt non incurrat suspensionem.
15. Qui malè promotus fuit ante legitimam atatem, habens probabilem ignorantia, non desistens habitâ scientiâ sue atatis, peccat mortaliter; sed non est irregularis.
16. Episcopus dispensare potest, si irregularitas contracta per celebrantem ante legitimam atatem sit occulta.
17. Si quis publicè per plures annos quantumuis inhabilis celebravit, præsumitur dispensationem obtinuisse.
18. Dispensatio Episcopi super irregularitate occulta non suffragatur quoad forum exterius, si postea negotium in iudicium deducatur.
19. Super irregularitate in iudicium deducta solus Papa, seu sedes Apostolica dispensare potest.

DE irregularitate egimus *lib. 1. cap. 94. Item & cap. 97. num. 10.*

Quibus addo quod etiam si quis incurrerit irregularitatem, veluti proferendo sententiam sanguinis, aut alia ratione antequam beneficium impetraret; necessariò tenetur obtinere specialem dispensationem ab irregularitate iam incurta: nec sufficit clausula illa generalis *cum absolutione*, licet de tempore incurtæ irregularitatis esset laicus: & in hoc aduertere debent impetrantes beneficia, si dum essent in statu laicali, incurrerunt irregularitatem. *Rot. part. 2. recent. decis. 44. † Quia clausula illa cum absolutione à censuris non comprehendit irregularitatem.*

Irregularitas autem pluribus modis incurritur de quibus copiosè agit Farinac. *in fragment. litt. I. a num. 403.*

Exemplum in eo qui exercet ordinem quem non habet *cap. 1. de cleric. non promot. ministr. Vgolin. de irregularit. cap. 37. per tot. B. Antonin. de irregular. cap. 1. num. 2. & 3. Maceratenf. lib. 3. resolut. 16. in secundo casu.*

Item incurritur celebrando, & Pontificalia exercendo, postquam ab illis quis suspensus fuit. *Ricc. collect. 2673.*

Item sententiam sanguinis pronunciando, aut illi consilium, auxilium, aut assistentiam dando: nam Clerici id faciètes propter talem irregularitatem beneficiorum suorum priuationem incurrunt: *cap. ex literis. de excess. Pralat. cap. Clericis, ne Cleric. vel Monachi. secul. neg. se immisc. can. si quis viduam. 50. distinction. & ita iudicatum fuisse refert Torner litt. B. num. 59. † Vbi concludit non incurri irregularitatem per eum qui sententiam torturæ pronunciat, nisi talis & tam aspera esset tortura, vt ex ea membri mutilatio aut effusio sanguinis sequeretur.*

Eademque ratione non prohibetur clericis, vt sententiæ capitalis executioni sint presentes; dummodo nullam habeant iurisdictionem, & nihil cooperentur: *Bonacin. de censur. disput. 7. quest. 4. punct. 1. num. 16. Plura hac de re Farinac. in fragment. in verb. Clericus. num. 369. & sequentib.*

Sed quid dicendum de eo qui condemnatus est ad Triremes in perpetuum, an sit ipso iure priuatus suis beneficiis, in quibus non requiritur residentia? Distinguendum est: Aut enim fuit condemnatus pro crimine, pro quo non incurritur pœna priuationis ipso iure, veluti pro simplici homicidio non qualificato: & tunc nisi in condemnatione adiecta fuerit pœna

pœna priuationis beneficij, per condemnationem ad triremes non priuatur beneficijs. Aut verò propter delictum pro quo quis condemnatur ad triremes, incurritur pœna priuationis ipso iure, veluti si agatur de eo qui litteras Apostolicas falsificauit, aut alio simili delicto pœnam priuationis ipso iure inferente: & tunc licet in sententia condemnatoria nihil fuerit dictum de priuatione beneficij, tamen priuatio absque alia expressione censetur indicta, & declarata per quandam necessariam consequentiam. Ita Nouar. *apud Ricc. in decis. Cur. Archiep. Neapol. part. 2. decis. 95.*

Aliud exemplum irregularitatis esse potest in eo, qui ante 25. suæ ætatis annum ad sacrum Præbiteratus ordinem promotus est, contra Concilij Trident. constitutionem *sess. 23. cap. 12. & Clement. fin. de atat. & qualitat. & ordine præficiend.* siquidem secundum iuris communis dispositionem, iste suspensus manet ante ætatem legitimam dumtaxat, Rebuff. *in prax. tit. de Cleric. ad ordin. malè promot. gloss. 2. num. 18.* Et hæc suspensio de iure communi non inducebat irregularitatem ipso iure, aduersus ministrantes in ordine illo sic malè collato. Franc. *in cap. eos num. 5. de temporib. ordinat. in 6. Conarruu. in Clementin. si furiosus. §. 1. num. 4. part. 1. de Homicid.*

Ex constitutione verò Pij II. incipiente, *Cum ex sacrorum.* tales ante legitimam ætatem sacros ordines suscipientes declarantur ipso iure suspensi; & præterea declarantur irregulares, si pendente suspensione in ordine, à quo suspensi sunt, ministrare præsumperint.

Ideo collatio beneficij facta tali sic ministranti ante legitimam ætatem est ipso iure nulla. Verall. *decis. 238. num. 4. part. 2. Rebuff. de pacific. possess. num. 226.*

Quod tamen limitandum est vt non procedat, quando sic promotus & ministrans ante legitimam ætatem fecit hoc ex probabili ignorantia: quia constitutio Pij II. solum emanauit aduersus eos qui ante legitimam ætatem sacros ordines suscipere, & in eis ministrare temerè præsumperint. Barbof. *de Episcop. allegat. 16. num. 17. & sequent. Scott. in consuet. summ. Pontif. Theoremata. 108. in Epitom. 39. versic. exipinuntur.* Caualer. *decis. 1. num. 1. 2. & 3. repetita decis. 200. part. 2. recent.* Idem Barbof. *ad Concil. Trident. sess. 23. cap. 12. num. 10. & cap. vel non est compos. 14. num. 8. de tempor. ordinat. † Immo ad euitandam irregularitatem hanc, sufficit crassa & vincibilis ignorantia, ex Dian. part. 3. tract. 4. resolut. 192. Auila, de censur. part. 3. disput. 5. dubitat. 7. vbi id procedere vult, dummodo absit dolus & ignorantia affectata: vt in dicta dubitat. 7. versic. pro intelligentia.*

Bonacin. *de suspens. disput. 5. num. 2. versic. ex quo patet †* Et quod plus est, iuris ignorantiam illum excusare qui ignorabat induci pœnam suspensionis ipso iure, tenet Quarant. *in summ. Bull. in verb. Ordo in 1. limitat. versic. notandum.* Ibi, *secundo modo accidere potest. fol. mihi 487.* Couarr. *in dicta Clementin. si furiosus. part. 1. §. 1. n. 4. versic. Is verò qui bona fide.*

Adeo vt superueniente scientiâ sic promotus celebrare non impediatur, nec irregularitatem incurrat; sed tamen peccati mortalis reus fiat, si non fuerit dispensatus. Diana *dicta part. 3. tract. 4. resolut. 182.* quamuis aliqui existimēt illum nullo modo peccare: vt *ibid.* ostenditur.

Sed si impedimentum sit occultum, Episcopus dispensare super eo potest in vim Concil. Trident. *sess. 24. cap. 6.* Bonacin. *de suspens. disput. 3. punct. 5. num. 2. versic. Tertio.* Ricc. *in prax. aur. variar. resolut. cap. 105.* idque quamuis celebratio sit publica.

Ricc. *dicto cap. 105. num. 2. †* Quæ dispensatio præsumitur si talis sic promotus publicè per plures annos

celebrauerit, & pro Sacerdote se gesserit, nisi grauioribus in contrarium adsint conjecturæ. Caualer. *dicta decis. 1. num. 6.* Ancharan. *consil. 117.* Lotter. *de re benefic. lib. 2. quest. 47. num. 97. †* Sed tamen notandum est hanc Episcopi dispensationem non prodesse, si postea res deducatur ad controuersiam fori exterioris; cum tantum hoc casu remaneat valida quoad forum conscientie. Garf. *de benefic. part. 7. cap. 11. num. 52.*

Sed si irregularitas deducenda esset ad forum contentiosum, solus Papa super ea dispensare posset, aut is qui à Papa dispensandi facultatem habet. Gratian. *discept. forens. 837. num. 13. & 14.*

§. 3.

De excommunicatis, & infordescensibus in excommunicatione.

1. Collatio beneficij facta excommunicato est ipso iure nulla.
2. Absolutio ab excommunicatione postea superueniens, non conualidat collationem beneficij factam excommunicato.
3. Habilitas & capacitas debet adesse tempore collationis, nec sufficit si postea superueniat.
4. In Graduatis capacitas inspicitur tempore collationis.
5. Explicatur Maynard lib. 1. cap. 55.
6. Clausula Têque absolutes, validam reddit collationem factam excommunicato.
7. Clausula absolutionis in literis contenta, solum suspendit excommunicationem ad effectum validitatis gratie, non autem quoad alios effectus.
8. Clausula absolutionis contenta in Bullis non facit vt excommunicatus celebrare possit.
9. Clausula illa absolutionis non operatur quoad aliud beneficium in prouisionibus non contentum.
10. Clausula Têque absolutes &c. non tollit irregularitatem.
11. Neque operatur quoad infordescens.
12. Infordescens verum primandi sint beneficijs si per annum, an verò per triennium permanserint in excommunicatione: & concluditur sufficere annum.
13. Vi quis dicatur infordescens ob perseuerantiam in excommunicatione per annum, annus debet esse continuus & completus: quia tempora non coniunguntur.
14. Annus quoad infordescens non debet numerari à die incurse; sed à die declarata excommunicationis.
15. Infordescens tollitur per diligentias factas pro obtinenda absolutione.
16. Intellige dummodo diligentia, & signa pœnitentia interuenierint intra annum.
17. Verum incurratur priuatio propter infordescensiam; videndum est si excommunicatio lata fuerit propter crimen, propter quod inducatur priuatio ipso iure: tunc enim habetur delinquens pro confesso, & conuicto; & sic priuatur.
18. Quando contumax fuit excommunicatus ob delictum ex quo non venit pœna priuationis ipso iure, potest post annum priuari; sed noua requiritur citatio.
19. Si nec ipso iure; nec per sententiam priuatio ex delicto imponi possit, infordescens pœna arbitraria

bitroia plectendus est; non tamen beneficio etiam per sententiam priuandus.

1. Collatio beneficij facta excommunicato, est ipso iure nulla: *cap. postulastis. & ibi Gloss. & DD. de Cleric. excommunic. ministrante Selu. de benefic. part. 3. quæst. 4. Paris. lib. 4. quæst. 3. à num. 44. & lib. 5. quæst. 6. à num. 77. †. Neque reconualefcit collatio facta excommunicato, quamuis postea absolutionem obtinisset. Rebuff. in Concordat. tit. de excommunic. non euitand. versic. Aduertendum est. † Quia Regula generalis est, quòd habitas & capacitas requiritur tempore prouisionis, nec sufficit si postea superueniat. Gratian. *discept. forens. 508. num. 10.**
2. † Sicut in Graduatis habitas non ad tempus nominationis, sed ad tempus prouisionis referenda est: vt refert decisum Tornet *lit. B. num. 29.* quamuis dubitare videatur *ibidem num. 62.* † Quamuis etiam Maynard *lib. 1. cap. 55.* contrarium determinare videatur; tamen decisio illa procedit quando inhabilis obtinuit postea rehabilitationem, & non est alicui tertio intermedio tempore ius quæsitum: vltra quod illa diuisio procedit in possessorio summarissimo, & ex speciali consideratione personæ impetrantis: vt ibi legi potest.
3. Sed ad euitandam exceptionem excommunicationis, apponi solet in literis illa clausula, *Et cum absolutione à censuris &c.* & in Bullis apponitur illa clausula *Tè que à quibusvis excommunicationis censuris & sententijs &c. absoluentes:* cuius hic est effectus, vt per eam gratia reddatur valida & efficax, non obstante quacumque exceptione excommunicationis. *Garf. de benefic. part. 7. cap. 13. num. 59.* † Et hæc clausula cum non operetur veram & perfectam absolutionem, sed solùm suspendat impedimentum proueniens ab excommunicatione, donec gratia fortiatur effectum; quo sequuto, statim impetrans reincident in excommunicationem. *Garf. dicta part. 7. cap. 13. num. 62. Ricciull. de person. extr. grem. Eccles. existens. lib. 4. cap. 9. num. 4.* † Ideo talis sic per illam clausulam absolutus celebrare non poterit: *Garf. num. 65. Ricc. num. 5.* † Nec aliud beneficium obtinere à collatore ordinario qui non potest absolvere, nec à Papa nisi absoluator. *Ricciul. num. 6.*
4. Sed non prodest hæc clausula ad tollendam irregularitatem, vt diximus in §. *precedent. num. 2.* & tradit. *Mart. de clausul. part. 1. cap. 47. num. 5. Campanil. in diuersor. iur. Canon. rubr. 11. cap. 15. num. 22.*
5. † Qui addit *numer. 23.* hanc clausulam nihil operari pro inforDESCENTIBUS in excommunicatione. *Caren. de offic. Inquisit. part. 2. tit. 8. §. 7.*
6. InforDESCENTES autem vtrum priuandi sint beneficij, dubitari potest: pro cuius dubij resolutione sciendum est, quòd inforDESCENS dicitur ille, qui permanfit in excommunicatione per annum. Quamuis enim in *cap. cum bona. de atat. & qualir. Papa* narrando factum loquutus fuerit de trienniali perseuerantia, & *Rip. in cap. 1. de iudic. num. 78.* videatur loqui de triennio; tamen omnes communiter inforDESCENTEM vocant, qui per annum in excommunicatione perseuerauit: vt per *Gloss. in dicto cap. cum bona. in verb. spoliare. & ibi Hostiens. num. 7. Io. Andr. num. 10. Ricciull. dicto lib. 4. cap. 7. num. 1.* † Sed annus iste debet esse completus; nam quoad effectum inforDESCENTIAE, tempore non coniunguntur: vt sacra Concilij Congregatio declarauit, teste *Gratian. lib. 1. discept. 119. n. 8.*
7. Seraphin. *decis. 1285. numer. 5.* † Numeratur autem annus non à die quo incurfa, sed à die quo declarata fuit excommunicatione: vt tradit post alios *Cæs. Caren. in tract. de offic. sanct. Inquisit. part. 2. tit. 8. §. 1. n. 5.*

Tollitur inforDESCENTIA per diligentias factas pro 15. obtinenda absolutione. *Rota post consil. Farinac. decis. 196. per tot. & per petitionem absolutionis, aliòfque pœnitentiæ actus. †* Intelligendo tamen quando istæ diligentia & signa pœnitentiæ sunt intra annum, reiectâ opinione triennij; vt supra dictum est. *Ricc. collect. 1961. Rot. vbi supra, decis. 202.*

Hoc præsupposito, Dico primò quòd si Excommunicatio lata fuerit propter crimen, quod ipso iure priuat clericum beneficio; tunc censetur ipso iure priuatus: quia habetur pro confessio, & conuictio, in pœnam suæ inforDESCENTIAE & contemptus excommunicationis.

Dico secundò, quòd si sententia lata fuerit propter crimen, quod non priuat beneficiis ipso iure, sed venit per sententiam declaranda priuatio; inforDESCENS potest post contractâ inforDESCENTIAM beneficiis per sententiam priuari; sed transacto anno, requiritur noua citatio. *Gratian. dicto cap. 119. num. 6.*

Dico tertio, si excommunicatio laxata fuerit propter crimen, propter quod non veniret quis priuandus beneficio; tunc propter inforDESCENTIAM, si nihil aliud concurrat quod pœnam priuationis mereatur, non est clerico imponenda; sed alia duntaxat iudicis arbitrio. Has tres conclusiones ponit *Rot. apud Seraphin. decis. 1285. num. 1. & post illam decis. Ricc. dict. collect. an. 1961. Gratian. dict. cap. 119. num. 1.*

§. 4.

De defectu clericatus, Bigamia, & vacatione ob matrimonium.

1. *Laici beneficiorum sunt incapaces; ideo Clericatus semper probandus est.*
2. *Clericatus probatur per literas patentes Ordinarij: Et per indicia & coniecturas: num. 3. per testes de fama: num. 4. per confessionem partis in precibus: num. 5.*
6. *Bigamus incapax est beneficij, quamuis ante coniugium fuisset Clericus.*
7. *Bigamus non amittit characterem Clericalem, sed est incapax omnium functionum Clericalium, & est tanquam merus Laicus. Ideo est incapax pensionis. num. 8.*
9. *Bigamia requirit consummationem matrimonij, alias non contrahitur.*
10. *De triplici Bigamia, vera, interpretatiua, & similitudinaria.*
11. *Solus Papa dispensat super Bigamia vera, & interpretatiua.*
12. *Bigamia est irregularitas, sed non procedit ex aliquo delicto.*
13. *In Bigamia similitudinaria Episcopus dispensare potest, & quomodo hoc ad praxim reduci possit.*
14. *Prelati regulares eodem modo quo Episcopi dispensare possunt suos religiosos super Bigamia similitudinaria.*
15. *Per matrimonij contractum beneficia vacant ipso iure. Ampliatur etiam non secutâ copulâ, dummodo per verba de presenti. num. 16.*
17. *Pensiones amittuntur per contractum matrimonij.*
18. *Ampliatur vt procedat, etiamsi matrimonium esset nullum aliter quàm ex defectu consensus.*
19. *Quid si constitutus in sacris, nulliter & de facto matrimonium contraxerit.*
20. *Quid si matrimonium factum fuerit sine Parocho proprio, & testibus contra formam Concilij.*
21. *Quid*

21. *Quid si nullum sit ex defectu consensus. Et num. 23.*
22. *Licet beneficia ob contractum matrimonij vacent ipso iure, tamen requiri sententiam declaratoriam censuit Senatus Neapolitanus.*
24. *Pensiones etiam ob matrimonium nullum amitti, dummodo non ex defectu consensus, Rota Romana indicauit.*
25. *Verior est Rota sententia, quod etiam ob matrimonium nulliter contractum inducatur vacatio beneficiorum ipso iure.*
1. **S**unt & alia causa propter quas amittuntur beneficia, quas breuiter recensere debemus.
- Prima, defectus Clericatus: quia laici sunt beneficiorum incapaces, adeo ut neque detur alicui manutentio in summarissimo possessorio, nisi doceat se esse Clericum. Abb. *in cap. in literis. de restitut. spol. Pacian. de probat. lib. 2. cap. 34. num. 61.*
2. Probatum autem Clericatus primò ex literis patentibus Ordinarij. Rot. *decis. 97. num. 14. partis 4. recentior. tom. 2. Tamburin. de iur. Abbat. part. 2. disputat. 2. quest. 18. num. 7. vbi loquitur de attestacione facta per Prælatum regularem. Rot. decis. 248. num. 2. part. 1. in recentiorib. † Item probatur per indicia & conjecturas. Boër. *decis. 171. num. 23. 24. & 25. † Item per testes de communi reputatione, & fama. Ludouis. decis. 394. num. 2. veluti si probatum fuerit quem pro Sacerdote se gessisse publicè per plures annos. Mascard. conclus. 305. num. 2. Item probatur Clericatus & confessione patris in precibus. Burat. *decis. 300. num. 4.***
3. Secunda, Bigamus incapax est beneficij, quamuis ante Bigamiam ad Clericatum promotus fuisset: quia licet non amittat characterem Clericalem, qui indelebilis est; Ludouis. *decis. 56. num. 9. † Tamen priuatur omni exercitio & priuilegio Clericali, merisque laicus censetur. Garf. part. 7. cap. 6. num. 2. †*
4. Ideo incapax est pensionis. Addit. *ad dictam decis. 9. 516. liter. B. † Dummodo matrimonium fuerit per eum consummatum: vt in dicta Addit. & ad Burat. decis. 791. num. 11. & num. 2.*
5. Triplex est Bigamia: vera est, quando quis secundas contraxit nuptias. *Glof. in cap. 2. de Bigam. Interpretatiua, cum quis viduam in vxorem accepit, illamque cognouit; cap. à nobis. de Bigam. cap. si quis viduam. 34. distinction. Et idem erit, si cum virgine post adulterium per eam commissum cognita, aut ex duobus matrimonijs inualidis consummatis, aut vno valido, alio verò inualido: & dicitur interpretatiua, quia fingitur quis duas veras & legitimas habuisse vxores. Similitudinaria Bigamia dicitur, quæ oritur ex matrimonio contracto, & consummato etiam cum virgine per eos qui ordine sacro initiati aut voto solemnii adstricti sunt: cap. final. de Bigamia. Garf. de benefic. part. 7. cap. 4. num. 15. Quia licet matrimonium huiusmodi sit nullum; tamen qui sic contrahit, sit irregularis; & per consequens non potest susceptum ordinem exercere, nisi præuia dispensatione. Omnes isti bigami sunt incapaces beneficiorum: cap. vnic. de Bigam. in 6.*
6. Super Bigamia dispensare spectat ad Papam, si de vera, vel interpretatiua agatur: idque tam quoad ordines, quam quoad beneficia: *dicto cap. si quis viduam 34. distinction. & canon. si quis viduam. 50. distinct. Corrad. de dispensat. lib. 2. cap. 1. num. 18. & melius. cap. 2. num. 22. vbi affertur declaratio sacre Congregationis Concilij, quæ etiam habetur similis, circa Bigamie interpretatiuæ ab Episcopo non concedendam dispensationem, apud Barbof.*
- in collect. Bullar. cap. 69.*
- Neque obstat Concil. Tridentin. *sess. 24. cap. 6. 12.* concedens Episcopo facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto procedentibus: quia licet ista quandoque ex delicto prouenire possit, tamen hoc est per accidens: quia eius principale fundamentum non est ex delicto; sed ex pluralitate coniugiorum, seu vxorum, vt docet Lezan. *in summa, in verb. Bigamus. num. 4.*
- In bigamia autem similitudinaria potest Episcopus dispensare cum eo, qui contraxit cum virgine: *cap. 1. qui Cleric. vel vouent. Lezan. ibid. dict. num. 4. Ideo potest permittere, si delictum sit occultum, & agatur de Clerico sibi subdito, aut religioso non exempto; vt ille qui post votum vel religionis ingressum, nulliter & de facto matrimonium contraxit, si pœnitentiam egerit, possit in ordine suo ministrare: vt ostendit Sanch. de matrimon. lib. 7. disputat. 86. num. 22. & 23. †. Et quod de Episcopis dictum est, eadem ratione procedit in Prælatibus regularibus. Lezan. in dicto verb. Bigamus. num. 6.*
- Tertia, matrimonium validè contractum à Clerico in minoribus ordinibus constituto, beneficia per eum possessa vacant ipso iure: adeo vt nec illa alicui resignare queat. Sanch. *de matrimon. lib. 7. disputat. 42. num. 4. Ricc. collect. 813.*
- Ampliatum primò, vt amittantur beneficia ipso iure per matrimonium per verba de præsentibus, etiam non sequentia copulata; adeo vt si sponsa de præsentibus, antequam fuerit sequuta consummatio matrimonij, religionem ingrediatur; ille qui cum ea contraxit non recuperet sua beneficia. Sanch. *ibid. num. 5. & 6. Ricc. dict. collectan. 813. † Nec solum amittuntur beneficia per contractum matrimonij; sed etiam pensiones. Gig. de pension. quest. 54.*
- Ampliatum secundò vt procedat, quamuis matrimonium esset nullum; dummodo nullitas aliunde procedat quam ex defectu consensus. Quia qui matrimonium contrahit, eo ipso habuit beneficium pro derelicto, & non debet esse melioris conditionis quam is, qui licitè contraxit. Neque inspicienda est facti validitas, sed factum ipsum. Rot. coram Lancelloti. *in Lucana, de Insula Sancta. Apud Farinac. post eius consilia, decis. 8. vbi num. 4. explicatur quando dicatur deficere consensus, nempe quando quis per metum contraxit, vel non habens intellectum: non autem quando consensus est præstitus, lex tamè ipsum annullat.*
- Aliqui tamen existimant non vacare ipso iure beneficia eius, qui in sacris ordinibus constitutus iniit matrimonium: vt Sanch. hoc probabilius existimans, & expectandam esse priuationis sententiam: *dicto lib. 7. disputat. 43. num. 4.*
- Immo nec eius qui non seruata formâ Concilij contraxit, veluti sine Parocho proprio, & testibus; reprobata *dicta decis. 8. Lancelloti, inserta post consil. Farinac. quam etiam inserit & reprobat Garf. de benefic. part. 11. cap. 8. num. 14. Contrarium quoque tenet Donat. Anton. de Marin. lib. 1. resolut. 60. num. 5. idem de pensionibus dicens num. 9. de quibus copiosè Sanch. de matrimon. lib. 7. disputat. 44. Addit. ad Burat. decis. 791. num. 8. vt scilicet non vacent hoc casu beneficia ipso iure, sed expectanda sit sententia. Quod etiam rejecta illa decisione existimauit Ricc. *dicto collect. 813. Sanch. dict. lib. 7. disputat. 43. num. 4.**
- Conueniunt omnes matrimonium nullum ex defectu consensus non inducere priuationem beneficiorum: vt per Rot. *dicta decis. 8. Sanch. dict. disputat. 43. num. 7.*

22. In controuersia autem principali de matrimonio, quod nullitatis vitio laborat; Sanfelice. *decis.* 15. relatis omnium sententijs tandem concludit, siue matrimonium nullum scienter, siue ignoranter contractum fuerit, beneficia vacare quidem ipso iure; sed expectandam esse sententiam facti declaratoriam: nisi factum ad eò notorium esset, vt non esset expectanda sententia, vel declaratio. † Si tamen nullitas procederet ob non obseruatam formam Concilij Tridentini, nihil determinat; sed remittit se ad notata per Garf. *dicto cap.* 8. *num.* 13. & Ricc. *in prax rer. for. Eccles. decis.* 240. *num.* 2. qui aliud sentit *dicto collectan.* 813. † Mihi placeret sententia Garf. & Riccij nisi obstaret authoritas Rotæ, cui deferendum existimo: nam & indistinctè si matrimonium sit nullum aliter quàm ex defectu còsensus, pensiones amitti decisum est apud Caualer. *decis.* 166. *num.* 3. Addit. ad Burat. *decis.* 791. *num.* 10.
23. Et in proprijs terminis matrimonij nulliter contracti, quòd ipso iure inducatur ex eo vacatio beneficiorum, tenuit eadem Rota Roman. *decis.* 250. *num.* 21. *part.* 7. *recentior.* post Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.* 15. *in princip.* *num.* 43 & 44. & *gloss.* 57. *ex num.* 44. Nos igitur à Rotæ sententia recedere non debemus.

§. 5.

De defectu ætatis, literaturæ, natalium, delationis habitus, & tonsuræ; & de professione religionis:

1. Collatio beneficij non subsistit facta ætatem non habenti.
2. Ampliatur, etiamsi quid minimū ad ætatem desit.
3. Sola expressio ætatis facta summo Pontifici, absque alia dispensatione, sufficit ad validam reddendam collationem factam illi, qui non habet ætatem ad beneficium requisitam; quamuis non fuerit derogatum Concilio Tridentino.
4. Illiterato facta collatio, quando non valeat.
5. Illiteratus virum possit iuari regula de triennali.
6. Defectus Literaturæ quomodo probari possit.
7. Illiteratus in materia beneficali quis dicatur.
8. Literaturæ defectus indispensabilis est.
9. In beneficijs curatis qua requiratur Literaturæ.
10. Litteraturæ que requiratur in beneficijs iurisdictionem habentibus.
11. Quod totum dependet ab arbitrio Episcopi.
12. Illegitimi sunt incapaces beneficiorum nisi fuerint dispensati.
13. Illegitimi etiam in Gallia ad beneficia sine dispensatione non admittendi.
14. Dispensatio ad obtinendam pensionem virum suffragetur ad obtinendum postea Clericatum. Proponitur affirmatiua sententia: qua tamen in dubium reuocatur, *num.* 16.
15. Episcopus conferens Clericatum illegitimo, non censetur cum eo tacitè dispensare; sed requiritur expressa dispensatio.
17. Illegitimi non sunt admittendi ad beneficia, in quibus fundator disposuit solos ex legitima linea descendentes admitti.
18. Habitum & tonsuram deferre tenetur qui beneficium obtinet, aut pensionem excedentem summam 60. ducatorum: aliàs potest beneficio & pensione priuari.
19. Militia seculari se adscribi faciens, ipso iure beneficij priuatur.

20. Professione religionis, non autem simplici ingressu, beneficia professi vacant ipso iure.
21. Nouitius, virum durante anno nouitatus, possit beneficia sua quando voluerit resignare; an verò teneatur expectare duos vltimos menses ante professionem, & adhibere licentiam Episcopi, seu eius Vicarii, iuxta formam Concilij sess. 25. de regular. cap. 16. Proponitur affirmatiua sententia.
22. Verius tamen, & receptius est nouitium non posse resignare durante anno nouitatus; nisi in vltimis duobus mensibus, & seruata formâ Concilij.

Quanam ætas ad beneficia requiratur; diuersis in locis explicauimus.

Nunc in genere dicere sufficiat, prouisionem factam non habenti legitimam ætatem, nullam esse: *cap. licet Canon. de elect. in 6.* quod præcipè locum habet, stante decreto irritanti apposito in Concilio Tridentino, quod facit vt actus in contrarium factus reddatur ipso iure nullus: nec inducitur dispensatio per clausulas generales appositas in rescripto. *Parif. de rescriptat. lib. 4. quest. 9. num. 34.*

Idque procedit etiamsi ad ætatem legitimam quid minimum deesset, *Garf. de benefic. part. 7. cap. 4. num. 84.*

Sed hinc in praxi notandum est, quòd dum Papa alicui prouidet de beneficio in ætate, quæ minor est illâ quam tale beneficium requirit; etiamsi id sit contra Concilij Tridentini constitutiones, non requiritur quòd Papa expressè dispense; sed ex certa scientia facta prouisio sufficit: quamuis nulla fiat mentio dispensationis. Vnde si minori vndecim annis fiat prouisio, sic exprimitur in literis: *Nos volentes tibi, qui in vndecimo tue ætatis anno constitutus es, &c.* Quibus verbis Pontifex ostendit se habere scientiam inhabilitatis, & indulgere potius dicitur quàm dispensare: cum in Concilio Tridentino saluam semper remanere summi Pontificis authoritatem fuerit constitutum: vt explicat *Corrad. in prax. dispensat. lib. 4. cap. 2. num. 45. & sequentib.*

Secundò, collatio beneficij facta illiterato nulla est, si tempore prouisionis non adsit spes futuri studij & eruditionis; aut saltem venit irritanda, si prouisus erudiri non curauerit. *Gonzal. ad regul. 8. gloss. 4. num. 47. Garf. de benefic. part. 4. cap. 7. num. 20. † 5. Adeo vt illiterato non profit regula de triennali. Rebuff. de pacific. possess. num. 206. iuncto num. 261. & sequentib.* † Iste autem defectus literaturæ probatur per rei euidenciam. *Holtiens. in cap. fin. de atar. & qualit. ordin.*

Quæ autem Literaturæ requiratur in beneficijs, aliquid diximus supra *hoc lib. 2. cap. 3. §. 12. num. 18.* † In genere dicendum est, quòd in hac materia illiteratus dicitur, qui prima Grammaticæ Rudimenta non nouit; adeo vt sit incapax recitandi diuinum officium, cum quo propterea difficillimè dispensatur: quia talis censetur indignus. *Gloss. in cã. de his. distinet. 28.* Et collatio illi facta non subsistit. *Abb. in cap. cum nostris. de concess. prebend. † Et istum literaturæ defectum esse indispensabilem testatur Pyrr. Corrad. in prax. dispensat. lib. 4. cap. 2. num. 63.* Habitâ autem notitiâ còstructionis Grammaticalis, hoc sufficit in simplicibus beneficijs: † In habentibus verò curam animarum, talis requiritur scientia, vt Leporam à Lepra discernere possint. † In dignitatibus habentibus iurisdictionem, requiritur scientia iuris Canonici: † & aliàs totum positum est in iudicis arbitrio. *Gonzal. ad regul. 8. gloss. 4. num. 68. & sequent. maxime*

ximè num. 78. Rot. in antiqu. de probat. decis. 13. num. 4. Lotter. de re beneficiar. lib. 2. quest. 50. num. 44. & multis sequentib.

22. Terriò, de illegitimis quoad pensiones Ecclesiasticas actum fuit supra hoc libro cap. 1. §. 4. num. 10. Nunc addimus illegitimos tam ordinum, quam beneficiorum esse incapaces: cap. innotuit. cap. cum in cunctis. de elect. cap. 1. & vlt. de fil. presbit. cap. 1. eodem tit. in 6. & diximus lib. 1. cap. 8. num. 1. & 2. vbi ostendimus, quando Episcopus super natalibus ad
23. simplicia beneficia dispensare possit. † Dictaque incapacitas illegitimos obseruatur etiam in Gallia: vt habetur apud Tornet, litter. B. num. 27.
- Circa quod notandæ sunt duæ conclusiones, quas
14. ponit Grabriel. consil. 189. lib. 1. † Prima, quod si Papa cum illegitimo dispensauerit, vt postquam caractere Clericali fuerit insignitus, pensionem obtinere possit; noua requiritur dispensatio dum Clericatum assequi vult. † Secunda, quod Episcopus quamuis sciat aliquem esse illegitimum, si ei conferat Clericatum, non censetur dispensasse tacite; sed requiritur expressis verbis facta dispensatio: adeo vt nec attestatio suæ notitiæ, & animi dispensandi postea ex
15. interuallo per Episcopum facta sufficiat. † Quoad primam conclusionem subsistendum existimo, quia Papa dispensando cum illegitimo vt pensionem obtinere possit, postquam Clericali caractere fuerit insignitus, videtur cum eo ad Clericatum dispensasse, sine quo pensionem ex ipsiusmet Pontificij rescripti dispositione obtinere non potest.
16. De dispensatione cum illegitimis aliquid notat Anton. de Marin. lib. 1. quotid. resol. cap. 168. & cap. 226. vbi ostendit dispensationem non suffragari illegitimo, quando fundator illos solum admitti voluit, qui essent ex legitima linea; nisi expressè foundationi fuerit derogatum.
17. Quartò, pœnam priuationis incurrit, qui beneficium obtinet, vel pensionem excedentem summam sexaginta ducatorum de Camera, iuxta constitutionem Sixti V. si non incedat in habitu & tonsura Clericali. Rot. decis. 158. num. 16. part. 1. recent. † vbi id multo magis procedere dicitur, si se militiae seculari Clericus adscripserit: quia eo ipso censetur renunciare beneficio, & inducitur vacatio ipso iure. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 15. num. 53. ad 56.
18. Quintò, per professionem religionis beneficia omnia professi ipso iure vacant: quod intelligendum est, lapso tēpore nouitiatus, & facta actuali professione. Rot. decis. 543. num. 4. part. 2. recentior. Et ideo ille cui ius conferendi competit, statim post emissam professionem potest liberè beneficia professi conferre; cum religiosi sint omninò incapaces beneficiorum secularium sine dispensatione: cap. cum de beneficio. de Prabend. in 6.
19. Sed non leuis est dubitatio, vtrum nouitius durante anno nouitiatus possit resignare sua beneficia; an verò teneatur expectare duos menses vltimos sui nouitiatus, & procedere iuxta formam Concilij Tridentini. sess. 25. de regularib. cap. 16. quo cauetur nullam renunciationem factam per nouitios esse validam; nisi fiat intra duos menses proximos ante professionem; cum licentia Episcopi, seu eius Vicarij; & nullum sortiri possit effectum, nisi sequutâ professione. In qua quæstione Garf. de benefic. part. 11. cap. 9. num. 12. censuit validam esse nouitij renunciationem, quamuis facta fuerit non seruata formâ Concilij, & illi subscripsit Barbof. de Episcop. allegat. 99. n. 19.
20. Sed idem Barbof. communem opinionem esse in contrarium docet in tract. de iur. Eccles. vniuers. lib. 1. cap. 42. num. 233. vbi plures huius sententiæ au-

thores allegat. Hanc igitur sententiam amplecti debemus, præsertim quia sæpe ita responsum fuisse à sacra Congregatione testatur Paris. de resignat. lib. 3. quest. 13. num. 5. & pluribus rationibus comprobatur apud Sanch. in præcept. decalog. lib. 7. cap. 5. num. 37. & 38. Mar. Anton. lib. 1. resolut. 112. cas. 62. Campanil. in diuersor. iur. Canon. rubr. 12. cap. 3. num. 10. Mirand. in manual. Prælat. regul. tom. 1. quest. 23. artic. 5.

§. 6.

De vacatione propter beneficij incompatibilis affectuionem.

1. Triplex beneficiorum incompatibilitas secundum iuris communis dispositionem explicatur. Et quid circa hoc statuat Concil. Tridentin. num. 2.
3. Incompatibilitas beneficiorum oritur ex eo quod sint sub eodem tecto: & num. 5.
4. Duæ Capellania simplices nullam actualem residentiam requirentes in eadem Ecclesia retineri possunt, secundum Senatus Dolani sententiam: Quæ tamen reiiicitur. numer. 19.
5. Incompatibilitas ex multis causis oritur. Remissiuè.
6. Incompatibilitas beneficiorum ex consistentia sub eodem tecto exiguit uniformitatem. Contra etiam in difformibus induci incompatibilitatem sub eodem tecto, num. 7. Verius tamen & receptius est requiri uniformitatem: num. 8.
9. Hac sententia limitatur in difformibus residentiam requirentibus quæ sub eodem tecto obtineri nequeunt propter obstaculum residentie.
10. Residentia non inducit incompatibilitatem, nisi ea sit ratione tituli; non enim sufficit ad hoc residentia, non præcisè sed causatiuè requisita, scilicet respectu acquisitionis fructuum.
11. Sola existentia beneficiorum sub eodem tecto non inducit incompatibilitatem nisi alia concurrant; de quibus hic.
12. Cura iurisdictionalis animarum non sufficit ad inducendam incompatibilitatem, nisi alia concurrant.
13. Consuetudo obtinendi in eadem Ecclesia duo beneficia simplicia, vel vnã dignitatem cum canonicatu, valida est.
14. Intellige, dummodo sint beneficia difformia: nam quoad vniuersalia non esset valida consuetudo retinendi duo sub eodem tecto.
15. Consuetudo tamen ista debet esse quadragenaria. & introducta ex certa scientia.
16. Episcopus dispensare potest super duobus beneficijs sub eodem tecto difformibus, si tenuis sit redditus.
17. Contrarium tamen fuit decisum in Rota Romana.
18. Per adeptionem beneficij simplicis residentiam requirentis, non induci vacationem alterius simplicis ipso iure quidam censuerunt. Sed contraria sententia verior est: Et ideo reiiicitur decisio Senatus Dolani, num. 19.
20. Rota Romana decis. 484. part. 1. diuers. fuit ab ipsamet Rota reprobatã.
21. Vacatio non inducitur per affectuionem beneficij incompatibilis

incompatibilis, nisi possessio sit pacifica, saltem per duos menses.

22. *Possessio autem debet esse pacifica tam quoad titulum, quam quoad fructus beneficij.*

23. *Clausula quod orator primum beneficium intra duos menses dimittere teneatur &c. insicit titulum & possessionem.*

1. **D**E iure communi triplex est beneficiorum incompatibilitas. Prima beneficij curati cum dignitate, vel personatu: nam per adeptionem vnus vacat aliud: *cap. de multa 28. de Præbend.* Secunda ex duabus præbendis, seu canonicatibus in eadem Ecclesia: *cap. literas de concess. præbend.* Tertia de duobus beneficijs siue curatis, siue simplicibus, continuam residentiam requirentibus, de iure, vel ex statuto, vel consuetudine. His casibus inducitur vacatio primi ipso iure per adeptionem secundi. Card. Zabarell. *consil. 5. num. 3. & 4. Monald. lib. 1. consil. 97. num. 4.*

2. Ex dispositione sacri Concilij Trident. *sess. 7. cap. 4.* quicumque plura beneficia curata, aut alijs incompatibilia, siue per viam vnionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque titulo contra formam *dicti cap. de multa* retinere præsumperit, beneficijs ipsis ipso iure priuatus existat. †

3. Additur & quartus incompatibilitatis modus, ex eo quod beneficia sint sub eodem tecto: de quo in *dicto cap. de multa. versic. Addentes quod in eadem Ecclesia nullus plures dignitates aut personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum.*

4. Hinc oritur dubitatio vtrum duæ capellanæ simplices nullam actualem residentiam requirentes, in eadem Ecclesia retineri possint absque dispensatione. In qua quæstione pro affirmatiua iudicatum fuit apud Griuel. *decis. Dolana. 89.* dummodo non requiratur in aliqua dictarum capellaniarum personalis residentia, & non sufficiant ad honestam sustentationem vnus clericus: post Iacob. de Graff. *lib. 2. decis. cas. conscient. cap. 96. num. 25.* Nauarr. *consil. 10. de præbend. num. 1. & in Enchirid. cap. 25. num. 127.*

5. Pro resolutione & declaratione totius materiæ supponendum est primò, incompatibilitatem beneficiorum non solum induci ratione residentia, sed etiam ratione consistentia sub eodem tecto: iuxta *dictum cap. de multa. & cap. literas. & Clement. final. de præbend.* & ex alijs causis de quibus Rebuff. *in prax. part. 2. tit. de dispensat. rat. atat. in verb. incompatibilia.*

6. Et quoad consistentia sub eodem tecto, diuersæ fuerunt opiniones: Aliqui enim non existimant induci incompatibilitatem; nisi duo beneficia sint vniformia, veluti duæ dignitates, &c. quam sententiam sequutus sum *lib. 1. cap. 27. num. 42. post Garf. part. 11. cap. 5. num. 182.*

7. Alij incompatibilitatem induci crediderunt in beneficijs etiam difformibus sub eodem tecto: de quibus Rot. *decis. 631. num. 3. part. 3. recentior.* † Sed sententia quam nos amplexi sumus *dicto cap. 27. num. 42.* verior est, & magis communis: ideo ab ea recedendum non est: quam etiam amplectitur

9. Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 10. num. 41.* † Dummodo beneficia illa difformia non sint talia, vt vtrumque, vel alterum, requirat personalem residentiam ratione tituli. Felin. *in cap. ex parte 2. num. 3. de rescript.* Gratian. *discept. forens. cap. 133. num. 22. & 23.*

10. Secundò supponendum est, non sine causa dictum fuisse de beneficijs requirentibus residentiam ratio-

*ne tituli: quia duplex est residentia; vna præcisa quæ ex natura beneficij requiritur: alia causatiua, quæ non ratione tituli requiritur, seu ex natura ipsius beneficij; sed ratione fructuum: ita vt non residentens non priuetur beneficio; sed tantum lucro fructuum: vt distinguit Cardinal. Zabarell. *consil. 3. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 15. num. 20.* & hæc secunda non inducit incompatibilitatem beneficiorum, & priuationem ipso iure; sed dumtaxat prima. Gonzal. *ibid. num. 22.* Seraphin. *decis. 348. num. 2.* Potest tamen Episcopus priuationem indicere. Gratian. *discept. 133. num. 26.**

Tertiò supponendum est, quòd licet propriè loquendo, beneficia sub eodem tecto esse dicantur, quando sunt in eadem Ecclesia; tamen ad hoc vt intret incompatibilitas, necessarium est quòd vtrumque beneficium requirat idem ministerium, & exercitium in eodem loco, & capella; ita vt beneficiati seu capellani conuenire debeant in vnum, & eadem munera faciant: nam si essent plures capellanæ in eadem Ecclesia ad diuersas capellas, finèque diuersos instituta, & ad separatam congregationem faciendam; tunc non oriretur incompatibilitas: vt bene per Gratian. *discept. forens. 133. num. 20.* & ante eum Gonzal. post Nauarr. *ad dictam regul. 8. gloss. 10. num. 34.*

Quartò supponendum est, quòd dum agitur de incompatibilitate beneficij curam animatum habentis, intelligendum est de cura in foro pœnitentiæ, non autem in foro contentioso, vel iurisdictionali: hæc enim posterior ex se non inducit incompatibilitatem: vt bene explicat Gratian. *dicto cap. 133. num. 29. & sequentib.*

Quintò supponendum est, validam esse consuetudinem quòd quis in Ecclesia eadem possit duo simplicia beneficia obtinere, vel vnâ dignitatem cum canonicatu, vel canonicatum cum personatu multòque magis cum simplici capellania: *cap. 1. & ibi Geminian. num. 5. & 12. Ancharan. num. 3. Franc. num. 7. de consuet. in 6. † Quod de beneficijs difformibus intelligendum est: nam circa vniformia non valeret consuetudo; maximè si ageretur de triplici beneficio, nisi beneficiorum tenuitas validam redderet consuetudinem. Idem Gratian. *decis. 155. num. 17. & sequent. & discept. 133. num. 16. & sequent. Burat. decis. 19. num. 10. & sequent.**

Sed hæc consuetudo debet esse quadragenaria. Hoyed. *de incompatibilit. benefic. part. 1. cap. 11. num. 4. Rot. decis. 524. num. 3. part. 1. recentior.* & debet esse introducta ex certa scientia, & cum consensu Capituli, & non per errorem. Rot. *dicta decis. 524. num. 4. & 5.*

Sextò supponendum est, posse Episcopum dispensare super duobus beneficijs sub eodem tecto, dummodo sint difformia & tenuis reditus: nam si hæc duo non concurrerent non valeret Episcopi dispensatio Mar. Anton. *lib. 1. var. resolut. cap. ult. cas. 68.*

Sed tamen quòd Episcopus non possit dispensare super incompatibilibus, etiam data tenuitate reddituum, censuit Rot. *decis. 310. num. 4. part. 2. recentior.* propter expressam dispositionem Concilij Trident. *sess. 24. cap. 17. de reformat.*

Septimò, quòd licet aliqui existimauerint, per adeptionem beneficij simplicis residentiam requirentis, non induci vacationem ipso iure; veluti si agatur de duabus capellanis residentiam requirentibus; & ideo dari optionem prouiso vt alterum ex illis eligat, alterum verò dimittat, vt per Mantica. *decis. 50. num. 8.* Tamen contraria sententia verior est, vt etiam in simplicibus beneficijs residentiam requirentibus

requirantibus inducatur vacatio ipso iure : vt per Mantie. dicto num. 8. & ita declaratum fuit à sacra Concilij Congregatione : vt testantur Garf. Moner. Ricc. & alij quos citat & sequitur Barbof. in dicto. cap. de multa 28. de prabend. num. 7.

19. Octauò, hinc inferitur non esse admittendam decisionem prædictam Senatus Dolani apud Griuel. decis. 89. quia verius est etiam in beneficiis simplicibus solum Papam dispensare posse ; neque admittendam esse dispensationem Episcopi : vt expressè tenuit Rot. apud Mantie. dicta decis. 50. num. 8. versic. qua multo magis. Garf. de benefic. part. 11. cap. 5. num. 222. & 227.

20. Nondò, notandum est, quòd licet aliàs Rota Romana decis. 484. part. 1. diuers. existimauerit per ademptionem secundi beneficii incompatibilis primum non vacare ipso iure ; sed tantum præuia monitione ; Tamen contrarium est verius, & decisio illa fuit ab eadem Rota reprobata : vt patet in decis. 524.

num. 1. part. 1. recentior. quæ est apud Burat. decis. 19.

Decimò, notandum est, quòd ad hoc vt inducatur vacatio beneficii propter incompatibilitatem, possessio secundi debet esse pacifica saltem per duos menses : Rot. decis. 657. num. 1. part. 2. recentior. Garfias de benefic. part. 11. capit. 5. num. 115. & dicta decisio, quæ est apud Burat. 102. num. 2. expressè approbat doctrinam à Garfia traditam loco citato.

Et ista possessio debet esse pacifica non solum quoad titulum beneficii, sed etiam quoad fructus illius, seu maioris partis ipsorum. Addit. ad Burat. decis. 19. num. 21. Mantie. decis. 75. num. 7.

Solet tamen in prouisionibus Apostolicis apponi decretum de dimittendo primum infra duos menses ; aliàs vtrumque beneficium vacet. Quod decretum inficit titulum, & possessionem lapsò tempore duorum mensium. Mantie. decis. 356. num. 4. Et hæc satis.

Laus Deo Opt. Max. & Gloriosissima Virgini Mariae.





INDEX

Eorum omnium quæ in prima & secunda parte Quæstionum Beneficialium, Canoniarum & Regularium continentur.

Priores numeri, sedem materia; posteriores paginam indicant.

A

ABBAS.



ABBAS, quando iudicialiter aut extraiudicialiter contra Monachos agere teneatur. cap.41. num. 25. pag.56.
 Abbas succedens iure spoliij non dicitur hæres, sed successor; & bona capit tanquam peculium. c. 95. n. 11. p.165.
 Abbates non quidem à iure, sed in vim priuilegiorum procedunt contra Monachos etiam in forma iudicij, & in delictis quæ sunt contra communem conuersationem. c. 41. n. 26. p. 56.
 Abbatia Monialium, nec non ea quæ inter viros caput Ordinis constituunt, eximuntur à nominatione Regis. c. 89. n. 7. p. 155.
 Abbates & alij Prælati inferiores non habent regulariter potestatem conferendi beneficia. par. 2. c. 3. §. 9. n. 1. p. 277.
 Possunt tamen ius illud consuetudine, præscriptione vel priuilegio acquirere. Ibid. n. 3. p. 277.
 Abbates prouident de beneficiis quæ sunt membrum seu grangia Abbatia. par. 2. c. 3. §. 9. n. 33. p. 278.
 Abbas mortuo religioso succedit in eius peculio iure spoliij, non autem eius consanguinei. part. 2. cap. 3. §. 9. n. 39. p. 279.
 Abbas non potest possidere prioratum ab eius Abbatia dependentem, licet monachus ex dispensatione duos prioratus ab eadem domo regulari dependentes obtinere possit. ibid. n. 40. p. 279.
 Abbatia in Gallia supposita sunt Regia nominationi, exceptis tamen temporalibus. part. 2. c. 3. §. 9. num. 42. p. 279.
 Quod ad Regiam nominationem Abbatiarum consuetudo seruari debeat. part. 2. cap. 3. §. 9. n. 43. p. 279.
 Abbatissa potest esse capax collationis beneficiorum etiam curam animarum habentium; sed hoc casu concursus fieri debet coram Episcopo part. 2. c. 3. §. 9. n. 41. p. 279.
 Abbatissa electa posteriorem habens Regis nominationem præfertur illi, quæ licet antea nominata, fuit tamen à minori parte electa. par. 2. c. 3. §. 9. n. 44. p. 279.

Abiuratio.

Condemnatus ad abiurandum, non remouetur ab officio Superioris sui Ordinis. c. 44. n. 5. p. 60.
 Abiuratio duplex est; vna formalis, alia pœnalis; & hæc vel leuis, vel vehemens. c. 44. n. 6. ibid.
 Ex constitutione fel. rec. Urbani VIII. Religiosi qui

abiurauerunt etiam de leui, remouendi sunt ab officio. c. 44. n. 7. ibid.

Qui de vehemēti abiurarunt non sunt admittendi ad audiendas Fidelium confessiones. c. 44. n. 10. p. 61

Absens.

Si reditus beneficij consistant omnes in distributionibus, absens causâ studij illas lucratur, demptâ tertiâ parte, quæ reseruatur interessentibus. c. 102. n. 25. p. 181.

Si ex massa Capitulari certa portio præsentibus detur, portio deficiens accrescit Capitulo, non autem interessentibus. c. 105. n. 18. p. 187.

Absentes causa studij lucrantur fructus; sed non distributiones; reprobata contrariâ opinione. c. 102. n. 15. p. 181.

Quando omnes reditus consistunt in solis distributionibus, absentes ex iustâ causâ illas percipiunt, quia sunt loco præbendæ. c. 102. n. 37. p. 182.

Demptâ tertiâ parte ex mente Congregationis. ibid. c. 102. n. 38.

Et ita declaratum per Congregationem pro Ciuitate Auenionensi. c. 102. n. 39. ibid.

Hoc locum habet in absentibus causâ studij. ibid. n. 40.

Absentia causâ studij non dispensat à residentia in parochialibus. ibid. n. 41.

Explicantur casus in quibus detrahi debet tertia pars distributionum absentium. c. 102. n. 42. 43. & 44. p. 182.

Abusum.

Contra abusum nulla datur cuiuscumque temporis præscriptio. Quomodo id sustineri possit. c. 37. n. 12. & vide n. 4. p. 48.

Acceptatio.

Acceptatio resignationis si non interueniat, imperfecta manet resignatio. part. 2. c. 4. §. 7. n. 17. p. 298.

Acceptatione nondum factâ, si resignatarius moriatur, beneficium non vacat per obitum resignatarij. part. 2. c. 4. §. 7. n. 18. p. 298.

Acceptatione nondum factâ, si contingat resignatarius mori, & resignans moriatur in mense reseruato, beneficium reseruatum manet. part. 2. c. 4. §. 7. n. 19. p. 298.

Acceptatio electionis debet fieri intra tres menses. part. 2. c. 4. §. 6. n. 32. p. 296.

Ante tamen acceptationem electionis, tertius potest impetrare; quia electio ante acceptationem tribuit ius ad rem, non in re. part. 2. c. 4. §. 6. n. 33. p. 296.

Acceptatione non factâ, ius in re non acquiritur per collationem, sed tantum ius ad rem. part. 2. c. 4. §. 6. n. 34. p. 296.

Index Prior,

- Acceptatio Alternatiuæ per Episcopos, & Prælatos collatores, quomodo fieri debeat; & quæ ad illam requirantur. part. 2. c. 3. §. 8. n. 24. p. 274
- Accusatio.*
- Per accusationem irrogari potest infamia facti, iuris verò dumtaxat per sententiam. c. 44. n. 2. p. 60
- Explicatur circa hoc Riccij decis. 327. part. 2. ibid. c. 44. n. 3
- Accusatus potest resignare etiam post conclusum in causa, quâdo non priuatur ipso iure. c. 27. n. 17. p. 33
- Accusatus potest resignare in fauorem coram summo Pontifice etiam post conclusum in causa, secundum certior sententiam; licet alij contrarium sentiant. c. 27. n. 18. p. 33
- Actus.*
- Actus quidam sunt indifferentes; quorum bonitas, vel malitia dependet ex intentione agentis. c. 48. n. 14. p. 69
- Actus interiores ab humana voluntate procedentes, nullo modo possunt dependere à voluntate alterius hominis. c. 48. n. 15. p. 69
- Adiutor.*
- Adiutor, seu secundarius quando dari debeat Parocho. c. 25. n. 1. p. 25
- Adulterium.*
- Mulier nupta de adulterio conuicta, etiam post sententiâ manere debet in sequestro. c. 55. n. 11. p. 84
- In adulterio non potest esse pœna priuationis beneficii, sed depositionis potest infligi. cap. 97. n. 14. p. 171
- Clericus propter adulterium potest relegari. c. 97. n. 15. p. 171
- Adulterij actio datur etiam aduersus sponsam per verba de præsentis. c. 117. n. 14. p. 298
- Æstimatio.*
- Æstimatio fieri debet iuxta tempus ad quod differtur executio contractus, & quo nascitur actio. c. 46. n. 14. p. 64
- In euictione attenditur æstimatio temporis, quo contingit euictio. c. 46. n. 15. p. 64
- In æstimando bona ad effectum dimidij laudimij, attendi debet valor de tempore solutionis. c. 46. n. 16. p. 65
- Æstimatio fieri debet de tota re, & non per partes. c. 46. n. 17. p. 65
- In æstimatione bonorum debet haberi ratio expensarum, quæ fiunt pro illarum conseruatione. c. 46. n. 18. p. 65
- Res emphyteutica non debet vti libera æstimari, sed cum suo onere. c. 46. n. 19. p. 65
- In æstimatione rei onera reali adeducenda sũt. ibid. n. 20
- An æstimetur domus ex fructibus, an ex communi valore. c. 46. n. 21. p. 65
- Quid in domibus rusticis, quomodo illarum æstimatio fieri debeat. c. 46. n. 22. p. 65
- Æstas.*
- Omnia beneficia simplicia hodie ex Concilio Tridentin. requirunt ætatem 14. annorum. c. 3. n. 1. p. 3
- Sufficit tamen annus 14. incœptus. ibid. n. 2
- In Gallia sufficit septennium in simplicibus beneficiis secundum ius antiquum. c. 3. n. 3. p. 3
- Beneficia quæ sonant in nomen Rectoriæ per se stant, non possunt possideri in Gallia à minore 14. annorum. c. 3. n. 4. p. 4
- In prioratibus conuentualibus minor 25. annis non admittitur. ibid. n. 5. p. 4
- Prioratus non conuentuales curati 25. annos requirunt. ibid. n. 6. p. 4
- Prioratus non conuentuales, in quibus cura per Vicarium perpetuum exercetur, requirunt annum vigesimum. c. 3. n. 7. p. 4
- Prioratus non conuentuales in quibus cura, nec per se, nec per alium exercetur, exigunt annum 14. ibid. n. 8. p. 4
- Hodie tamen ex Concil. Trident. & ex Regis constitutionibus requiritur annus 16. ibid. n. 9. p. 4
- Ætas, & aliæ qualitates requisitæ dum beneficium regulare datur in titulum, debent interuenire in Commenda. c. 3. n. 10. Intellige vt n. 12. p. 4
- Ætas 25. annorum requiritur ad obtinendam primam dignitatem post Pontificalem. c. 99. n. 1. p. 174
- Ætas quæ requiritur ad obrinendam primam dignitatem in Ecclesia Collegiata. c. 99. n. 2. p. 174
- In dignitatibus habentibus curam animarum, ætas 25. annorum requiritur; siue cura competat in foro interiori, siue in foro exteriori. c. 99. n. 4. p. 174
- Ætatem non habenti facta beneficii collatio nulla est part. 2. c. 5. §. 5. n. 1. Ampliatur n. 2. etiam si quid minimum ad ætatem desit. p. 311
- Ætatis sola expressio summo Pontifici facta, dispensationis vim obtinet; quamuis Concilio Tridentino expressè non fuerit derogatum. part. 2. c. 5. §. 5. n. 3. p. 311
- Ætas quatuordecim annorum sufficit ad obtinendum Canonatum in Ecclesia Collegiata. part. 2. c. 3. §. 12. n. 1. p. 283
- Ampliatur, vt non requirantur quatuordecim anni completi, sed sufficiat illos attigisse. ibid. n. 2. p. 283
- Ætas viginti duorum annorum requiritur in canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis; sed sufficit quod sint inchoati. part. 2. c. 3. §. 12. n. 3. p. 283
- Ætas eadem 22. annorum requiritur in dignitatibus Ecclesiarum Collegiatarum; sed anni viginti duo debent esse completi: si tamen esset prima dignitas Collegiata, vt plurimum viginti quinque anni exiguntur. part. 2. c. 3. §. 12. n. 4. & 5. p. 283
- Ætas viginti quinque annorum requiritur in dignitate maiori post Pontificalem. part. 2. c. 3. §. 12. n. 6. p. 283
- Affectio.*
- Affectio beneficii, & reseruatiõis, quæ sit differentia. part. 2. c. 3. §. 1. n. 2. p. 255
- Affectio minoris non est potentia quàm reseruatõis. ibid. n. 3. p. 255
- Affecta sunt beneficia per appositionem manus Papæ etiam si gratia esset nulla, vel subreptitia. ibid. n. 4. Intellige vt numeris sequentibus p. 255
- Affectio cessat si gratia Papæ fuerit sortita effectum. part. 2. c. 3. §. 1. p. 9. p. 255
- Affectio cessat si gratia non possit sortiri effectum ob non adimplementum conditionis, eodem c. 3. §. 1. n. 12. p. 255
- Affectio cessat, si vacatio beneficii contigerit diuerso genere vacationis. ibid. n. 13. p. 255
- Affectio vtrum inducatur in beneficiis Gallia. ibid. n. 14. & 18. p. 255
- Aleator.*
- Aleatori publico facta beneficii collatio, nulla est. part. 2. c. 5. §. 1. n. 26. p. 307
- Alienatio.*
- Beneplacitum Apostolicum requiritur ad validitatem alienationis bonorum ad capellaniam spectantium. c. 98. n. 2. p. 172
- Bona Ecclesiæ nondum incorporata alienari, vel in emphyteusim concedi possunt sine solemnitatibus. c. 119. n. 1. p. 213
- Mendicantes non possunt noua loca acquirere, aut alienare sine sedis Apostolicæ licentiâ. c. 23. n. 1. p. 23

Rerum & Verborum.

- In alienationibus bonorum magni Collegij Auenionensis, adhibendæ sunt omnes solemnitates requisitæ in alienatione bonorum Ecclesiæ. c. 74. n. 1. p. 125
- Quando res solita est concedi in emphyteusum ab Ecclesia, potest alienari, vel concedi sine solemnitatibus. c. 74. n. 3. p. 125
- Alienate qui non potest contrahendo, non potest etiam alienare delinquendo. part. 2. c. 1. §. 11. n. 14. p. 241
- Alimenta.*
- In alimentorum taxatione religiosæ translata, debet haberi ratio obsequiorum, & seruitiorum secundo Monasterio per translata præstandorum. c. 65 n. 16. p. 104
- Debet etiã in taxandis alimentis translata haberi ratio, quod primum Monasterium amittit iura superioritatis in personam translata. c. 65. n. 17. p. 105
- Alimenta clerico contumaci & fugitio semper sunt reseruanda. part. 3. cap. 1. §. 11. n. 15. p. 241
- Alimenta semper reseruanda sunt clerico fugitio, & contumaci ne cogatur mendicare. ibid. n. 16. p. 241
- Alienigena.*
- Alienigenæ in Gallia sunt incapaces beneficiorum nisi à Rege ex gratia admittantur. c. 4. §. 8. n. 12. Nec beneficia etiam permutationis titulo possunt obtinere ibid. n. 13. p. 300
- Alligatio.*
- Allegatio Lapi 89. vult præsumi titulum prædecessoris in beneficio ex longa possessione. c. 85. n. 3. p. 145
- Allegatio Lapi 89. duo requirit. Primò possessionem diuturnam, & pacificam. Secundò, quod possidens communi existimatione habitus fuerit pro vero, & legitimo successore. c. 85. n. 4. p. 145
- Longum tempus erat decem annorum in terminis dictæ allegationis Lapi 89. Hodie est triennium. ibid. n. 5. p. 145
- Allegatio Lapi 89. non solum vult præsumi titulum prædecessoris sed etiam habilitatem ipsius, si duo requisita concurrant; longa possessio, & communis reputatio. c. 85. n. 6. p. 145
- Cessantibus duobus requisitis in allegatione 89. Lapi, titulus antecessoris probandus esset, si collitigans alium alterius anteriorem cum possessione probaret ibid. n. 7. Intellige vt n. 9. p. 145
- Materiam integram allegationis Lapi tractat Marefcotut. ibid. n. 8. p. 145
- Concurrentibus requisitis in dicta allegatione Lapi, præsumitur quod prædecessor in beneficio habuerit meliorem titulum de mundo, c. 85. n. 10. p. 146
- Quando quis non suo, sed alieno nomine possidet, nihil prodest longi temporis possessio, nec locus est dictæ allegationi Lapi. 89. c. 85. n. 13. p. 146
- Quomodo differat ista præsumptio ex allegatione Lapi cum regula Cancellariæ de Triennali. ibid. n. 14. p. 146
- Allegatio Lapi 89. facit vt non teneatur quis sui antecessoris titulum probare. ibid. n. 15. p. 146
- Alterare. Vide Commutatio.*
- Alternatina.*
- Alternatiuæ ius non competit inferioribus collatoribus, qui ius conferendi acquisuerunt ex consuetudine, vel priuilegio. part. 2. cap. 3. §. 8. n. 25. p. 274.
- Alternatinâ non gaudet Episcopus; nisi verè & non fictè resideat, etiam si ex iusta causa recesserit. part. 2. c. 3. §. 8. n. 27. p. 275
- Alternatiuæ vsus vtrum statim incipiat post illius acceptationem, an verò finito mense. ibid. n. 28. p. 275
- Alternatiuâ non gaudet Episcopus quoad beneficia quæ non sunt liberæ collationis, & quænam illa sint, dicto §. 8. n. 33. p. 275
- Capitulum sede vacante non gaudet Alternatiuâ. part. 2. c. 3. §. 8. n. 26. p. 274
- Amortizatio.*
- Amortizatio quid sit in Gallia, & vnde duxerit originem & quomodo ab indemnitate differat. c. 46. n. 4. p. 64
- Amouibilis.*
- Amouibilis Præbyter, non proprio, sed deputantis nomine possidet. c. 56. n. 12. p. 86
- Amouibilis Vicarius in Parochiali deputatus potest amoueri sine causa, sed non animosè, aut ex odio: hoc enim casu posset iudicis officium implorare. c. 56. n. 14. p. 86
- Officia Ecclesiæ amouibilia dari possunt ad vitam cum consensu Capituli, & autoritate Papæ. Ibid. num. 16. p. 86
- Episcopus non potest reuocare concessionem ad vitam officij manualis, si Papæ confirmatio accesserit. c. 56. n. 17. p. 86
- Qui semel officium amouibile consensit dari ad vitam, non obligatur ad id in futurum. c. 56. n. 18. pag. 86.
- Amplia, vt per talem consensum, si de eius animo, vel protestatione appareat; sibi non præiudicat in petitorio, nec in possessorio. c. 56. n. 19. p. 86
- Prioratus sunt amouibiles quando monachi alicui ruri seu grangia monasterij præponuntur, & tales dicuntur veri monachi & habent vocem in electionibus Monasterij. part. 2. cap. 3. §. 10. n. 13. pag. 280.
- Anima.*
- Legatum pro salute animæ factum dicitur pium. cap. 108. num. 8. p. 190
- Qui negligit animam dicitur causare mortem animæ, quæ deterior omnino est morte corporis. cap. 115. num. 11. p. 203
- Animalia.*
- In computanda decima animalium, non ad prædia, sed ad ipsorum animalium numerum respectus haberi debet. c. 67. num. 11. p. 110
- In animalium numero debet separatim fieri calculus cuiuslibet domini, licet pecudes sint sub eodem baculo, & pastore. Ibid. n. 12. p. 110
- Qui dicit animalia gregis alieni ad se pertinere, id probare tenetur. c. 67. n. 17. p. 110
- Numerus animalium vnus anni coniungi non potest cum numero animalium alterius anni. Ibid. n. 20. aliàs 19. p. 111
- Animus.*
- Coniecturæ referuntur ex quibus prouisus habere præsumitur animus resignandi. c. 59. n. 8. p. 91
- Qui habet animum resignandi, vel dimittendi beneficium, non debet ad concursum admitti. c. 59. num. 9. p. 91
- Annalis.*
- Regulæ de annali possessione primum caput exponitur. c. 85. num. 16. p. 146
- Regulæ de annali quoad primum caput Papa, & Legatus, seu Vicelegatus derogat. c. 85. num. 17. pag. 146
- Vt regulæ de annali derogatum censeatur, derogatio debet esse specialis. c. 85. n. 18. p. 146
- Derogatio regulæ de Annali non attenditur, si gratia principalis sit nulla. c. 85. n. 19. p. 146

Index Prior,

- Secundæ parti regulæ *de annali* non derogatur, qua tempus liti præfigitur super beneficio impetrato mouendæ, & terminandæ. c. 85. n. 20. p. 146
- Aduersus lapsum temporis præfinitum in regula *de annali* facile datur prorogatio. Ibid. num. 21. pag. 146.
- Stante legitimo impedimento, tempus statutum ad effectum regulæ *de annali* non currit impedito, contra Gratianum, cap. 85. num. 22. p. 146
- Quoad effectum regulæ *de annali*, sufficit lis super executione litterarum. Ibid. n. 26. p. 146
- Lis iuxta regulam *de annali* debet terminari in petitorio, sed tempus non currit quandiu aduersarius suspendit petitorium. Ibid. num. 27. p. 146
- Regula *de annali* locum habet in quocumque impetrante, siue per obitum, siue alio modo. c. 85. n. 28. pag. 146.
- Item locum habet in impetratione ex capite simoniæ. cap. 85. num. 29. p. 146
- Differentia quæ sit inter regulam *de annali*, & *de Triennali*. Ibid. c. 85. n. 30. & 31. p. 146
- Regulæ *de annali* locus est, quamuis quis fuerit intrusus in beneficio referuato. cap. 85. num. 32. pag. 146
- Regula *de annali* non procedit in præiudicium veri Patroni qui debet præsentare. Ibid. num. 33. pag. 146
- Non est locus illi regulæ, si constet de non titulo authoris. Ibid. n. 34. p. 146
- Intellige, dummodo de hoc constet euidenter per confessionem partis, vel per rem iudicatam. cap. 85. num. 35. p. 146
- Annexio.*
- Annexio probanda est per eum qui in ea se fundat. c. 110. n. 28. p. 196
- Quomodo cognoscatur quæ præbendæ sint annexæ, quæ separatæ, adhibita distinctione explicatur. c. 110. num. 29. p. 196
- Anniversaria.*
- Infirmi, & senes lucrantur stipendia anniversariorum. cap. 102. n. 5. p. 180
- Anniversariorum lucrum æquiparatur distributionibus quotidianis. c. 102. n. 6. p. 181
- Anniversaria veniunt sub nomine distributionum quotidianarum. c. 102. n. 10. p. 181
- Si testator mandauerit anniversaria distribui inter præfentes, & assistentes; infirmi illa nihilominus percipere debent. Ibid. n. 11. p. 181
- In materia stricta, appellatio distributionum non veniunt anniversaria. Ibid. n. 12. p. 181
- Anniversaria gaudent eisdem priuilegiis, quibus distributiones quotidianæ. c. 102. n. 13. p. 181
- Capitulum Canonicorum sine interuentu Beneficiorum potest statuere super anniversariis. cap. 105. num. 7. p. 186
- Anniversariorum distribuendi formam consuetam Capitulum sine Episcopo alterare nequit. cap. 105. num. 10. p. 186
- Anniversaria, pro quibus adest corpus separatam à massa Capitulari, non debent accrescere Capitulo pro absentium portione; sed solis præsentibus, & inter eos distribui. c. 105. n. 17. p. 187
- Annus.*
- Annus de quo in regula *de Triennali* incipit à die citationis exequitur. c. 85. n. 24. p. 146
- Annus pensionis beneficiariæ computari debet ad ratam temporis perceptionis fructuum, non temporis vitæ pensionarij; & hæc vera est sententia. c. 22. n. 7. p. 22
- Anni computatio in materia pensionum Ecclesiasticarum incipit à die, quo pensiones referuatæ sunt: à quo tempore computatio fit ratæ fructuum perceptorum: quod propositis exemplis explicatur. c. 22. n. 8. p. 22
- Annus à quo tempore incipiat in aliis causis præter pensiones Ecclesiasticas. Remissiuè. cap. 22. n. 9. pag. 22
- Annus, ad hoc vt quis dicatur infordecens in excommunicatione, numerandus est non à die incurse, sed à die declaratæ excommunicationis. par. 2. c. 5. §. 3. num. 14. p. 309
- Annus, intra quem debet promoueri minor, cui beneficium est commendatum, numerandus est à die quo ad ætatem legitimam peruenerit, non autem à die collationis. part. 2. cap. 1. §. 12. n. 16. pag. 244
- Antianitas.*
- Antianitas inter Canonicos non computatur à die concessæ coadiutoriæ, sed à die mortis coadiutori. part. 2. cap. 1. §. 13. num. 10. Potest tamen introduci consuetudo contraria; quæ hoc casu per allegantem probanda est, cum suis requisitis. Ibid. num. 12. p. 247
- Anticipatio.*
- Anticipatas solutiones prohibet Concilium. cap. 66. num. 33. p. 108
- Ante Concilium non ita rigorosè erat prohibita anticipatio solutionum. c. 66. n. 34. p. 108
- Quando dicatur solutio facta per anticipationem. c. 66. n. 35. p. 108
- Solutio beneficiario facta ante fructus perceptos non liberat conductorem. Ibid. n. 36. p. 108
- Fallit, si pecuniæ essent versæ in vtilitatem Ecclesiæ, saltim pro rata versionis. cap. 66. num. 37. pag. 108
- Antidata.*
- Suspicio antidatæ Ordinarij purgari debet per veras, & legitimas probationes. cap. 70. n. 22. p. 118
- Appellatio.*
- Appellatio à prouisionibus beneficij factis per Episcopum dicitur extraiudicialis, & causat attentata. c. 7. num. 1. p. 6
- Si Episcopus procedat in forma iudicij contentiosi, licet appellare à collatione beneficij, & suspenditur executio. c. 7. n. 2. p. 6
- Appellari non potest à pœna imposta per statutum Episcopi. c. 11. n. 11. p. 9
- Appellari potest à declaratione pœnæ legis, vel statuti. c. 11. n. 12. p. 9
- Appellatio datur à pœna Excommunicationis contenta in decreto, c. 11. n. 13. p. 9
- Appellatio suspensiuæ non datur à decreto facto fauore cultus diuini. c. 11. n. 14. p. 9
- Datur tamen appellatio quoad effectum deuolutiuum. c. 11. n. 15. p. 9
- Appellari potest à recusatione Ordinarij, cui data fuit commissio *in forma dignum*. c. 13. n. 8. p. 11
- Non datur appellatio à sententia per quam quis declaratur hæreticus. c. 34. n. 1. p. 45
- Intellige vt procedat respectu iudicis à quo; sed tamen Superior non impeditur appellationem admittere, & inhibitiones decernere. c. 34. num. 2. pag. 45
- Appellatio datur à sententia declaratoria hæreseos, si adsit iusta, & legitima causa appellandi. c. 34. n. 3. pag. 45.
- A declaratione pœnæ suspensionis datur appellatio quoad effectum deuolutiuum. capit. 34. num. 8. pag. 45
- A suspensione à diuinis officiis si fuerit appellatum, non

Rerum, & Verborum.

non suspenditur executio : secus si fuerit appellatum à suspensione à beneficiis ; tunc enim datur appellatio , etiam quoad effectum suspensiuum. c. 34. n. 9. p. 45

Licetum est appellare ad Metropolitanum in casibus in quibus Episcopi procedunt vigore Concilij, tanquam Sedis Apostolicæ delegati. cap. 34. n. 11. pag. 45

A Prælati regularibus appellari potest , si excedant modum Ecclesiasticæ disciplinæ. cap. 41. n. 5. pag. 55

A decretis interlocutoriis non datur tacita appellatio. c. 59. n. 3. p. 90

In beneficialibus appellatio extrajudicialis habet vim citationis , & de appellatione extrajudiciali. Remissiue. c. 85. n. 71. p. 148

Appellare licet à processuris Exequutoris mittentis prouisum in possessionem beneficij , non citato possessore ; quando possessio est plena. part. 2. capit. 4. §. 1. num. 14. Ampliatur , etiam si in literis non adesset clausula *Vocato* , &c. Ibidem. num. 15. p. 290

Archidiaconus.

Archidiaconatus de iure est prima dignitas post Pontificalem , sed tamen Ecclesiæ consuetudo attendi debet. part. 2. cap. 3. §. 11. num. 11. Vnde in Ecclesia Auenionensi Archidiaconatus non est prima dignitas , nec uti talis supposita reservationi. Ibid. n. 14. p. 281

Archidiaconus debet esse Doctor in Theologia , vel iure Canonico, aut saltem Licentiat. Ibid. n. 15. Quod est verum si Archidiaconus iurisdictionem habeat , quales pauci hodie reperiuntur. Ibidem. n. 16. & 17. p. 281

Archidiaconatus debet conferri habenti ætatem viginti quinque annorum , si iurisdictionem habeat ; alioqui sufficiunt anni viginti duo , cum Ordine Diaconatus. Ibid. c. 3. §. 11. n. 18. & 19. p. 281

Arma.

Arma fundatoris non possunt tolli , etiam si tota illius familia esset extincta. capit. 73. numer. 12. pag. 124.

Ampliatur , etiam si Fundator fuisset declaratus proditor & rebellis ; ex Romani sententia. c. 73. n. 13. pag. 124.

Vide *Insignia*.

Argumentum.

Argumentum valet à matrimonio carnali ad spirituale. c. 77. n. 13. p. 130

Argumentum non valet à matrimonio carnali ad spirituale, si adsit diuersa ratio. c. 45. n. 12. p. 63

Arteragia.

Arteragiorum , siue reliquorum nomine , tam antiqua , quàm noua arteragia continentur c. 90. n. 6. p. 157

Assassinium.

Assassinij crimen inducit priuationem beneficij ipso iure. c. 27. n. 4. p. 33

Assassinium non dicitur nisi fiat mediante pecunia. c. 27. n. 8. p. 33

Ob assassinium inducitur priuatio beneficiorum ipso iure , etiam si effectus non fuerit sequutus. cap. 97. num. 23. p. 171

Beneficium vacans ob assassinium statim potest imperrari , non expectarà sententiã , cap. 97. n. 24. pag. 171

Assertio.

Assertioni Episcopi standum est in iis , quæ eius simplici informationi commissa sunt ; vel si non adsit in commissione clausula *vocatis vocandis*. c. 8. num. 3. p. 6

Attentatum.

Attentare dicitur , qui nouo possessionis genere possidere incipit. Vnde coadiutor mortuo coadiuto, si lite pendente possidere incipiat , committit attentatum. part. 2. c. 1. §. 13. n. 14. & seqq. p. 247

Attestatio.

Attestatio simplex Notarij , vel etiam Cardinalis iuramento firmata , fidem non facit. c. 69. n. 44. pag. 116

Vide *Fides*.

Audientia.

Audientiã denegatã , si procedatur ad vteriora , processus erit nullus. c. 57. n. 3. p. 87

Cui audientia denegatur , vtrum denegetur appellationis remedium. Remissiue cap. 57. num. 4. p. 87

Auditor.

Auditores Rotæ possunt conferre beneficia super quibus lis pendet coram ipsis. part. 2. cap. 3. §. 14. per tot. p. 287

Auditor Camera non habet hoc priuilegium. Ibid. num. 5.

Auditores Legati , vel Vicelegati Auenionensis nihil possunt circa collationem beneficiorum , nec quoad cognitionem causarum beneficialium in prima instantia. part. 2. cap. 3. §. 6. num. 35. & 36. pag. 270

Auditores Legati , vel Vicelegati non decernunt literas citatorias extra Monarchiam , sed illæ fiunt sub nomine Legati , vel Vicelegati. eodem c. 3. §. 6. num. 37. p. 270

Augmentum.

Augmentum , siue lucra deberi statim post donatione corporum inter coniuges factam , cauetur statuto Auenionensi. c. 116. n. 6. p. 205

Sancti Augustini Patres.

Patres Ordinis Sancti Augustini discalceati constituunt eundem ordinem quem alij calceati , & supponuntur eidem Generali , licet habeant discalceati suos Vicarios Generales. capit. 81. numer. 5. pag. 137

Dicti Patres tam Calceati , quàm Discalceati subiunguntur eidem Regulæ , accidentaliter tamen diuersæ. c. 81. n. 6. p. 137

Auocatio.

Post auocationem dicitur attentatum , etiam si anti-qua possessio continuetur. c. 88. n. 11. p. 153

Authentica.

Dispositio *Authent. Defuncto. Cod. ad S.C. Terullian.* seruatur in Gallia , & in Curia Tholosana. cap. 2. num. 5. p. 3

Authent. Ingressi. Cod. de sacros. Eccles. debet intelligi de illis qui effectualiter professionem emis-erunt. c. 51. num. 21. pag. 76

B.

Baculus.

Baculo innixus nemo altari seruire debet. c. 94. n. 15. p. 162

Baro.

Baronum Officiales ad vitam prouisi non debent per Barones reuocari. c. 74. n. 10. p. 126

Barones sine causa Officiales sic prouisos remouentes , tenentur illis damna resarcire. c. 74. n. 11. p. 126

Beneficia.

Beneficia conferri non possunt non habentibus ordinem annexum. c. 1. n. 12. p. 2

Beneficiati , vel portionarij non sunt de capitulo. c. 1. n. 11. p. 2

Beneficia regularia sæcularibus non conferuntur , nec è contra : nisi ex dispensatione. c. 80. n. 8. p. 136

Index Prior

- Beneficia secularia sub quibus conditionibus concedantur regularibus, & quæ in dispensationis scripto narranda sint. c. 80. n. 9. p. 136
- Beneficia curata inspecto iure communi, Episcopus cum consensu & licentia Abbatis, licet sint secularia, potest regularibus concedere. c. 80. n. 11. p. 136
- Impurandum est illi qui nimis tenue beneficium acceptavit. c. 78. n. 6. p. 89
- Sed hæc insufficientia probanda est per allegantem. ibid. n. 8. p. 89
- Beneficium quid sit. c. 1. §. 1. Debet esse perpetuum. part. 2. c. 1. §. 2. n. 3. & erectum autoritate Episcopi. ibid. n. 1. & 2. p. 219
- Beneficium & pensio in quibus differant inter se, & in quibus conueniant. part. 2. c. 1. §. 4. n. 1. & sequentibus. per tot. p. 222
- Beneficij fructus apud duos esse possunt, non tamen ipsum beneficium. part. 2. c. 1. §. 4. n. 83. & 84. p. 228. & §. 9. n. 36. p. 238
- Beneficij appellatione in pœnalibus pensio non continetur. part. 2. c. 1. §. 4. n. 7. etiamsi verba essent geminata. ibid. n. 98. p. 228
- Beneficij fructus differunt ab ipso beneficio. ibid. n. 99. p. 229
- Beneficia vacant per promotionem ad Episcopatum. ibid. n. 102. p. 229
- Beneficij nomine vt hospitale contineatur, sex requisiti referuntur. part. 2. c. 1. §. 7. n. 9. p. 234
- Beneficium alterius sine titulo occupans, intrusus dicitur. part. 2. c. 1. §. 9. n. 38. p. 238
- Beneficij mentio referenda est regulariter ad ea quæ iam sunt erecta, non autem ad postea fundata. part. 2. c. 1. §. 10. n. 2. & litteræ Pontificiæ non extenduntur ad postea erigenda beneficia. ibid. n. 4. Et reseruatio iuris præsentandi intelligitur de iam creatis tempore ad quod refertur dispositio. n. 3. 9. & 11. p. 239. & 240
- Beneficia quando dicantur pleno iure subiecta monasterio, vel Episcopo. part. 2. c. 1. §. 6. n. 6. p. 233
- Beneficium perpetuum non potest erigi ex fundatione simplicis legati pij, quando testator prohibuit Episcopum ne se de hac fundatione immiseret. part. 2. c. 1. §. 6. n. 25. Secus si nihil prohibuerit; tunc enim potest illa erectio fieri de consensu hæredis. n. 26. Idem de fundatione amouibili dicendum. n. 27. p. 234
- Beneficio in titulum possessio nemo renunciare potest, vt conuertatur in commendam sine autoritate Superiorum. part. 2. c. 1. §. 12. n. 21. sicut nec ille qui possidet in commendam beneficium, potest illud conuertere in titulum. n. 22. Etiamsi secularis commendatarius professionem emisit regularem in illo ordine, à quo beneficium dependet. n. 23. p. 245
- Beneficium probatur regulare ex eo quod seculari concessum fuerit in commendam part. 2. c. 1. §. 12. n. 30. p. 245
- Beneficium concessum in commendam remanet affectum, propter appositionem manus Papæ. part. 2. c. 1. §. 12. n. 31. Sed hoc non habet locum in Gallia n. 32. p. 245
- Beneficia simultaneæ collationis non continentur sub reseruatione ex causa sedis vacantis. part. 2. c. 3. §. 2. n. 4. p. 260
- Beneficia consistorialia quæ dicantur, & quæ sit praxis circa provisionem ipsorum. part. 2. c. 2. §. 7. n. 1. & 2. Et quod non expediantur sub simplici Signatura; sed Bullarum expeditio sit necessaria. ibid. n. 3. p. 271
- Beneficium non præsumitur curatum, quando non habet populum, vel Clerum. part. 2. c. 2. §. 3. n. 2. p. 251
- Beneficia simplicia diuiduntur in seruitoria, & non seruitoria. part. 2. c. 2. §. 3. n. 3. p. 251
- Beneficij curati natura non mutatur, quamuis Rector ex voluntate aliquando Sacramenta ministraverit. cap. 2. §. 3. n. 7. ibid.
- Beneficium monoculare quod dicatur. c. 2. §. 6. n. 1. & tale beneficium non supponitur Regiæ nominationi. n. 5. & vtrum dicatur monoculare, quando vnum situm est in Gallia, alia verò extra Galliam. ibid. n. 6. p. 251
- Beneficiati non habent præbendam. part. 2. c. 1. §. 9. n. 10. p. 236
- Beneplacitum.*
- Temporis diuturnitas non facit, vt præsumatur beneplacitum Apostolicum interuenisse in alienatione bonorum Ecclesiæ, nisi concurrat obseruantia c. 98. n. 3. p. 172
- Bigamus.*
- Bigamia triplex est, vera, interpretatiua, & similitudinaria. part. 2. c. 5. §. 4. n. 10. Super vera & interpretatiua solus Papa dispensat. n. 11. In similitudinaria Episcopus dispensare potest. n. 13. p. 310
- Bigamia est irregularitas, non tamen procedit ex aliquo delicto. ibid. n. 12. p. 310
- Bigamia non incurritur nisi post matrimonij consummationem. ibid. n. 10. p. 310
- Bigamus est incapax beneficij, quamuis ante coniugium fuisset clericus. part. 2. c. 5. §. 4. n. 6. & licet non amittat characterem, tamen habetur pro simplici laico: ideo non solum beneficij est incapax, sed etiam pensionis Ecclesiasticæ. ibid. n. 7. & 8. p. 310
- Breue.*
CAPVT XI. Exactorem cui factum fuit mandatum, seu indicatio soluendi alicui creditori in moneta currenti, contra tamen formam contractus censualis, non teneri ultra indicationem. Hoc tamen non nocere ipsi creditori, quamuis vtì secretarius Communitatis instrumentum indicationis rogauerit. Item quomodo solutio fieri debeat quando quis promittit soluere in testutis, regalibus, & solidis. Quid si solidi non reperiantur, aut saltem magna cum difficultate. Et vtrum Notarius recipiendo instrumentum, suis hypothecis præiudicet. p.19

Index Capitulorum Libri Secundi.

CAPVT XII. Plenius explicantur ea quæ dicta sunt superius cap. 1. num. 15. in 4. casu. De promissione restituendi sortem annui redditus in moneta quæ sit eiusdem, seu non minoris bonitatis intrinsecæ, & extrinsecæ; *Pedis, ponderis, & ligæ, Pied, tiltre & aloy.* Quid statuendum sit quando eodem tempore mutatus simul fuit valor extrinsecus omnium monetarum. Quid si facta fuerit promissio restituendi sortem habita ratione ponderis *du marc.* Et utrùm sola diligens specierum dinumeratio obliget debitorem ad easdem species restituendas, si nihil aliud conuentum sit. p.19

CAPVT XIII. Utrùm debitor aureorum liberetur, soluendo illorum æstimationem in alia moneta currenti tempore solutionis; an verò in substantia auri soluere teneatur. Et in casibus in quibus æstimatio loco aurei solui potest an facienda sit habito respectu ad tempus testamenti, aut mortis, vel destinatæ solutionis, seu euenientis conditionis. Et quid in debitis, seu legatis annuis. Legatum aureorum, utrùm intelligatur de maioribus, an de minoribus, vel mediocribus. Quid si legatum factum fuerit de certo auri argentiue pondere, an sufficiat præstare æstimationem; & cuius temporis ratio haberi debeat. Et utrùm interesse dotis non solutæ, debeat per extraneum, qui dotem in pecunia promisit: Et an cum augmento monetarum. p.22

CAPVT XIV. Legatarius aureorum grauatus de restituendo, utrùm teneatur restituere fideicommissario aureos in specie; an verò sufficiat illorum æstimationem præstari. Et aucto valore extrinsecæ aureorum, utrùm æstimatio fieri debeat habito respectu ad tempus testamenti, vel mortis, aut restitutionis. Et si legatario dati fuerint in solutum annui redditus concepti in aureis, qui postea per debitorem fuerunt extincti, utrùm postea eueniente casu restitutionis fideicommissi, teneatur aureos reddere iuxta valorem temporis extinctionis censuum. p.24

CAPVT XV. Restitutio dotis soluto matrimonio, vel illius promissa solutio constante matrimonio, in qua moneta fieri debeat, & iuxta cuius temporis valorem. Quid si maritus dotem in certis auri vel alterius monetæ speciebus receperit. Et utrùm maritus aureos in auro restituere teneatur quando ipsi capitalia in auro concepta, in auro quoque extincta & redempta fuere. Quid si dos promissa fuerit in libris, aut alia moneta imaginaria. p.27

CAPVT XVI. Exactores Communitatum qui fuerunt in mora soluendi creditoribus indicatis, an & quando teneantur ad augmentum aureorum superueniens. Et utrùm Exactores possint lucrari componendo cum creditoribus Communitatis circa maiorem valorem aureorum. Et utrùm si Communitas teneretur aliquid supplere, vel adimplere quod non adimpleuerit, Exactores teneantur ad incrementum valoris monetæ superueniens, etiamsi non fecerint oblationem vel depositum pecuniæ. p.28

CAPVT XVII. Quando census fuit conceptus in certo numero duplarum Hispaniæ, sezenorum, ducatonorum & alterius monetæ albæ in contractu designato, & conuentum fuerit quòd in casum extinctionis restitutio fieret in iisdem speciebus, quibus supra; non minoribus in bonitate intrinseca vel extrinseca, sine aliquibus patachis, aut alia moneta inferiori; restituendas esse easdem species, eundemque numerum specierum, copiosius demonstratur. p.29

CAPVT XVIII. Continuatur hoc capite eadem quæstio quæ in præcedenti, de pacto restituendi sortem in non minori bonitate intrinseca vel extrinseca, in bona & grossa moneta &c. p.32

CAPVT XIX. Licentia capiendi pecunias sub censu annuo data per superiorem alicui Communitati ad rationem trium librarum pro quolibet scuto, utrùm reddat inualidum pactum in contractu census appositum de restituendo sortem in iisdem speciebus, in casum extinctionis eiusdem. p.41

CAPVT XX. De tondente monetam alieni Principis, quam pœnam mereatur. Quid de fabricante monetam alienæ Monarchiæ, utrùm pœna mortis plecti queat. Bulla Pij V. contra monetarios, utrùm sit obseruanda in ciuitate Auenionensi, & Comitatu Venayssino. Utrùm pœna confiscationis bonorum locum habeat in tondente monetam. Utrùm quis possit pro illo eodem delicto simul pœna corporali, & pecuniaria puniri. p.42

CAPVT XXI. Creditor qui sub annuo censu pecunias dedit, ut ex illis creditor alius eius qui se obligauit ad censum, qui que erat anterior dimitteretur, non succedit in hypothecis creditoris dimissi, quando illius creditum fuit per nouationem extinctum; maximè quoad census decursos & currentes, si primum creditum non erat ex sui natura fructiferum. Nouatio ex quibus hoc casu inducta dicitur: cur:

Index Capitulorum Libri Secundi.

- tur. Bona fideicommissa supposita, vtrum alienari possint ex fructibus dotis qui in magnam molem excreuerunt. p.43
- CAPVT XXII. Quando bona debitoris fuerant subhastata, & liberata plus & vltimò offerenti, vtrum debitor qui vult impugnare executiones audiatur non soluto debito liquido, vel cauto pro illiquido. Quid si debitor adhuc possideat, & executiones nondum sint consummatae. p.46
- CAPVT XXIII. Vtrum ius prælationis competens domino directo, alteri cedi possit, & per cessionarium subcedi: Et pendente lite super iure prælationis, vtrum emphyteuta possidens agere possit pro libertate & exemptione domus à seruitute prætensa per vicinum, qui iure prælationis sibi cesso vult uti. Cessio iuris prælationis ratione venditionis proximè faciendæ, quomodò intelligi debeat. Si dominus directus ante denunciationem cessionarij iuris prælationis, emptorem inuestiuerit, an cessionarius excludatur. Quæ expensæ per retrahentem sint restituendæ emptori. p.48
- CAPVT XXIV. Si feudi concessio facta fuerit alicui pro se, & liberis vtriusque sexus, ita tamen vt stantibus masculis fœminæ non succedant, sed semper primogenitus masculus succedat, mortuis omnibus masculis, & feudo ad fœminam deuoluto, vtrum post eius mortem succedat masculus ex fœmina illa secundogenitus, ad exclusionem filia primogenita. p.51
- CAPVT XXV. De quadam transactione facta inter Communitatem & Officiales R. Camerae Apostolicæ super dominio directo quarundam paludum, & terrarum ad pascua destinatarum. Ad quem de iure huiusmodi terræ pertineant, quando videlicet spectent ad Dominum, seu Baronem, & quando ad Communitatem. Et de præscriptione immemoriali contra Cameraam completa ante publicationem Bullæ in *Cena Domini*. p.52
- CAPVT XXVI. De immunitate patri duodecim liberorum concessa, quomodò intelligenda sit: Et in quibus casibus illa immunitas locum habeat. p.54
- CAPVT XXVII. De minore agente conditione indebiti, quando mater tutrix plus soluit paternis creditoribus quàm illius facultates paterentur. Vtrum sit in electione ipsius an malit agere contra matrem; an verò, quod vltra facultates paternas solutum est, ab ipsis creditoribus repetere. p.55
- CAPVT XXVIII. Vtrum æstimatio necessario præcedere debeat, quando bona debitoris in incantu publico, vni ex creditoribus liberantur. Et vtrum liberatio sic facta nulla præcedente bonorum æstimatione sit inualida. p.56
- CAPVT XXIX. Quibus in casibus ille ex cuius pecunia creditor anterior dimittitur succedat in ius creditoris dimissi, siue solutio fiat à secundo creditore, siue ab emptore, siue pactum subrogationis interuenierit, siue non: & siue cessio iurium facta fuerit, siue non: & alij plures casus subrogationis & subingressionis in locum hypothecarum creditoris dimissi, explicantur pag 58
- CAPVT XXX. Vtrum mulier possit alienare bona super quibus marito ad inopiam vergente consignata fuit. Et vtrum talis alienatio iuramenti vinculo roboretur. Quid si lis nondum fuerit super dotis consignatione præparata. Et quibus remediis huiusmodi alienatio valida reddi queat. p.61
- CAPVT XXXI. De remissione mercedis conductori facienda. Et quando ad hunc effectum contractus venditionis, vel locationis sit censendus. Quale damnum sit probandum per eum qui agit ad remissionem mercedis. Pactum de facienda remissione mercedis, quid operetur vltra ius commune. Exceptio remissionis mercedis vtrum retardet executionem obligationis Cameralis, vel possessionem domini in recipienda mercede locationis. De casuum fortuitarum renunciatione: & de iniustitia pacti quo conductor obligatur ad solutionem mercedis etiam in casum non fruitionis rerum locatarum. Et alia multa ad materiam. p.64
- CAPVT XXXII. Exactores Communitatum, an & quando possint cedere iura Communitatis, mutuantibus pecunias pro solutione summarum per Communitatem debitarum. Et vtrum cessio iurium facta emptoribus solventibus de pretio ipsorum, producat non solum liberationem, sed etiam subrogationem in ius Communitatis. Et vtrum creditor qui curauit bona sui debitoris vendi sub hasta non interueniente reali pretij numeratione, sed habitâ fide de pretio amittat anterioritatem hypothecarum quas habebat super bonis primi debitoris. p.66
- CAPVT XXXIII. Explicatur consuetudo Cenomanensis artic. 324. & 334. Et vtrum vidua petere possit redditum annuû sibi à marito illius prouinciæ incola in qua testamentum condidit, legatum su-

Index Capitulorum Libri Secundi.

- per bonis sitis in alia prouincia in qua maritus uxori legare non prohibetur; uel etiã super pretio illorum bonorum conuerso in solutionem debitorum hæreditatis paternæ, sitæ in prouincia Cœnomanensî. Et utrũ obstat confusio actionum ob aditam à marito sine inuentario paternam hæreditatem. De matre ad secunda vota conuolante. Et de edicto Regio super successione matrum. p.71
- CAPVT XXXIV. Quando Communitas admittitur ad se redimendum pro eodem pretio quo fuit vendita. Si sub ea sint plura membra & iurisdictiones, utrũ possit illa vendere, & pretium ad sui utilitatem conuertere; An verò illa emptio eiusque utilitas cedere debeat ad commodum supremi Principis, qui Communitati permisit ut iure redemptionis uteretur. pag.72
- CAPVT XXXV. Si auus donet bona sua filio in contractu matrimonij, & illius contemplatione, sub pacto conuento & concordato, quòd filius donet primogenito ex nepotibus seu liberis ex illo nascituris medietatem bonorum suorum; dictusque auus similiter substitutionem in eodem contractu faciat; utrũ alij liberi secundogeniti petere possint bona sic per auum, & per eorum patrem donata repõni in globo, ad effectum impinguandi eorum legitimam quam petunt super bonis paternis. p.74
- CAPVT XXXVI. Utrũ laudimium debeat domino directo, si duo fratres bona paterna diuidant, ita ut vnus hæreditati, alter legato mille scutorum sibi per patrem facto renunciât. Quid si id fiat per viam repudiationis. Si partes à contractu recedant, utrũ nihilominus debeat laudimium. Quid si agatur de diuisione in qua vnus pecuniam contulerit pro æqualitate seruanda. Et in quo circa hanc controuersiam differant Doctores Galli ab aliis. p.76
- CAPVT XXXVII. Factã per matrem liberorum suorum tutricem promissione venditionis, an & quando ante ratificationem liberorum, & contractu nondum in scripturam redacto, liceat ab eo recedere absque metu solutionis laudemij. Utrũ liceat minoribus, & Communitatibus recedere à contractu ante factas subhastationes, & instrumentum in scripturam redactum. Quomodò concipi debeat contractus quando partes recedunt à venditionis promissione, ne ad laudemij solutionem teneantur. p.77
- CAPVT XXXVIII. Si testator certam summã filio legauerit, dum erit ætatis 25. annorum, & interim alimenta; utrũ alimentã cessent in ætate 25. annorum, quamuis legatum tunc nondum fuerit solutum; an verò currant etiam post annum 25. donec hæres legatum soluerit. Et quid si filius paternum contemnens præceptum uxorem duxerit sine consensu matris. p.79
- CAPVT XXXIX. Iuri prælationis locum esse, quamuis in instrumento alienationis, nomen donationis fuerit appositum simulatè, in fraudem domini directi. Veluti cum donatarius in se assumpsit onus soluendi censum super re alienata specialiter non inhærentem; nec super ea limitatè; sed super omnibus bonis alienantis impositum. Quomodò debeat intelligi quod dicitur omnia bona in Gallia: & alibi, esse redacta ad instar patrimonialium. Et quæ sit differentia inter solutionem gabellæ, & solutionem laudemij. pag.80
- CAPVT XL. De fundi dotalis donatione per mulierem facta, non obseruatis solemnitatibus per statutum Delphinale requisitis, quando fundus ille dotalis fuit alienatus cum vniuersitate bonorum præsentium & futurorum, sub modica reservatione ad testandum. Et plura de obligatione mulieris per quam remanet indotata. p.82
- CAPVT XLI. De dominio directo vniuersali alicuius territorij, tam quoad iurisdictionalia, quàm quoad ipsa prædia in illo territorio existentia. Quomodò, & ex quibus probetur aliquem esse dominum directum vniuersalem alicuius territorij. De bonis allodialibus, seruilibus, vel sub feudo franco concessis: Et quomodò tria hæc inter se differant. Homagij præstatio utrũ secum inferat dominium directum. Quæ sit natura feudi liberi, nobilis & gentilis. Et utrũ ex eius alienatione laudimium debeat. p.85
- CAPVT XLII. De restitutione in integrum in fauorem memoriæ defuncti, qui uti reus læsæ maiestatis fuit condemnatus. Et quis resultet effectus si talis restitutio fiat per viam gratiæ, vel per viam iustitiæ. Et quæ probationes utroque casu requiruntur. p.88
- CAPVT XLIII. Venditorem bonorum feudalium teneri de euictione, quamuis dixerit se illa vendere talia qualia possidebat, si ante venditionem feudi, partem bonorum illorum supposuerit collectarum solutioni, quibus bona non feudalìa subiiciuntur. Et tenetur non solum ad interesse quanti minoris res vendita fuisset

Index Capitulorum Libri Secundi.

- set; etiam ad interesse totale, damna, & expensas. p.90
- CAPVT XLIV. Priuilegium immunitatis alicui à supremo Principe concessum cum clausula *Pro te, & successoribus tuis*, utrùm extendatur ad tertios possessores ab eo ius habentes. p.91
- CAPVT XLV. Utrùm creditores vxoris possint in iudicio discussionis, opponere quòd ipsa non potuit se obligare ultra medietatem dotis pro marito, vt super bonis mariti in eo quod medietatem excedit cæteris creditoribus præferantur, pro obligationibus per vxorem proprio nomine præstitis. Et utrùm exceptio illa nullitatis talium obligationum, in executione sententiæ opponi possit. Et ibi plures casus deciduntur circa obligationes, per quas vxores remanent indotatæ. pag.92
- CAPVT XLVI. Quando bona mariti binubi sunt in generali discussione ob concursum creditorum ipsius, utrùm super augmento quod ipse lucratus est in bonis secundæ vxoris ob eius prædecessum, præferantur liberi primi matrimonij pro dote materna, aliique creditores; An verò potior sit causa liberorum secundij matrimonij, eâ ratione, quia lucrum illius augmenti prouenit ex dote secundæ coniugis, matris ipsorum. p.94
- CAPVT XLVII. Quando, & ex quibus verbis inducatur simplex & absolutum fideicommissum per prohibitionem alienationis, non solum in casum alienationis, sed etiam in casum mortis: Et ex quibus dicatur prohibita alienatio tam inter viuos, quàm in vltima voluntate. Et utrùm eadem res simul possit deberi ex duobus fideicommissis ex eodem testamento. Utrùm fœminæ comprehendantur sub nomine familiæ, quando facta est prohibitio alienandi extra familiam. Masculum ex fœmina, non esse de familia, & cognomine testatoris. Et vltimum vocatum ad fideicommissum posse ad libitum de bonis fideicommissi disponere. p.96
- CAPVT XLVIII. De aquis, & aquarum decursibus An & quomodò dominus prædij per quod aqua defluit de ea disponere possit. Domini prædiorum inferiorum, qua ratione ius ducendi aquam præscribere possint. Et ex quibus quis dicatur vsus fuisse aqua iure familiaritatis, vel iure seruitutis. Temporis antiquitas & publica vtilitas quid operetur in materia deriuationis aquarum. De concessione aquæ pluribus facta: & de constructione molendini. De aqua turbida ad irrigan-
- dum prædia. De deductione aquæ per vias publicas, & de ponticellis. De clausula *cum aquis & aquarum decursibus*. De fossis, & excauationibus. De remediis possessoriis pro aquis & aquarum decursibus introductis: Et quòd illis non obstantibus non possit quis impediri, quin intentare possit remedium summarissimi possessoriij. In quibus casibus necessaria sit tituli productio pro iustificatione possessoriij in materia aquarum. Possessio pro aquis quando priuatiuè vel cumulatiuè adiudicanda sit. Præscriptio iuris irrigandi vel iuris ducendi aquam, quod tempus & quas probationes requirat: & alia plurima circa materiam aquarum declarantur. p.99
- CAPVT XLIX. Cedens nomen, vel redditum annuum iam constitutum, quamuis euictionem promiserit, tenetur tantum præstare veritatem nominis, non autem quòd debitor cessus sit idoneus facultatibus, maximè si cessio per viam simplicis assignationis creditori facilioris solutionis gratiâ facta sit secus si per viam dationis in solutum, interueniente quittance, & liberatione factâ per creditorem in fauorem debitoris cedentis; nisi liberatio facta fuerit cum clausula *& moyennant ledit payement, &c.* Quid si creditor seu cessionarius ignorauerit insufficientiam debitoris cessi, aut vterque nempe cedens & cessionarius essent in probabili ignorantia. Utrùm in hoc sit aliquid speciale fauore dotis. Quæ sit vis clausularum *D'euiction de droit, & de fait, garantie, fournir & faire valoir, Prendre à soy, fournir & faire valoir, tant en principal, qu' arrages.* Item *D'estre de bon & exigeable debte. faire auoir & tenir: faire iouyr, paisiblement & perpetuelement; De present & à l'aduenir: Maintenir exigeable.* Quando & quas diligentias facere teneatur cessionarius aduersus debitorem cessum. Quid si cessionarius fuerit in culpa; aut facto Principis interuenerit impedimentum p.103
- CAPVT L. De electione vnus ex pluribus alicui testamento commissa, ad materiam *l. vnum ex familia ff. de legat. 2.* Utrùm grauatus de restituendo liberis suis possit vnum aut plures eligere in præiudicium aliorum. Quomodò in hoc differant fideicommissum prohibitorium, & restitutorium. Promissio de eligendo habetur pro vera electione. Quid de verbis *Volo eligere*, aut de verbis enunciativis. Et de simplici mandato alicui dato ad eligendum. Utrùm hæc vim habeant veræ electionis. Per generalem hæredis institutionem

Index Capitulorum Libri Secundi.

- nem. Donatio simpliciter facta ab eo qui eligendi facultatem habebat, vtrum censeatur facta de propriis bonis, an verò de illis in quibus habebat eligendi potestatem. Quid si donauerit, cum clausula *Aprendre sur tous mes biens*. Electum non posse ab eligente grauari, nisi in fauorem eligibilium, aut nisi electo bona sua alia æquivalentia relinquat, aut nisi in eius libertate positum sit, an velit eligere, an non. Vxorem per transitum ad secundas nuptias, non priuari eligendi facultate. Electionem tempore mortis faciendam, præuenire non posse in præiudicium tertij. Et ex quibus coniecturis ad tempus mortis ipsius electoris relata censeatur. p. 107
- CAPVT LI. Eum cui vnus certus ex pluribus incertis eligendi, seu nominandi commissio data fuit; non solum vnum, sed etiam plures eligere posse. Et nullam factam electionem, omnes æqualiter succedere, lege voluntatem testatoris adimplente, & eligentis negligentiam supplente: nisi forte agatur de re quæ apud electum, perpetuo non sit permanfura; veluti de emphyteusi ad vitam concessa: Aut si ex coniecturis constet de voluntate disponentis, quòd vnus duntaxat eligeretur: Ad quod sufficiunt coniecturæ, veluti vnus sæpe repetita vocatio in numero singulari: Et hoc casu, nullam factam electionem, non omnes, sed solus primogenitus admittendus est. Qui liberos suos eligere potest, vtrum possit eligere nepotes: Et vtrum nascituros. Quid de vocatione facta cum clausula. *Qui tunc erunt viuentes*. Factam semel electionem, licita est variatio, si ante tempus facta sit: secus si post aduentum diei, vel conditionis appositam. Quid si nominatio facta fuerit causam dotis: An liceat variare, & renouare electionem. Quid si duo eligere debeant, & vnus eorum elegerit ac mortuus fuerit, vtrum superueniens variare possit. p. 111
- CAPVT LII. Fundus dotalis non censeatur constitutus, quamuis marito traditus fuerit præcedente promissione dotis in certa pecuniarum summa, nisi tamen datio in solutum facta fuerit promiscue vtrique coniugi; vel maritus nomine vxoris, seu tanquam ipsius procurator prædia receperit. Sed si nulla præcesserit certam dotis promissio in pecunia, fundus remanet dotalis, non obstante æstimatione: & fructus illius soluto matrimonio, statim ad vxorem pertinent, etiamsi agatur de annuis redditibus, quia loco immobilium sunt. p. 114
- CAPVT LIII. De eo qui petit se immitti in possessionem vigore testamenti requirentis altiore indagine. Et in quibus casibus hæres possidens sit legitimus contradictor aduersus fideicommissarium non possidentem. Quæ sit differentia inter possessorem docentem in promptu de titulo suæ possessionis, & illum qui dat fumum Iudici de suo titulo probabili, & verisimili. Altiore indagine requirere iuris dubium, & difficile articulum. Quando articuli & testes super possessorio sint reiiciendi, non obstante clausula *Saluo iure impertinentium & non admittendorum*, & aliis clausulis salutaribus. Et de interpretatione statuti Auenionensis super admissione articulorum. p. 116
- CAPVT LIV. Donatio facta liberis non reuocatur per aliorum liberorum superuenientiam, sed duntaxat in casum inofficiositatis: sicut nec facta in fauorem matrimonij proprii, sed tantum alieni, si facta fuerit de omnibus bonis donatoris aut notabili illorum quantitate arbitrio Iudicis. Dummodo donator viuens se velle ipsam reuocare declarauerit, cum id facere posset. Eodem modo reuocatur donatio si filium peregrum profectum quem donator ipse mortuum existimabat, redeuntem viderit. Et vtrum donatio reuocetur per subsequenter liberorum naturalium legitimationem, propter contractum cum illarum matre coniugium. Nam quoad legitimos per rescriptum, certum est de illis in hac questione non esse tractandum, cum per eos donatio non reuocetur. Quid si donatio fuerit transactione firmata, vtrum per natiuitatem liberorum reuocetur. p. 119
- CAPVT LV. Donatio facta filio in contractu matrimonij, contemplatione eiusdem matrimonij, & liberorum ex illo procreandorum, vtrum acquiratur liberis tanquam liberis, an tanquam hæredibus. Et vtrum pater possit de bonis illis disponere in præiudicium liberorum, & illa sibi donata, suis creditoribus obligare. Suorum nomine qui contineantur, tam in contractibus, quam in vltimis voluntatibus. Quæ sit differentia inter donationem quæ fit filio, & suis, & eam quæ fit filio stipulanti pro se, & suis. Quæ sit natura donationis factæ contemplatione matrimonij, & vtrum filius debeat esse hæres actu, vel habitu, vt succedat in bonis sic donatis. Et quomodo valeat argumentum à contrario sensu si donator ius reuersionis sibi in certo casu reseruauerit. p. 122

Index Capitum Libri Secundi.

- CAPVT LVI.** Insinuatio in Gallia fieri debet coram Iudicibus ordinariis locorum ubi bona sita sunt. Sed quid si donatio fiat Auenione, vtrum debeat ibi insinuari, vel in Comitatu Venaissino in quo bona sita sunt. Et è conuerso, si donatio fiat in Comitatu, vtrum sit insinuanda Auenioni: Et vtrum insinuatio sit de essentia & substantia contractus, ac de solemnitate intrinseca illius. Concluditur donationem insinuandam esse in loco, ubi bona sita sunt, & tot faciendas esse insinuationes, quot sunt separatae iurisdictiones. Insinuationem coram Iudice laico factam, validam esse ostenditur, quamuis clericus laico donauerit, illamque requiri etiam in donatione pecuniae, nisi illius manualis traditio facta fuerit. p.131
- CAPVT LVII.** Insinuatio facta vltima die trium mensium ex regulamento Comitatus Venaissini, ad illam faciendam assignatorum, vtrum sit valida. Contractus quo quis promittit aliquid soluere pro alio, etiam si sciat se non posse releuari, vtrum indigeat insinuatione. Vtrum post mortem donatoris insinuatio fieri possit. In repudiatione iuris delati, sed non acceptati, & in dotis constitutione, vtrum requiratur insinuatio; siue donatio fiat à patre, siue ab extraneo. p.133
- CAPVT LVIII.** Vtrum vxor hæres mariti, confecto inuentario in quo aderant mobilia, & pecuniae, censeatur sibi soluisse dotes suas, & iura dotalia, in præiudicium suorum creditorum: Et vtrum eo non obstante creditores vxoris vsque ad concurrentiam iurium dotalium eiusdem, præferendi sint creditoribus mariti. Quando inducatur ficta solutio, & vtrum illa fictio retrahi possit in præiudicium tertij. Et an saltem hoc casu creditores mariti, vt possint exceptione compensationis aduersus creditores vxoris. p.136
- CAPVT LIX.** Si Communitas exactorem collectarum alicui commiserit, qui alium subexactorem insciã communitate sibi associauit, vtrum si principalis exactor non sit soluendo, agere possit viã executiua vel ordinariã contra talem subexactorem, seu socium exactoris, qui cum ipsa Communitate non contraxit. Et vtrum saltem in subsidium conueniri possit vsque ad concurrentiam summarum per ipsum exactorum. p.138
- CAPVT LX.** Vtrum priuatus habe ns

- domum iuxta plateam publicam, in qua fons ciuium vsui publico destinatus constructus est, possit aperire portam vt exeat à domo per illum locum ad viam publicam inuita Communitate. Quis dicatur locus publicus quoad vsum, & quis quoad dominium vniuersitatis; & quæ sit inter hæc duo differentia. Quando quis prohiberi possit in muro suo ianuam aperire. Qua ratione colligi possit quem aperire ianuam ad æmulationem. Vtrum per concessionem licentiæ sufficienter proberetur quasi possessio prohibendi. p.140
- CAPVT LXI.** Si legatum alicui fuerit prædium super quo reditus fuit specialiter impositus, vtrum hætes an legatarius ad census solutionem & extinctionem teneatur. Quid si legatum prædij factum fuerit *cum suis iuribus & pertinentiis*, vtrum intelligatur, tam de actiuis, quam de passiuis. p.142
- CAPVT LXII.** An minor 25. annorum possit eligi ad Consulatum, vel aliam publicam administrationem. Et vtrum sufficiat attigisse annum 25. an verò requiratur quòd sit completus. Forensis vtrum possit eligi ad Consulatum. Quid si se habitatorem declarare velit. Quibus competat ius agendi ad nullitatem electionis Consularis. Si Consul electus mortuus fuerit, aut aliàs inhabilis, aut incapax declaratus, an procedendum sit ad nouam electionem, an verò is qui plura proximè habet vota sit assumendus. p.144
- CAPVT LXIII.** Sola præsentia patris consentientis alienationi bonorum aduentitiorum filij non præiudicat illi quoad vsumfructum legalem; nisi tamen filia marito in dotem huiusmodi bona constitueret: hoc enim casu pater suo vsufructui renunciare censeretur. Vnde filia dotem aduentitiam sine interuentu patris alienare potest, sicut & alia bona in quibus pater non habet vsumfructum. Localia verò filiafamilias alienare potest absque consensu patris. Quid de lucris nuptialibus. Donatio causa mortis vel inter viuos, bonorum in quibus pater habet vsumfructum, eius auctoritatem requirit; quã deficiente, nulla est tam quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum. Nec potest pater auctoritatem præstare extra actum donationis, nec vnquam ad propriam vtilitatem. In Gallia tamen potest sibi ipsi author esse. p.146
- CAPVT LXIV.** Possessio incerta, quando & quibus in casibus sit manutenenda, siue ad effectum genericæ cuiusdam communionis, seu ad effectum perceptionis fructuum.

Index Capitulorum Libri Secundi.

- fructuum. Dominus directus, qui non habet intentionem fundatam in toto territorio, agens contra emphyteutas tenetur designare, certa & determinata prædia pro quibus sibi debetur canon: Et hoc non probato, non est manutenendus, ne quidem ad effectum genericæ communionis. p. 148
- CAPUT LXV.** Si subditi cum domino transactionem inierint, promittendo duplicare census & seruitia, casu quo contingeret ipsum loci Dominum maritare filiam, seu filias, vtrum duplicatus census debeat pro matrimonio spirituali in ingressu monasterij: & vtrum pro sola filia primogenita, an verò pro omnibus. Quid si agatur de filia spuria, vel illegitima: Et vtrum cessante conuentione, vel consuetudine, subuentio ista debeat. p. 150
- CAPUT LXVI.** Cessionarius iuris prælationis, & primi laudemij, facta suæ cessionis intimatione & declaratione, quòd vult vti iure prælationis sibi per dominum directum ratione certorum prædiorum cesso, renuente bonorum illorum emptore; seque aduersus retentionem opponente; si postea emptor pœnitentia ductus, refiliat à sua oppositione, & consentiat retentioni, vtrum pariter ipse possit recedere à iure prælationis, & cogere emptorem ad soluendum sibi laudemium, & sumendam inuestituram à domino directo. pag. 152
- CAPUT LXVII.** Ex duobus cessionariis iuris prælationis vter sit præferendus: an scilicet is qui primo vsus est concessionem sibi facta, an verò qui primus est in data. Quid si conditionem congruo tempore non adimpleuerit: & vtrum gratia concessionis primi laudemij & iuris prælationis expiret per aduentum noui Vicelegati; præsertim si hic nouus Vicelegatus similem alteri fecerit concessionem. p. 154
- CAPUT LXVIII.** Quæ sit differentia inter administratorem generalem, & particularem, quoad redditionem rationis. Et ex quibus colligatur vtrum administrator fuerit generalis, vel particularis. Quomodò sit intelligendum quòd dicitur Aduocatum cum cliente contrahere non posse. Confessio ad tollendum scrupulum facta, an noceat consentienti. Notarius vtrum deponere possit contra instrumentum per ipsum rogatum. Et si in instrumento dicatur quòd quis confitetur se recepisse in præsentia Notarij, vtrum ex eo probetur realis numeratio. Cancellatio instrumenti quid operetur. Et vtrum metus amissionis scripturarum sit sufficiens ad fundandam rescissionem contractus. p. 156
- CAPUT LXIX.** Matrimonio contracto secundum vsus & consuetudinem ciuitatis Parisiensis, vtrum debita pendente matrimonio exacta, quorum origo matrimonium præcedebat, inter acquestus numerentur, ad effectum vt cadant in coniugalem societatem. Fructus pendentes & radicati tempore mortis mariti, vtrum cadant in coniugalem communionem. Quid sit dicendum de arretagijs seu reliquis annuorum reddituum. Expensa funeris an sit onus communionis coniugalis; an verò spectet ad hæredes mariti. Quid de legatis per maritum factis, in fauorem domesticorum. Redemptio bonorum instantibus antiquis creditoribus vilis pretio distractorum, si per maritum constante matrimonio facta fuerit de proprijs pecunijs, an in eo quòd utilitatis accessit, medietatem habeat vxor bonorum socia; An etiam in melioramentis per maritam constante matrimonio factis; & quomodò hoc casu æstimari debeant melioramenta. p. 159
- CAPUT LXX.** Matrem grauatam de restituendo alicui ex filiis hæreditatem, in qua adsunt pecuniæ & mobilia, teneri cauere non solum iuratoriè sed etiam idoneè. Quomodò intelligendum sit, quòd dicitur matrem non teneri cauere, nisi pro possibilitate. Qua ratione substituto sit consulendum, si mater idoneè cauere non possit. Et quid continere debeat huiusmodi cautio. p. 161
- CAPUT LXXI.** Incrementa per alluionem territorio alicuius loci accedentia, vtrum spectent ad Dominum iurisdictionalem illius loci; an verò ad particulares prope ripam prædia possidentes; an denique ad fiscum. Quid si Dominus fuerit inuestitus de toto territorio, aut concessa illi fuerint Regalia. Vtrum flumen non nauigabile omni genere nauigij contineatur appellatione Regaliorum. Et quando verum sit Communitates habere intentionem fundatam in pascuis, nemoribus & terris quas herbidas vocant. pag. 163
- CAPUT LXXII.** Creditor magno ære alieno grauatus, non potest dici decoctor, ex eo solo quòd tempore solutionis suis creditoribus satisfecerit; cum magna sit differentia inter eum qui nõ est soluendo, & decoctorem, & ideo contractus per eum celebrati sunt validi; quamuis ipse per aliquot dies ad domum religiosam recesserit, non animo fraudandi creditoressed

Index Capitem Libri Secundi.

- sed vt commodius cum ipsis tractaret ; præsertim si postea liberam bonorum suorum administrationem habuerit, & publicè videntibus & consentientibus creditoribus suis negotiationem, & mercaturam exercuerit. Explicatur Statutum Auenionense *sub tit. De his qui foro cedunt. lib. 1. Rubr. 40. artic. 3.* Item quid sit latitatio, & quis dicatur latitator. Et an, & quomodo cum debitore proximè decocturo contractus celebrari possint. p.164
- CAPVT LXXIII. Quando, & quibus in casibus falcidia detrahatur de legatis piis. Et vtrum quod non detrahatur de legatis piis, aut aliis priuilegiatis, reiiciatur in onus aliorum collegatariorum non priuilegiatorum, siue hæreditas sit soluendo, siue non. Et vtrum diminutio falcidiæ fiat æqualiter super legatis consistentibus in specie, & in quantitate. Quæ sit praxis computationis falcidiæ quando adsunt legata pia si hæreditas sit in totum legatis absorpta. Et quid iuris quando non in totum absorbetur. Aut si adsint legata priuilegiata. non ex iuris dispositione, sed ex ordinatione testatoris. In legato vsusfructus quæ sit praxis supputationis falcidiæ, quando locus est illius detractio. p.166
- CAPVT LXXIV. In legato generali vsusfructus omnium & quoruncumque bonorum, vtrum comprehendatur vsusfructus quæ ad hæredes illius institutos, ex testamento alterius obuenire debebant; & sic illorum bonorum restitutio ipsimet hæredi fieri aliunde debebat. Fructus perceptos, filius etiam primi gradus, in falcidiam imputare tenetur: quomodo hoc procedat. p.168
- CAPVT LXXV. Si Baro concesserit alicui feudum liberum, & francum ab omnibus vtilitatibus feudalibus, & cum pacto redimendi; non debetur laudemium, nec de prima, nec de aliis alienationibus. Domino autem redimere volente, debent in primis inuestito restitui omnia melioramenta per ipsum facta, etiam à castro separata; si ad vsu castri facta fuerint; præsertim stante clausula in pacto redemptiuo appositâ *solutis prius melioramentis, & ædificiis quibuscumque.* p.169
- CAPVT LXXVI. Mater debitor filia in summa satis notabili, extorsit à futuro illius marito ad ipsius nuptias aspirante dilationem quadriennij, qua durante ad fructus minimè teneretur. Dubitatur vtrum ipsa ad collocandam filiam matrimonio hanc commoditatem obtinere potuerit, & an sit locus rescissioni huius-
- modi promissionis, maximè si mater sit nutrix filia suæ. p.171
- CAPVT LXXVII. Hæres grauatus de restituendo, suos facit fructus perceptos, non solùm pendente conditione, sed etiam post euentum conditionis antequam fuerit interpellatus de restituendo; nisi tamen sit hæres fiduciarius qui nudus est minister, & ideo fructus restituere tenetur. Dicitur autem fiduciarius, si concurrant quatuor à iure requisita; Et ex quibus coniecturis colligi possit hæredem esse fiduciarium. Et quæ sit differentia inter fiduciarium hæredem, & legatarium de quo testator confusus, noluit testes in sua dispositione adhibere. p.172
- CAPVT LXXVIII. Testamentum filiafamilias, cui pater authoritatem præstitit, vtrum sustineatur in vim clausulæ codicillaris, vel saltem in vim donationis causâ mortis. Quid si nemo pro absentibus acceptauerit, aut stipulationem interposuerit. Et an necessaria sit acceptatio, quando substitutus est in infanti ætate constitutus. Quæ patri hoc casu competant detractioes. Et an patre authoritatem interponendo donationi sibi præiudicauerit quoad suas detractioes, & nominatim legitimæ & Trebellianicæ, quæ hoc casu simul concurrere possunt. p.178
- CAPVT LXXIX. Contractus ex quibus censeatur emphyteuticus, vel censualis. Si autem partes illum emphyteuticum nominauerint, & in eo apposuerint pacta contraria naturæ, & substantiæ contractus emphyteutici, vitiantur, & vitiant. Et contractu nullo existente propter pacta contraria eius substantiæ, non potest valere contractus alio iure quàm expresso; Ideo ex illo nullum laudemium debetur. pag.180
- CAPVT LXXX. Pater primus acquirens, an & quomodo liberis suis præiudicare possit in emphyteusi. Quando emphyteusis dicatur concessa titulo oneroso; & quomodo probetur merita esse æquiualentia concessioni. Patrem non posse liberos villo onere in emphyteusi non hæreditaria grauare, nisi vocato ad emphyteusim bona propria reliquerit, & vsque ad concurrentiam valoris ipsorum. Hæres se obligans vtrum sibi præiudicet in beneficio inuentarij, si bonorum priorum obligationem adiecerit. Quid si se obligauerit cum clausula *tam nomine proprio, quàm hæreditario;* aut aliàs animo nouandi legalem obligationem. Denique vtrum constitutio dotis omnium bonorum

Index Capitulorum Libri Secundi.

- rum comprehendat bona emphyteutica. pag. 182
- CAPUT LXXXI.** Testamentum à Parocho, aut alio qui non sit Notarius publicus, in scripturam tempore pestis redactū, coram quo & quomodo publicari debeat. Testium numerus quis requiratur in hoc testamento pestis tempore confecto. Quid si testamentum à cæco fuerit factum, quæ solemnitates in eo requirantur. In codicillis, an minus quam quinque testes, tempore pestis interuenire possint. Quid in testamentis Officialium à publico pro conseruatione ciuitatis deputatorum. Testamentum debere vnico contextu fieri etiam tempore pestis. p.184
- CAPUT LXXXII.** In testamēto solemnī, quæ sit forma subscriptionis testium pro eius validitate. Defectus sigillationis testamenti in Gallia non multum curatur: Sed de iure communi, non parui est momenti. Octauus testis qui à multis testamentarius appellatur, adhibendus est in testamento solemnī quando testator propter infirmitatē, aut alia de causa, scribere non potest. Qui quidem testis testamentarius non potest fungi officio Notarij dum testamentum à testatore coram testibus remittitur. Et quomodo concipi debeat illius subscriptio. Testamentum solemnē quod vti tale nullum est, quomodo valere possit vti nuncupatiuum, & quando valeat iure codicillorum. Vtrum codicilli in scriptis fieri possint, & quæ in illis hoc casu solemnitates requirantur. pag. 186
- CAPUT LXXXIII.** Si venditio facta fuerit cum pacto de retro vendendo, venditor qui vigore illius pacti vult rem venditam redimere, præfertur domino directo volenti illam iure retentionis feudalis. p.188
- CAPUT LXXXIV.** Vendito feudo, vel castro, an censeatur in venditione comprehensa iurisdictio. Feudum cum iurisdictione, vtrum nobilitet illius possessorem. Dominus directus alicuius territorij quis esse potest, nullam habens iurisdictionem. Hominibus subditis, & homagiis venditis, quid in venditione contineatur. p.189
- CAPUT LXXXV.** In quibus casibus legatum vel substitutio pupillaris comprehendatur in fideicommissio vniuersali. Et quæ sit differentia, vtrum substitutus per compendiosam admittatur ex vulgari, vel fideicommissaria substitutione. Et vtrum detur electio substitu-
- to. Et quid in casu dubio. Et quando substitutio ad certa bona restricta possit valere vti pupillaris. Quas quartas detrahere possit substitutus vulgaris, vel pupillaris. Denique vtrum in casum detractionis Trebellianicæ, fructus imputentur in quartam per substitutum. p.191
- CAPUT LXXXVI.** Emphyteusis ex quibus dicatur, vel feudum: Et ex quibus dicatur ex pacto & prouidentia; an verò ad quoscumque etiam extraneos hæredes transitoria. Quid si concessio facta fuerit *Pro te, & tuis hæredibus, & successoribus quibuscunque, tam masculis quam fæminis.* Aut sub hac formula, *Pro te, filiis & hæredibus, ac successoribus quibuscunque vtriusque sexus.* p.193
- CAPUT LXXXVII.** Ex quibus verbis testator censeatur legatario reliquisse vsumfructum mobilium, aut aliarum rerum legatarum. Et an hærede decedente ante legatarium, legatum temporale, finito tempore limitato deueniat ad hæredes, & successores ipsius hæredis instituti, & an id fiat iure successionis vti succedendo legatario, an verò iure proprio vti representando hæredem institutum, & sic iure consolidationis. p.195
- CAPUT LXXXVIII.** Paries quando, & ex quibus præsumatur proprius vel communis. Et quando est communis, vtrum pro diuiso, vel pro indiuiso. Vtrum in muro communi, vicinus aperire possit fenestram respicientem in domum alienam. Et è conuerso, vtrum quis possit altiùs ædificare, vel eleuare obscurando fenestras sui vicini. Quando, & quibus concurrentibus, quis possit ædificare super muro communi, illumque altiùs attollere inuito & renuente vicino. p.197
- CAPUT LXXXIX.** In primogenituris, vtrum fratre secundogenitus, mortuo fratre primogenito succedat, exclusis filiis masculis fratris primogeniti. Quid si instituens primogenituram, vocauit masculos primogenitos, & illorum descendentes; vtrum & ex quibus testator habuerit potius respectum ad prærogatiuam ætatis quàm primogenituræ. Quid dicendum si testator vocauerit proximiores, vel superstites. p.200
- CAPUT XC.** Solutio momentanea, quando pecuniæ fuerunt duntaxat exhibitæ demonstrationis causâ, an & quando sit valida. Et quæ probanda sint ab eo qui talem solutionem impugnat. Quitancia facta contemplatione literarum quas debitor ad alium scripsit, quando & ex quibus habeat vim solutionis. Quæ sit

Index Capitulorum Libri Secundi.

fit differentia inter exceptionem non numeratam pecuniam competentem debitori, & eam quae competit creditori. Quomodo dicatur nouata actio per receptionem literarum cambij. Liber proxenetarum, an & quomodo fidem faciat. p.202

CAPVT XC I. Vendito dominio directo, utrum emphyteuta possit se redimere pro eodem pretio, quo dominium directum fuit venditum, tam ex dispositione iuris communis, quam ex Bullis Pontificiis Comitatus Venetici concessis. Quid dicendum sit de subditis, qui volunt impedire alienationem feudi, & se sub immediata supremi Principis iurisdictione, oblato venditionis pretio, supponere. Quid si emphyteuta vigore dictarum Bullarum, velit se redimere, quando totum feudum fuit alienatum, & ipse vult luere vnum tantum praedium particulare, quod tamen est de dependentiis feudi. p.203

CAPVT XC II. Donationes per patrem filio, aut liberis ex certo matrimonio nascituris, non insinuatae iure Gallico validae sunt; & pactum illud in dicto contractu appositum, valet in vim fideicommissi, quod inducitur ex verbis illis *A défaut*, tanquam temporis tractum continentibus. Vno ex substitutis propter professionem religionis incapaci existente in Gallia, alij verbis tantum coniuncti admittuntur. Bona ab auo donata, nepotum patri, utrum in ipsius patris legitimam imputentur. Substitutus pupillaris succedens ex fideicommissis detrahit Trebellianicam; sed fructus in eam hoc casu imputat, quamuis esset de liberis primi gradus. Substitutus filio pupillariter, utrum possit repudiare hereditatem paternam, & solam pupilli successionem acceptare. pag.205

CAPVT XC III. Distinctè explicatur quaestio validitatis testamenti, quando posthumus fuit scienter aut ignoranter praeteritus, siue clausula codicillaris concepta sit per verba praesentis, siue futuri temporis. Item ostenditur differentia inter praeteritionem filij posthumi, & filij iam nati. Utrum convalidato testamento per clausulam codicillarem, vna, vel duae quartae detrahi possint. Et si vna, utrum detur electio grauato, quam ex duabus quartis eligere velit. p.207

CAPVT XC IV. Hortus domui donatae contiguus, utrum contineatur in donatione domus per patrem filio facta, quando talis hortus etiam erat contiguus magnae domui per patrem sibi reseruatae;

& inter utramque domum intermedius, magisque conueniens cum structura magnae domus, quam sibi pater reseruauerat. Et ex quibus constare possit de intentione donatoris quoad hortum domui donatae contiguam. p.209

CAPVT XC V. Quando filiae dos constituta est in pecunia, & praeterea marito tradita fuerunt scrinia, quae fuerunt aestimata cum mobilibus, & mundo muliebri in illis contento, & maritus illam aestimationem soluto matrimonio promisit iisdem restituere quibus dos deberetur; teneri maritum mortuam uxore non solum dotem, sed etiam mundi muliebris & scriniorum aestimationem restituere, idque non obstante pacto quod mundus muliebris pertineret ad superstitem; Hoc enim pactum de ipso corpore mobilium intelligendum est, aestimatio vero haereditibus, & successoribus uxoris restituenda est. p.210

CAPVT XC VI. Pactum de succedendo in contractu matrimonij, de iure inuolidum est, quando respicit successionem haereditariam. Sed moribus Gallicis sustinetur. Et quomodo concipi debeat illud pactum, ut etiam subsistat secundum ius commune. Si donans reseruauerit sibi facultatem disponendi in fauorem tertij, vel donatarij, & postea dictam facultatem executioni demandet, utrum illa executio reseruationis operetur ut ex nunc tempore secundae donationis, aut ut ex tunc tempore primae dispositionis. p.212

CAPVT XC VII. Contractus annui redditus, utrum sit nullus ex eo quod fuit conceptus ex areragiis annorum praecedentium. Item utrum sit licitum creditori annui redditus accipere pignora pro securitate sua. Denique utrum census impositio sit valida quando facta fuit super re aliena, vel non libera, si dominus illius rei postea consentiat, vel quando super sunt alia bona libera sufficientia pro securitate creditoris. p.214

CAPVT XC VIII. Ostenditur ex communi Doctorum opinione liberos in conditione positos in contractibus, non esse dispositiue vocatos nisi concurrentibus legitimis coniecturis: neque quoad hoc fieri debere differentiam inter contractus, & ultimas voluntates: & eodem modo in contractibus, sicut in testamentis, filios censeri positos in conditione duntaxat ad excludendum substitutos, non autem ut ipsi includantur. Et conditionem *si sine liberis* appositam esse fauore donatarij, & in odium substituti, non autem ut donatarius vocetur. Ostenditur non posse hoc casu

Index Capitulorum Libri Secundi.

casu duci argumentum à contrario sensu, & si duceretur esse erroneum. Et quomodo dictum argumentum à contrario sensu procedere possit. p.216

CAPVT XCIX. In fideicommissis ascendentium locum esse representationi, maximè si adiecta sit clausula *in stirpes & non in capita*. Qui tamen vocatus non est, representare non potest vocatum; maximè si dispositio sit ad certas personas & gradus restricta, aut de solis primi gradus liberis testatorem sensisse colligatur. Et ad effectum representationis, vtrum attendatur persona testatoris grauantis, vel hæredis grauati. Clausulam *in stirpes* non esse extendendam extra gradum, & personas quarum respectu fuit apposita, sed ad illa restringendam, &


referendam esse. p.217

CAPVT C. Dos à patre profecta, ad patrem redire debet, sed si filia moriatur superstite marito & liberis, dos à patre aufertur, & liberis applicatur. Sed quando maritus præmoriatur, & postea vxor, dos ad patrem redit exclusis liberis. Neque hoc casu consuetudini Martini locus est. Eademque ratione dos redit ad patrem, si maritus superstite vxore & liberis præmoriatur. Illã tamen dotẽ ad se reuersã, pater minuere non potest. Sed si actio dotis sit propria ipsius filię, veluti si sit emãcipata, aut ipsa dotẽ sibi restitui fuerit patre præsentẽ & consẽtiente stipulata, ius reuersionis cessat. Idẽ si pater sit decoctus, quia pro mortuo reputatur. Et his casibus filia præfertur paternis creditoribus. p.220

QVÆST



QVÆSTIONVM
ET RESOLVTIONVM
CIVILIVM
LIBER SECVNDVS.



CAPVT I.

De pacto restituendi sortem Annui Reditus in eadem bonitate intrinseca, & extrinseca; & de illius pacti validitate, aliisque diuersis similibus pactis.

SVMMARIVM.

- 1 Bonitas moneta intrinseca in quo consistat.
- 2 Bonitas moneta intrinseca debet considerari etiam in moneta imaginaria.
- 3 Moneta si fuerit intrinsecè alterata debet attendi tempus contractus.
- 4 Creditor non tenetur recipere solutionem in moneta ronsa.
- 5 Pactum de soluendo in eadem bonitate intrinseca, est conforme iuri communi.
- 6 Moneta quando dicatur maioris vel minoris bonitatis extrinseca.
- 7 Solutio in qua moneta fieri debeat, quando super hoc nihil fuit inter partes conuentum.
- 8 Solutio quomodo debeat fieri, quando species fuerunt designata, sed non dinumerata, vel aestimata.
- 9 Si conuentum fuerit de soluenda certa specie, sed sub numero incerto, in qua moneta solutio fieri debeat.
- 10 Conuentio de soluendo in eodem valore intrinseco debet obseruari, licet contractus in moneta imaginaria conceptus sit.
- 11 Hoc procedit tam quoad sortem, quam quoad redditus.
- 12 Si dictum fuerit restitutionem in eodem numero fieri, hoc seruandum est.
- 13 Promissio restituendi in non minori bonitate monete, sonat in restitutionem earumdem specierum.
- 14 Eadem debet esse ratio augmenti & decrementi monetarum, tam quoad debitorem quam quoad creditorem.
- 15 Restitutio monetae promissa Au mesme pied quomodo intelligenda? In moneta, quid sit pied? quid tilre: quid Aloy? *ibidem*.

- 16 Solutio in iisdem vel similibus speciebus promissa, quomodo intelligenda.
- 17 Solutio si in certis & determinatis speciebus promissa sit, talis conuentio debet ad unguem obseruari.
- 18 Periculum mutationis intrinseca monetarum proximè futura, non reddit pactum de restituendo in eadem bonitate illicitum.
- 19 Periculum proxima mutationis extrinseca monetarum prauisa, an & quomodo reddat illicitum pactum de restituendo in eisdem speciebus.
- 20 Quando dubium mutationis monetarum est equale inter debitorem & creditorem, pactum restitutionis in eadem bonitate licitum est.
- 21 Permissum est sibi precauere ob monetarum mutationem.
- 22 Pactum de restituendo eodem valore moneta, videtur quadam transactio super dubio euentus futura mutationis.
- 23 Pactum circa sortis restitutionem in iisdem speciebus, compensari potest cum aliis pactis conuentis in contractu annui redditus.
- 24 Si Princeps velit dare legem solutionibus circa monetas, hoc debet facere pro negotiis & contractibus futuris, non pro prateritis.
- 25 Decisio Putei 145. in nouis, & 149. in antiquis lib. 2. reuocatur. Vide cap. 17. num. 10.
- 26 Clausula, rebus sic stantibus, non procedit in iis que augmentum, vel diminutionem recipiunt.



VM tractatur de redemptione annui redditus, & in qua moneta fieri debeat quando monetae fuerunt alteratae; non vnica potest reddi ratio: sed iuxta casuum varietatem, variæ quoque resolutiones fieri debent. Vt igitur veritas sine aliqua confusione habeatur, varij casus, variæque capita constituenda sunt.

Primum caput respicit bonitatem intrinsecam monetarum, quæ consistit in materia & pondere l. 2. Cod. de veteris numism. potest. Bertrand. consil. 17. n. 4. volum. 4. Rot. coram Burat. decis. 626. num. 4. & in recent. decis. 597. num. 2. part. 1. Loiter. de re benef. lib. 1. q. 39. n. 185.

Quæ bonitas intrinseca etiam in considerationem 2.

venit in contractibus, in quibus moneta imaginaria promissa est; quia cum moneta imaginaria constet in monetis inferioribus, eidem alterationi subiicitur quibus istæ supponuntur, Lotter. *dict. lib. 1. quest. 39. num. 221. Cens. lib. 2. cap. 2. quest. 4. art. 4. num. 16. aliàs quest. 85. Surd. consil. 454. n. 9. versic. & prædicta. iuncto num. 7. volum. 4.*

3. Quando autem moneta alteratur in bonitate intrinseca; certum est, & indubitatum, solutionem & extinctionem annui redditus fieri debere de moneta, quæ currebat tempore contractus si extet: si verò non extet, fieri debere de moneta noua, æstimata iuxta valorem antiquæ, Cens. *in tract. de censib. part. 2. cap. 2. quest. 4. artic. 4. n. 26. aliàs quest. 85. Rot. apud Ludouif. decis. 42. & ibi Addit. Ioan. Reynaudy Auen. in suo tract. de monet. in fin. versic. concludo igitur, & per totum illum tractatum. Burat. decis. 626. n. 3. plures alias decisiones Rotæ citat Vifel. in verb. æstimationis. conclus. 69. n. 37. Cyriac. controuers. 388.*
4. Vnde infertur quòd creditor non tenetur recipere extinctionem in moneta, quæ propter tansionem fuit facta minoris ponderis. Ludouif. *dicta decis. 42. Abbas. in cap. quanto. sub num. 12. versic. Item ex defectu pecunie. de Iure-iurand. Imol. in l. Paulus. in fin. ff. de solut. Duard. de Censib. §. 3. quest. 6. num. 4. Viuius. opin. 516. n. 61. Sola de monet. cas. 25. Sicuti non tenetur recipere solutionem in moneta quæ non sit eiusdem materiæ, Bertrand. *consil. 17. n. 4. volum. 4. Surd. d. consil. 454. n. 7.**
5. Infertur etiam ex prædictis, quòd cum sine aliqua partium conuentione, solutio fieri debeat, iuxta bonitatem intrinsecam monetæ, quæ erat de tempore contractus; multo magis id locum habebit, stante pacto expresso de soluendo in eadem bonitate intrinseca; cum nihil tam congruum sit humanæ fidei quàm pacta seruari. *l. i. ff. de pact. & in hac materia in primis ad partium conuentiones, earumque verba recurrendum esse asserant DD. omnes hac de re tractantes, quos citat & sequitur. Sola de monet. cas. 17. & Cens. ubi sup. n. 4.*
6. Secundum caput respicit mutationem monetæ in bonitate intrinseca; quia quando valor pecuniæ augetur, pecunia dicitur aucta in bonitate extrinseca: quando verò minuitur, dicitur esse minoris bonitatis extrinsecæ: vt volunt omnes DD. *in l. cum quid. ff. si certum petat. Rot. in recent. d. decis. 597. num. 2. part. 1. Gratian. discept. forens. c. 560. n. 13.*
7. Quia verò hoc caput plurimos habet casus, ideo de quolibet separatim agendum est. Primus est casus quando nihil profus fuit inter partes conuentum, in qua monetæ specie restitutio fieri debeat? Et hoc casu regula generalis est extinctionem annui redditus fieri debere in moneta, vel iuxta valorem currentem de tempore solutionis, si alia verba contractus non repugnent: Adden. ad Ludouif. *dict. decis. 42. num. 7. & 8. Rot. in recent. decis. 149. num. 6. & 11. part. 1. Thesaur. Iun. in tract. de monet. part. 2. n. 60. & pro regula generali tradit Rot. decis. 1. n. 3. apud Duran. part. 1.*
8. Idem dicendum est quando creditor soluit pretium census in certis speciebus, sed nec specierum dinumeratio, nec illarum æstimatio facta fuit, & nihil conuentum fuit circa formam restitutionis. Couar. *in tract. de collat. veter. numism. cap. 7. §. vnic. n. 5. in 7. conclus.* Sed si conuentio facta fuerit de restituendo in certa nummorum specie, sed incerto numero; & nihil conuentum fuit de æstimatione, inspicitur tempus solutionis. Couar. *ibidem in 8. conclus.* & ita consului die 17. Decemb. 1643. quia in illo casu, capitale conceptum fuerat in 300. scutis de Soi-

xante solz piece monnoye blanche, & iuxta meum consilium fuit iudicatum, pro D. du Halier; quod latius explicatur infra. *c. 5. huius libri.*

Secundus casus est, quando species in contractu 10. census fuerunt dinumeratæ, & fuit conuentum quòd redemptio redditus fieret in eisdem speciebus, & eodem valore extrinseco: & hoc casu pactum seruandum est, etiamsi contractus fuerit conceptus in moneta imaginaria. Bart. *in dict. l. Paulus. in fin. ff. de solut. Scaccia. de comerc. §. 1. gloss. 5. n. 187. & 188. Brun. in tract. de monet. limit. 8. sub num. 5. versic. secundo queritur.* Rationem reddens, quia tunc libræ, aut alia moneta imaginaria censetur æstimata per ducatos vel aureos, aut aliam speciem monetæ expressam, quæ restituenda est in tanto numero qui comprehendat numerum librarum promissarum de tempore contractus, & sic lucrum augmenti vel damni pertinet ad creditorem. Cens. *dict. artic. 4. n. 5. & in terminis, quòd pactum illud de restituendo sortem in eadem bonitate intrinseca, & extrinseca sit validum, & obseruandum tanquam de naturalibus contractus, tradit Gaspard. Bellelia. in suo consilio monetali. n. 24. & sequentibus. Sola, in tract. de monet. cas. 39. n. 11. & cas. 14. num. 1. 2. 3. † Quod procedit etiam in ipso 11. redditu. Thesaur. de monet. part. 2. num. 65. Larrea. *decis. Granat. 24. Censius. quest. 85. n. 42. Duard. §. 3. quest. 6. n. 44. melius. n. 35.**

Et præmissa etiam indubitanter procedunt, quando 12. conuentum fuit restitutionem fieri in iisdem speciebus, & eodem numero. Viui. *opinion. 516. num. 37.*

Tertius casus est, quando species fuerunt in contractu 13. dinumeratæ, & conuentum fuit quòd restitutio fieret in iisdem speciebus, non minoris bonitatis intrinseca & extrinseca; & hoc casu etiam concludendum est restitutionem fieri debere in eadem æstimatione quæ currebat de tempore contractus, neque pactum illud tanquam iniquum posse impugari: quia si quæ in eo versaretur iniquitas, illa esset in fauorem debitoris, & in odium creditoris census: nam vt supra dictum est cum aureus augetur in pretio, tunc dicitur augeri bonitas extrinseca; minui verò quando minuitur. Vnde cum hodie dupla Hispaniæ sit aucta ad decem libras cum dimidia, quæ olim valebat octo cum dimidia, valor extrinsecus duplæ dicitur auctus, & maior: vnde si hodie dupla iterum reduceretur ad valorem octo librarum, diceretur diminuta in valore extrinseco. Rota *dict. decis. 597. num. 2. part. 1. in recent. facit text. in l. non minorem. Cod. de transfact. Valq. lib. 2. controuers. cap. 67. n. 2. Mantie. de tacit. lib. 26. tit. 9. n. 14. & in puncto Sola, de monet. cas. 19. n. 1.*

Hoc itaque præsupposito, sequitur quòd pactum de restituendo species in non minori bonitate extrinseca hoc operari debet, vt si debitor duplam receperit ad pretium decem librarum, quæ postea reducta fuerit ad octo, non teneatur restituere illam, nisi ad rationem decem librarum, prout recepit; & sic creditor amitteret duas libras pro qualibet dupla: cum supponamus cursum & valorem extrinsecum esse tantum octo librarum, & tamen creditor cogeretur illas recipere pro decem libris. Si igitur pactum de restituendo in non minori valore prodest debitori, & nocet creditori, quando monetæ valor extrinsecus fuit diminutus; eadem ratione debet illud pactum prodeste debitori, & nocere debitori, quando monetæ valor extrinsecus fuit auctus: † Ea- 14. dem enim debet esse ratio augmenti & decrementi in creditore respectu debitoris, quæ fuit in debite respectu creditoris. Rot. *decis. 149. numer. 7. part. 2. in recent. Gratian. decis. 85. n. 6. bene Viu. opin. 516.*

- num. 46. Atque ita hanc paritatem augmenti & diminutionis explicat Faber in tract. de varijs nummarior. debitor. solut. cap. 2. colum. 3. versic. idemque ex contrario, vbi explicat monetam dici in non maiori numero deberi, si bonitas extrinseca fuerit immutata.
15. Quartus casus, quando conuentum fuit quod restitutio fieret in moneta, quæ esset de mesme piedrille & Alloy; & hoc casu restitutio fieri debet etiam eadem bonitate extrinseca: dictio enim illa *piedrille*, significat notam natiuæ probitatis auri & argenti: dictio verò *Alloy*, significat ligam & admixtionem alienæ materiæ: denique dictio *Pied*, nihil aliud significat quàm numisma prototipon, ad cuius bonitatem extrinsecam aliæ monetæ cuduntur; significant igitur proportionem valoris extrinseci, vnius monetæ ad aliam; ita vt si marca argenti valeat quatuordecim libras, valor ille dicatur *le pied de quatorze liures*, ad cuius proportionem aliæ monetæ cudi debent: & est notorium apud omnes monetarios, & probatur ex ordinationibus Regiis, & nominatim Francisci primi de anno 1546. apud Fontanon, tom. 2. fol. 115. artic. 7. & 8. & de hoc quarto casu copiosius agemus infra cap. 12.
16. Quintus casus est; quando species fuerunt numeratæ, & conuentum fuit quod restitutio fieret in iisdem speciebus, vel in similibus speciebus: & hoc casu diuersæ opiniones sunt. Siquidem Craueta consil. 47. num. 3. existimauit verba illa esse referenda ad qualitatem & quantitatem: quem tamen reprehendit incertus Author in tract. de monet. quest. 7. sed tamen pro Craueta tenet Sola, in tract. de monet. casu 39. num. 27. versic. Quapropter, & casu 19. & iterum casu 47. numer. 3. & optimè Craueta sententiam probat Thesaur. Iunior. in dicto tractatu de monet. part. 2. num. 60. versic. nisi certa species. Viu. opin. 516. num. 49. Faber. de monet. cap. 17. vbi sæpius pro hac sententia in Senatu iudicatum fuisse testatur.
17. Sextus casus est, quando conuentio facta fuit de restituenda in totidem scutis boni auri & legitimi ponderis cunei Regis Francorum, aut in aliis speciebus in contractu designatis: & tunc præcisè debitor cogitur soluere de moneta determinata, nisi duobus concurrentibus; nempe quod adsit magna penuria monetæ promissæ, & conuentæ; & quod creditor indemnis reddatur à debitore. Rot. apud Cens. decis. 219. num. 7. Lotter. de re benefic. lib. 1. quest. 39. num. 174.
- Nec præmissis obstat quod opponitur, illicitum esse pactum de restituenda sorte redditus in eadem æstimatione, quando creditor probabiliter credebatur valorem monetarum auctum iri.
18. Primò, quia hoc non procedit, quando agitur de mutatione bonitatis intrinsecæ, in qua periculum, aut probabilitas proximæ mutationis monetarum non alterat iustitiam conuentionis. Gratian. discip. cap. 884. num. 29. & 30.
19. Secundò, quia respectu bonitatis extrinsecæ illud procedit, quando debitor sortis principalis verificaret timorem proximæ mutationis monetarum, & quod creditor illius notitiam haberet, sciretque an augenda esset, an minuenda; & quod solus creditor hoc sciret; debitor autem illud ignoraret: alioqui, debet in dubio contra venditorem census fieri interpretatio; vt in puncto ostendit Gratian. dicto cap. 884. num. 26. 28. & 31. vsque ad finem.
20. In factò autem verum est, quod emptoribus, &


venditoribus fuit semper his temporibus æquale dubium, an monetæ valor augendus esset, an minuendus; & per consequens nihil illicitum in huiusmodi pactis considerari potest. Duard. de censib. §. 5. quest. 49. num. 4. Bonacin. de contract. discip. 3. quest. 4. punct. vnico, num. 36. vt enim ab iis quæ his temporibus euenerunt, non recedamus; quis vnquam putasset ex Regis Edicto anno 1636. monetas quæ iam multum excreuerant, iterum confestim non minuendas, potius quàm augendas esse? An non multi ea in re decepti fuere, qui pecunias modico ante Edictum interuallo dederunt ad census, sub quarum valore multum lucrati fuissent si illas in arca seruassent? Igitur debitores, si præuisum monetarum augmentum fuisse asserunt, illud probare tenentur. Gratian. dicto cap. 884. versic. nam timor huiusmodi. num. 25.

Permissum enim est sibi præcauere ob metum mutationis monetarum de restituendis iisdem speciebus. Couarru. dicto §. 1. num. 5. versic. 7. conclusio. Ita ob metum mutationis monetarum tradit Albert. Brunus in tractat. de augment. monet. conclus. ultim. limit. 8. numer. 1. Vbi negotiatores dubitantes de augmento monetarum vel diminutione solent expressè conuenire de æstimatione pecuniæ debitæ: & ideo huiusmodi pacta valida sunt, quando creditor principaliter non habuit intentionem lucrandi, sed vt bona sibi moneta restituantur; quamuis postea moneta aurea vel argentea cum suo augmento ipsi creditori reddatur. Thesaur. Iun. de monet. part. 1. numer. 72 & rationem optimam adducit Faber. in tractat. de varijs nummarior. debitor. solut. cap. 2. † Quia prudens negotiator qui de eodem numero sibi reddendo cauet, de periculo illo transigere voluisse videtur, siue in aperto sit imminens periculum, siue in incerto: & hanc communioem dicit esse Doctorum sententiam. Cum enim par sit hoc casu debitoris & creditoris conditio, neuter lædi videtur, l. de fideicommissio. Cod. de transact. Quod etiam locum habere vult, si non de certo numero actum sit, sed de iisdem speciebus restituendis; vt à natura mutui quantum minus fieri potest recedatur, quæ illa est vt quod redditur sit tantumdem, hoc est eiusdem generis, qualitatis & bonitatis: ad tradita per DD. in l. cum quid. ff. si certum petatur.

Et hoc maximè procedit in contractibus, qui non ad rationem quatuordecim, seu ad rationem septem pro Centenario constituti fuere; sed ad sex vel quinque pro quolibet Centenario: quia præsupponendum est pactum illud restitutionis sortis in iisdem speciebus, compensatum fuisse cum minori pretio annuæ pensionis: cum omnia pacta in contractibus adhibita censeantur ad inuicem correspectiua, & pretij partem constituent. Surd. consil. 282. numero decimo quarto. & iustitia contractus desumi debeat ex vniuerso contractu. Castrenf. consil. 176. numero secundo, volum. secundo. Surd. ibidem numero decimo quinto. Pinel. in tertia parte legis secundæ, Cod. de rescind. vendit. cap. 4. num. 24. & ita in terminis pacti de restituenda eadem moneta specie tradit Duard. dicto §. quinto, quest. 49. num. 5.

Quod si aliqua regulamenta circa monetas, & solutiones faciendæ sint; intactæ obligationes iam factæ relinqui debent: hoc enim sic faciendum esse præcisè testatur Rot. apud Cens. decis. 217. numero quarto, versiculo, & quia tota difficultas, & numero quinto. Guid. Papæ, quest. 493. numero primo, versiculo

- siculo. Princépsque obligationes. & si Princeps aliter faceret sine consensu subditorum, teneretur ad interesse. Brun. in tractat. de monet. limitat. sexta, numero secundo. videndus Duard. de censib. §. septimo, quaestione 5.*
25. De materia agit Puteus, *decis. 145. in nouis, lib. 2.* sed illa non est decisio Rotæ, sed potius suffragium ipsius Putei valde mendosum, & corruptum, & apertè reprobatur à Rota, vt videre est *decis. 683. sub fin. numero tertio, & decis. 686. num. secundo, versic. qua verò deducuntur. parte quarta, diuers.* quia in antiquis illa decisio erat 149. *Cens. decis. 216. num. 6.* & est contra Rotæ decisionem 149. *num. 4. §. part. 2. recent.*
26. Quod dicitur conuentionem intelligendam esse rebus sic stantibus; non procedit in iis quæ recipiunt augmentum vel diminutionem. *Barbos. axiom. 73. numero tertio. & in puncto Bellet. post tractat. Solæ de monet. numero decimo septimo. Faber. de monet. capite secundo, versiculo, & quod dici solet. & capite secundo, versic. quod enim ille ait. pagin. 835.* vbi dicit hanc obiectionem in hac materia esse ridiculam.



CAPVT II.

Continens sententiam magni nominis
Theologorum, circa validitatem
dicti pacti.

S V M M A R I V M.

- 27 Referuntur Doctores de materia mutationis monetarum tractantes.
- 28 Pacta in contractu census circa monetarum diuersitatem obseruanda sunt.
- 29 Pactum redemptiuum in censu respicit fauorem debitoris.
- 30 Bonitas intrinseca in quo consistat.
- 31 Bonitas extrinseca quæ dicatur.
- 32 Pactum super solutione in certa moneta specie, vel valore, de iure subsistit.
- 33 Bonitas intrinseca simul & extrinseca moneta promitti potest in restitutione census.
- 34 Pactum de restituendo censum in eadem bonitate moneta respicit fauorem debitoris & creditoris.
- 34 Ampliatur etiam si augmentum vel decrementum moneta fuerit prauisum.
- 35 Augmenti & decrementi monetarum æquale est dubium.
- 36 Quoad monetas magna est inter mutuum, & censum differentia.
- 37 In mutuo propriè non cadit consideratio bonitatis extrinseca pecunia.
- 38 Probatum pactum super restitutione eiusdem bonitatis esse validum.
- 39 Identitas specierum refertur ad identitatem numeri.
- 40 Valor moneta censetur appositus causâ demonstrationis tantum.
- 41 Fraus in pacto redemptiuo qua ratione adhiberi possit.
- 42 Augmentum & decrementum moneta, stante

parium conuentione, dicitur euenire per accidens.

- 43 *Æqualitas dubij in monetis, non est ratio adæquata validitatis pacti redemptiuo in certa specie.*
- 44 *An licita sit pactio quòd census sit irredimibilis in certo casu.*
- 45 *Pactum restituendi eandem tritici quantitatem, an de iure subsistat.*
- 46 *Quando pactum de restituendo in eadem moneta, sit illicitum.*

Quæritur an licitum sit pactum appositum in contractu censuali, quòd liberum sit censuario redimere censum quoties voluerit, dummodo eadem specie monetæ redimatur secundum eandem bonitatem intrinsecam & extrinsecam; & quam obligationem inducat pactum huiusmodi.

Casus talis est: Titius emit à Caio censum annum sex aureorum, pretio centum aureorum, quos numerauit Caio in quadraginta duplionibus Hispanicis, valentibus singulis duplionibus tempore contractus duos aureos cum dimidio; cum pacto quòd liberum sit Caio redimere prædictum censum quoties voluerit; restituendo pretium centum aureorum in iisdem speciebus duplionum Hispanicorum eiusdem bonitatis intrinsecæ, & extrinsecæ; hoc est eiusdem ponderis, qualitatis, & valoris, quibus eos accepit tempore contractus: postmodum verò succedente tempore, Edicto Principis accreuit valor monetæ, ita vt singuli dupliones accederent ad valorem trium aureorum cum dimidio.

Igitur Caius volens redimere supradictum censum, quæritur an ex vi huiusmodi contractus, teneatur soluere Titio centum aureos in iisdem speciebus, & secundum eundem valorem quo æstimabantur tempore contractus huiusmodi dupliones; an verò solum teneatur soluere centum aureos ad valorem monetarum tempore solutionis, esto fieri debeat solutio in iisdem speciebus.

Pro solutione huius quæstionis, de qua fusiùs Canonistæ in *cap. quanto. de iureiur. & in cap. cum olim. & in cap. canonicis. de censibus.* & Iurisconsulti in *l. Paulus. ff. de solut. & in l. in minorem. Cod. in quibus causis in integ. restit.* Item Theologi cum Diuo Thoma, *secunda secunda, quaest. 77. & 78. & Summistæ, verb. solutio. verb. pecunia. & verb. usura.*

Supponendum primò in contractu censuali, sicut & in aliis contractibus, varias apponi solitas conuentiones, & pacta, ex mutuo contrahentium consensu, quorum alia sunt in fauorem emptoris, alia in fauorem venditoris, alia in fauorem vtriusque partis, idque pro rerum aut temporum exigentia, & contrahentium beneplacito, ad quorum obseruantiam obligari contrahentes in vtroque foro nemo negat, dummodo non sint contra ius diuinum, vel humanum; ita communiter D.D. vt docet *Gomes. tom. 2. cap. 9. num. 2.*

Supponendum secundò conuentionem illam in huiusmodi contractu apponi solitam, quòd liberum sit censuario redimere censum quoties voluerit, esse in fauorem ipsius censuarij, & in onus censistæ, seu emptoris: vt notat *Lessius de iustit. & iur. lib. 2. cap. 22. de censib. dubio 10.* Idque propter obligationem in futurum quæ imponitur emptori ad extinguendum censum, quoties fuerit requisitus à venditore, qui potest restituere pretium quando id sibi vtile vel commo

commodum esse viderit; cum tamen ipsi emptori non competat ius illud repetendi, etiamsi viderit bona sui debitoris esse in probabili periculo distractionis, & aliunde se se offerant occasiones vtiliter impendendi debitam summam, si ea sibi reitueretur.

Supponendum tertio pactum illud de redimendo censu eadem specie monetæ, prout ponitur in quæstione, in hoc licitum esse, quod censuarius volens redimere censum, teneatur restituere pretium census in eadem numero moneta, eiusdem qualitatis, & valoris, quam accepit tempore contractus: vbi aduerte ex communi Canonistarum, & Iurisperitorum sententia, in moneta duplicem attendi bonitatem; aliam intrinsecam, aliam extrinsecam.

30. Bonitas intrinseca consistit in materia, & quantitate, seu pondere, hoc est quatenus est talis materia v. g. auri purioris, aut minus puri; maioris vel minoris ponderis; in quibus constituitur hæc bonitas intrinseca, seu valor intrinsecus qui sequitur naturam rei, nec mutari potest aut variari, nisi mutatâ aut variatâ rei substantiâ.

31. Alia dicitur bonitas extrinseca, quæ consistit in valore monetæ taxato à lege; & dicitur valor extrinsecus: quia ab extrinseco aduenit pecuniæ, vt sit pretium ad res emendas: & hic valor est accidentarius ipsi pecuniæ; quia cum pendeat à voluntate, & æstimatione hominum; inuariata pecunia quoad substantiam, sæpius variatur. Nam et si in eo constituendo habenda sit ratio materiæ ac ponderis ipsius pecuniæ, tamen ratione commoditatis aut necessitatis, copiæ vel inopiæ, iuxta temporum ac rerum exigentiam; aliquando augeatur, aliquando diminuitur hic valor, vel Edicto Principis, vel regionum ac locorum consuetudine. Vnde non obstante hoc valore etiam lege taxato, potest vna moneta ratione materiæ ac ponderis pluri permutari pro altera eiusdem valoris extrinseci: vt tradit Soto, *lib. 6. de iustit. & iur. quæst. 5.* Nauarr. *in manuali cap. 17. num. 288.* Siluester, *verb. usura, 4. quæst. 3.*

32. Cum igitur valor ille extrinsecus pecuniæ sit variabilis, vt certum est; ad vitandam hanc variationem possunt contrahentes conuenire super valore pecuniæ, vt eodem prorsus valore quo fuit tradita tempore contractus eadem restituatur; ita vt extrinsecus ille valor semel admissus, vnâ cum intrinseca pecuniæ bonitate pariter refundatur, non obstante quacumque variatione seu æstimatione extrinsecus adueniente in augmento vel decremento: vt tradit Molina *disputat. 312. conclusio. 2. tractat. 2. de contractibus.* post Panormit. & Couar.

33. Quale videtur esse pactum in casu proposito, quo obligatur censuarius ad redimendum censum eadem specie monetæ, secundum bonitatem intrinsecam & extrinsecam; hoc est eiusdem qualitatis, ponderis, ac valoris, quo fuerat æstimata tempore contractus, vt supra dictum est; cum autem pactum illud sit absolutè positum, absque vlla limitatione; in omni prorsus euentu videtur esse obseruandum, siue valor pecuniæ extrinsecus augeatur, siue diminuatur, seclusâ semper fraude & dolo, qui nemini suffragari debet.

34. Hoc igitur pactum sic explicatum si præcisè sumatur, tam respicit fauorem venditoris, quam emptoris: Nam si augeatur valor pecuniæ, & solutio fiat tempore augmenti, fauet emptori: quia

tantumdem quidem recipit in qualitate, & quantitate pecuniæ; sed pluri in æstimatione præsentis. Si verò decreseat, est in fauorem venditoris: quia tantumdem reddit in qualitate, & quantitate pecuniæ; sed minus in valore & æstimatione præsentis: vt optimè argumentatur Anthonius Faber *de variis nummarior. debitor. solut. cap. 2.* Imo si augmentum vel decrementum pecuniæ fuit per contrahentes certò, vel probabiliter determinatè præuisum, æqualitas & iustitia seruari potest sic contrahendo: nam in casu decrementi vel creditor expendet pecuniam ante illud tempus, vel in casu restitutionis minus in valore reddet quam acceperat: quæ omnia sunt in fauorem venditoris, vt patet. In casu verò augmenti (quod videtur esse difficilior, iure potest emptor, tanquam prudens negotiator, propriæ indemnitati per huiusmodi pactum consulere: nam aliàs expectando tempus augmenti quod præuidet futurum, certum habiturus esset lucrum: de facili enim est credere neminem pecunias accumulare nisi in proprium commodum & vtilitatem tam sibi, quam suæ familiæ: qui si certus esset de augmento futuro, vsque ad illud tempus pecunias vtique asseruaret. Quare in hoc casu ad seruandam æquitatem huius pacti, non est opus vt hac suppositione; cum præsumendum sit neminem esse qui libenter non expectaret, si moraliter certus esset de futuro augmento. Vnde iure censuista potest in huiusmodi euentu apponere hoc pactum absque iniuria censuarij; vt concedunt omnes Doctores: censuarius autem in tali casu, vel poterit illud augmentum refundere in propriam vtilitatem, expectando tempus augmenti, quod timeatur si diligentiam adhibeat; vel saltem cum pecunia aucta fuerit, poterit sibi consulere differendo solutionem in aliud tempus quo sperari potest decrementum pecuniæ, quæ quando nimis est aucta, probabiliter creditur minuenda: si autem supponatur non fuisse certò & determinatè præuisum augmentum vel decrementum, sed tantum dubitanter; tunc par est vtriusque conditio.

Neque refert dicere probabilius esse pecunias fore augendas, quam minuendas; præsertim quando in mediocri valore æstimantur, sicut videntur fuisse dupliones hispanici ad duos aureos cum dimidio, quales erant ab hinc sex & octo annis: nam præterquamquod ante illud tempus visi sunt in multo minori pretio, nec de facili credebantur vterius augendi, & tamen postmodum intra duos annos ad trium vsque aureorum valorem cum dimidio subito excreuisse constat: Vnde probabiliter inferri potest, attento huiusmodi excessu ad minorem valorem fore reducendos, quamuis etiam poneremus tempore contractus, attento valore pecuniæ tunc currente, maiorem esse probabilitatem augmenti, quam decrementi; cum iste contractus censualis sit perpetuus: & census ad nutum tantum censuarij redimibilis, augmentum verò pecuniarum parum stabile propter rerum ac temporum quotidianas vicissitudines, vt experimento constat: vnde non est difficile censuario qui se tali pacto videt obstrictum rebus suis consulere, ad euitandum huiusmodi damnum: cum probabilius sit post augmentum, successurum aliquando decrementum, & aliunde determinatè præuideri non possit tempus futuri augmenti, sicut accidit his annis præteritis: quis enim id potuit præuidisse

vel si præuidisset, quis sibi non consulisset: cum nemo sit qui propriæ utilitati non seruiat: quocirca in hac re nihil certi statui potest.

36. Supponendum quartò in casu restitutionis, non esse parem rationem in mutuis, atque in censibus: quia solutio mutui limitata est ad certum tempus, vel certè ad libitum mutuantis; in censibus non item: quia solutio & tempus solutionis dependet à voluntate censuarij. Vnde circa obligationem restituendi summam receptam, in eadem specie monetæ secundùm eundem valorem; non est par vtriusque conditio adueniente augmento, vel decremento pecuniæ: quia censuarius potest expectare tempus sibi commodum redimendi censum quandiu voluerit, quod non potest mutuatarius, qui ex natura contractus obligatur restituere determinato tempore; & si fuerit in mora soluendi, præfertim vbi interuenit pactum, tenetur soluere damnum mutuanti ob dilationem, seu ratione augmenti vel decrementi pecuniæ, si interim acciderit, seu aliud quodcumque damnum: vt communiter Doctores apud Molinam *loco citato*.

37. Tunc est quòd Doctores, qui pro restituenda æquitate huius pacti aliquas requirunt condiciones, loquuntur principaliter & expressè de mutuo: vt videre est apud Siluestrum, Nauar. Molin. & alios passim, quia in casu augmenti laborant in æquanda obligatione restitutionis, quæ est de essentia mutui; atque adeo necessariò faciendâ etiam cum damno mutuatarij: Quod non habet locum in contractu censuali, vbi nulla intercedit huiusmodi obligatio: quod est valde notandum; quamuis propriè loquendo in mutuo non habeatur ratio valoris extrinseci pecuniæ: vt optimè aduertit Paulus Camitolus *in responsis moralibus lib. 3. quest. 44.* post alios Doctores quos citat. Quia pecuniâ quæ in mutuo datur, non traditur tanquam pretium, in quo extrinsecus ille valor attenditur; hoc enim locum habet in venditionibus & emprionibus; sed absolutè in mutuo datur talis pecuniâ, in eadem specie, seu numero, suo tempore restituenda.

38. Ex dictis infertur primò, pactum appositum in contractu censuali de redimendo censu eadem specie monetæ secundùm eandem bonitatem intrinsecam & extrinsecam, prout exprimitur in casu proposito; per se obligare censuarium, si redimere voluerit censum, ad soluendum pretium in eadem specie monetæ, seu numero eiusdem qualitatis, ponderis, ac valoris quo fuit tempore contractus, siue decreuerit siue creuerit moneta in suo valore extrinsecò.

Hæc conclusio supponitur à Theologis, & Iuriconsultis tanquam certa; quamuis aliqui censeant hoc pactum non obligare in casu augmenti & decrementi pecuniæ, sed solum extra hunc casum: eo quòd id non sit expressum in pacto; quod tamen necessarium erat ad inducendam obligationem: ita videtur sensisse Molina *loco citato conclusione 2.* ex aliquorum sententia, qui tamen reuera à nobis non dissentit, vt ex eiusdem verbis colligere est: ait enim se existimare quòd esto in contractu mutui, aut quouis alio esset expressum, vt debitum in pecuniis certæ materiæ & figuræ solueretur in nummis eiusdem rationis qui dati sunt, si pecuniæ crescerent vel decrescerent quoad valorem in nummis illius rationis, deductione vel additione facta ad æqualitatem valoris, debitum esse soluendum: excipe (inquit) quando ex verbis contractus aut dispositionis contrarium intelligeretur, nempe in

quemcunque variationis effectum numerum illum monetarum illius rationis esse soluendum nec plus, nec minus: quæ exceptio militat in casu nostro, vbi ex ipsis verbis ac dispositione contractus apertè colligitur hæc obligatio.

Quod probatur, quia solutio debiti regulari debet ad formam & dispositionem contractus; sed hic contractus expressè obligat censuarium ad solutionem debiti in eadem specie, seu numero monetæ, eiusdem bonitatis intrinsecæ & extrinsecæ; hoc est eiusdem qualitatis, ponderis, & valoris, vt supra explicatum est: idque absolutè, & absque vlla limitatione & distinctione: ergo absolutè obligat non obstante quacumque variatione seu æstimatione pecuniæ in futurum; Vbi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Dicere autem obligari quidem ex vi huius contractus censuarium ad soluendum debitum in moneta eiusdem rationis, sed non secundùm eundem valorem, si contingat valorem illum monetæ variari, quia id expressè non cauetur: hoc esset destruere formam & dispositionem contractus, in quo tenditur non solum super monetam eiusdem rationis seu speciei (quod concedunt aduersarij) sed super eundem valorem tam intrinsecum quàm extrinsecum, ac per consequens qualis est obligatio ex vi huius contractus soluendi debitum eadem specie monetæ, talis est etiam soluendi in eodem valore tam intrinsecò, quàm extrinsecò; aliâ frustra apposita fuissent hæc verba in contractu, nisi in ordine ad peculiarem obligationem.

Vbi nota per eandem speciem pecuniæ, hinc intelligi eundem numerum, more Iurisperitorum; apud quos habentur numeri, quæ sunt species apud Logicos; vnde euidens ratio deducitur debitum esse soluendum in eodem prorsus valore: quòd si eadem numero pecuniâ: ergo & idem valor, cum vnum in altero necessariò includatur, vt per se patet.

Obiicies si species & numerus pecuniæ tantùm fuisset expressus in contractu, cum pacto vt totidem eiusdem species tempore solutionis redderentur, nullo expresso valore; concedi posset prædicta propositio: sed quando est expressus valor pecuniæ in contractu, vt constat factum isto casu, tunc obligatio primariò cadit supra valorem taxatum, ad quem quis obligatur: ergo in solutione magis attendenda erit ratio valoris taxati, quàm numeri pecuniarum; ideòque si valor pecuniæ varietur, sufficit ad satisfaciendum obligationi prædictæ quòd valor in solutione æquetur valori taxato tempore contractus.

Respondetur valorem illum in contractu expressum simpliciter, & præcisè sumptum non cadere sub obligationem, sed tantùm secundùm quid; quatenus talem numero pecuniam representat, ad cuius solutionem ex vi huius contractus debitor obligatur: vbi nota valorem illum non esse appositum in contractu causa taxationis; sed tantùm demonstrationis, ad representandum scilicet numerum & qualitatem pecuniæ, pro quo contrahentes conueniunt; vt verba ipsa contractus apertè indicant, quæ restringunt priorem illam dispositionem valoris expressi ad certum numerum monetæ eiusdem bonitatis intrinsecæ, & extrinsecæ.

Infertur secundò, licitum esse huiusmodi pactum seclusâ fraude, & dolo; vbi non obstat aliqua lex vel consuetudo approbata in contrarium. Dixi *seclusâ fraude & dolo*, quia fraus & dolus nemi-

ni suffragari debet: vt putà si emptor apponeret illud pactum ad circumueniendum venditorem ignorantem, futurum incrementum vel decrementum pecuniæ, cum ipse certam vel probabilem notitiam haberet, aut aliàs inde sibi lucrum quæreret, in damnum ac detrimentum venditoris. Addidi etiam *ubi non viget aliqua lex seu consuetudo in contrarium*, quia in tali casu huiusmodi contractus ad normam legis est reducendus.

In hac conclusione variant DD. alij siquidem eam admittunt absolute: alij verò cum limitatione, & sub certis conditionibus, quos vide citatos apud Pannormit. in cap. quanto. de iureiurando. Couar. de collatione veter. numism. c.7. §. ult. Siluest. verb. usura. 1. question. 14. Nauarr. Paulum Comitolum locis citatis, & Ludou. Lopes. in instruct. conscient. cap. 67.

Sed neque isti inter se conueniunt: nam alij plures, alij pauciores condiciones requirunt; alij tantum pro maiori æquitate, alij de necessitate, quod longum esset referre; & omnes præcipue loquuntur de mutuis, in quibus vt supra annotauimus, non est eadem ratio quæ in censibus. Nos autem quia sumus in materia contractus censualis, sufficere existimauimus quòd non constet manifestè de iniustitia contractus; præsertim cum iam constet de obligatione.

42. Dices ad æquitatem huius contractus requiri, vt sit æquale dubium ascensus & descensus pecuniæ: quia vbi maior est probabilitas ascensus quàm descensus, tunc non est æqua conditio venditoris & emptoris, nec per consequens iustitiæ in tali contractu, ideòque saltem necessaria est hæc conditio.

Respondetur primò cum Nauar. in comment. de cambis num. 49. Et aliis quos citat, obligationem illam redimendi censum eadem numero moneta, non cadere sub valorem extrinsecum monetæ; sed tantum per certam speciem expressam in contractu: ideòque per accidens est, quòd ascendat vel descendat huiusmodi valor extrinsecus pecuniæ, ratione cuius non est contracta obligatio: vnde nulla potest committi iniustitia in tali contractu circa hunc valorem.


43. Respondetur secundò iustitiam huius contractus absolute loquendo non consistere in æqualitate dubij, quandoquidem etiam stante certitudine augmenti pecuniæ potest fieri talis contractus: quod non negabunt aduersarij; vt patet de eo qui seruaturus pecuniam vsque ad augmentum quod nouit futurum, emit censum sub prædicto pacto, & hoc iustum esse omnes admittunt: ergo æqualitas dubij non est conditio necessaria ad constituendam iustitiam huius pacti. Ratio est, quia cum in hoc contractu multa concurrant, hæc inæqualitas per aliud compensari potest, quale est damnum vel lucrum cessans emptoris, vt in casu proposito: vel quia census emitur maiori pretio, cum posset emi minori, qualis est v. g. 16. vel 20. ad singula 100. vel ratione periculi cui se exponit emptor, quando dubitatur num censuarius erit soluendo, vel ob alias rationes superius deductas, & alias circumstantias quæ quotidie occurrunt, dummodo nulla fraus aut dolus interueniant.

44. Secundò quia vt docet Lessius cap. 22. de censib. dubit. 9. Licita est emptio-census cum pacto quòd si intra certum tempus non redimatur, maneat irredimibilis: ergo etiam licitum erit pactum vt non redimatur census nisi eadem moneta eiusdem valoris, nonobstante probabilitate augmenti futuri

cum maius sit onus censuario obligari ad censum irredimibilem, quàm ad redimibilem sub eadem moneta: quia potuit expectare tempus sibi commodum quando occurreret ad redimendum. Quamuis illam Lessij sententiam nunc non examinemus.

Tertiò, ex Molina disput. 311. tract. 2. de contra- 45. etib. mutuans triticum tempore quo est in vilissimo pretio, vt totidem mensuræ sibi reddantur nullo præfixo solutioni termino, quamuis moraliter certus sit triticum plus valiturum, nullam committit iniustitiam reperendo illud quando plus valebit: quia mutuatarij culpa est si non sibi consuluit restituendo triticum quando minus valebat: ergo à pari licitum erit emptori obligare debitorem ad redimendum censum eadem specie monetæ, non obstante augmento futuro, cum liberum sit censuario sibi consulere ante augmentum futurum, vel post augmentum expectare tempus reductionis.

Ex his patet responsio ad ea quæ obiici possunt 46. super inæqualitate dati & accepti. Non negauerim tamen, quòd si tanta esset certitudo augmenti pecuniæ, quòd nulla appareat probabilitas futuræ reductionis, & emptor non statuisset asseruare pecuniam in illud tempus, in illo casu prædictorum Doctorum sententiam locum habere: sed difficile est assignare hunc casum.



CAPVT III.

De pacto restituendi annum redditum in casum extinctionis in eisdem speciebus: & continuatur materia præcedentium capitum, & respondetur ad obiectiones quorundam Theologorum.

S V M M A R I V M.

- 47 In dubio interpretatio fieri debet contra creditorem.
- 48 Verba in dubio ad tempus contractus referenda.
- 49 Moneta qualitas an ad tempus solutionis vel ad tempus contractus referenda sit, verba contractus sunt diligenter consideranda.
- 50 Intentio partium ex verbis contractus præcedentibus & subsequens, & ex discretina loquendi formula colligitur.
- 51 Ex quibus verbis colligatur partes quoad moneta bonitatem habuisse respectum ad tempus contractus.
- 52 Quod est species apud Logicos, est indiuiduum apud Iurisconsultos.
- 53 Si in eadem oratione fiat mentio bonitatis intrinseca & extrinseca, eadem circa vtramque debet esse dispositio.
- 54 Verisimile non est, contrahentes futura & incerta, ac variabili moneta mutationi se supponere voluisse.
- 55 In dubio presumendum est partes intellexisse, quòd bonitas & æstimatio moneta ad tempus contractus referretur.
- 56 Textus in l. semper in ambignis. ff. de reg. iur. quomodo procedat in materia monetarum.
- 57 Pactum de restituendo sortem census in eodem numero, est validum.

8 Petri Francisci de Tonduti Sanlegerij,

- 58 *Promissio de soluendo in iisdem speciebus, refertur etiam ad identitatem numeri.*
- 59 *Quando agitur de Moneta imaginaria potest solui in moneta currenti tempore solutionis.*
- 60 *Qualitas moneta imaginaria etiam consideratur quando moneta fuit alterata intrinsecè.*
- 61 *Quando conuentum fuit de solutione in certa estimatione, vel in eadem bonitate extrinseca, facienda est iuxta formam conuentionis.*
- 62 *Augmenti & decrementi par est ratio in materia monetarum inter creditorem, & debitorem.*
- 63 *Clausula siue monetæ crescant, siue decrescant, non est necessariò exprimenda pro validitate pacti de restituendo in eadem bonitate.*
- 64 *Probabilis opinio futura mutationis monetarum, ad hoc vt noceat creditori, quæ circumstantia probari debeant.*
- 65 *Propter merum mutationis valoris moneta, licitum est sibi precauere.*
- 66 *Conuentio super certa moneta specie, videtur quadam transactio super futura variationis periculo.*
- 67 *Moneta valor quandoque apponitur gratiâ taxationis, & quandoque gratiâ demonstrationis.*
- 68 *Quid in Gallia, & Hispania, circa bonitatem extrinsecam monetarum obseruetur.*

ANno 1619. & die 17. mensis Iunij quidam debitor vendidit quandam annuam & perpetuam pensionem centum viginti scutorum, soluendorum in speciebus auri, vel monetæ albæ sine aliquibus parachis, qualibet die 17. Iunij, pretio duorum mille scutorum valentium sex mille libras, quod dictus venditor recepit in duplicibus & simplicibus Hispaniæ, & Sezenis facientibus complementum dictæ summæ duorum millium scutorum: Emptor autem promisit reuendere & extinguere dictam pensionem centum viginti scutorum valoris suprascripti, toties quoties bonum videbitur dicto venditori, vel suis; restituendo vnica solutione, vel duabus diuersis summam mille scutorum pro qualibet, dictum pretium, fundum & capitale duorum millium scutorum *aux mesmes especes, que dessus & bonté intrinseque & extrinseque.*

Ex quo duæ resultant difficultates: Prima, vtrum verba illa, *en bonté intrinseque & extrinseque*, referenda sint ad bonitatem intrinsecam & extrinsecam monetæ, quæ erat de tempore contractus.

Secunda, vtrum debitor possit restituere sortem præfati annui redditus in moneta currenti tempore præfati; an verò teneatur soluere iuxta valorem intrinsecum & extrinsecum de tempore contractus.

47 Circa primam difficultatem opponitur emptori, quòd verba illa, *en bonté intrinseque & extrinseque*, non referuntur ad identitatem specierum, nec aliquid determinat circa valorè temporis contractus, vel temporis solutionis: & ideo † in dubio interpretatio fieri debet contra creditorem: *l. quidquid adstringenda ff. de verb. obligat.* & quia semper in ambiguis quod minimum est sequimur *l. semper in ambiguis. ff. de regul. iur.*

His tamen non obstantibus concludendum est verba illa, *en bonté intrinseque & extrinseque*, ad

tempus contractus referenda esse ex sequentibus fundamentis. Primò, quia reperiuntur coniuncta verbis immediatè præcedentibus, habentibus relationem expressam ad identitatem specierum expeditarum per emptorem; vt patet in illis verbis, *aux mesmes especes que dessus en bonté intrinseque & extrinseque*: 48. † Quæ verba relatiua nõ possunt intelligi nisi de speciebus tunc expeditis, neque referri ad aliud tempus quàm ad tempus contractus: & per consequens qualitas bonitatis intrinsecæ, & extrinsecæ adiecta verbo habenti expressam relationem ad tempus contractus, debet regulari & intelligi iuxta tempus verbi. *l. in delictis. §. si extraneum. ff. de noxal. action. l. ex facto. ff. de vulg. & pupil. substir.* † Et in hac 49. materia distinguendum omninò est, vtrum qualitas monetæ sit relata ad tempus obligationis, an verò ad tempus restitutionis seu solutionis: si enim verba referantur ad tempus solutionis, inspicitur valor monetæ tunc currens; secus est si verba referantur ad tempus contractus: vt bene in hac materia distinguit Budelius, in tractat. de monet. capit. 14. numer. 10. versic. *si ergo verba prolata.* Præsertim quia agitur de eadem oratione continuata, quæ regitur ab eodem verbo. Fulgos. consil. 93. numer. 3. & illa verba que dessus repetunt omnes qualitates superius expressas: & sic quòd restitutio fiat eodem modo quo solutio facta fuit. Crauet. consil. 47. num. 4.

50. Secundò, quia partium intentio colligitur ex iis quæ inter easdem partes in eodem contractu conuenta fuerunt. Bartol. in *l. si stipularus. §. Chrisogonus. ff. de verb. obligat.* & ex discretiua loquendi formula colligitur diuersa contrahentium intentio: ad tradita per Surd. consil. 403. numer. 22. Seraphin. decis. 1486. numer. 12. per *l. si seruus plurimum. ff. de legat. 1. cum similibus.* Et ideo quando in altera contractus parte, contrahentes specialem & diuersam qualitatem adiecerunt, censentur alio modo in vna, & alio in altera parte intellexisse. Mantic. de tacit. conuent. lib. 3. tit. 5. num. 8. Sed sic est quòd contrahentes in casu proposito aliter de solutione pensionum currentium, aliter de restitutione fortis loquuti fuere: dum enim de pensionibus currentibus egerunt, conuentum fuit inter ipsos, quòd solutio fieret *en especes d'or, ou monnoye blanche sans aucuns patacs*: neque facta fuit mentio de identitate specierum receptarum, nec de bonitate aliqua extrinseca aut intrinseca: è contra verò quando tractarunt de restituenda sorte principali, cautiùs agendo adiecerunt illa verba, *en mesmes especes que dessus, en bonté intrinseque & extrinseque*, & per consequens in restitutione fortis, partium intentio talis fuit, non solùm vt restitutio non fieret in minuta moneta; sed aliquid ampliùs sine dubio adiecere voluerunt, nempe vt restitutio fieret in iisdem speciebus, & eadem bonitate intrinseca & extrinseca.

51. Tertiò quia conuentio illa facta circa fortis restitutionem, dupliciter ab eodem verbo determinatur: primò quidem quoad speciem & qualitatem monetæ, per illa verba *en mesmes especes que dessus*: secundò verò qualitas bonitatis extrinsecæ fuit etiam apposita & coniuncta cum qualitate bonitatis intrinsecæ: hæc autem adiectio respectu intrinsecæ bonitatis, non potest intelligi nisi de bonitate quæ erat tempore contractus; tum quia in dubio conuentio debet intelligi iuxta formam iuris quæ est vt reddatur eadè bonitas intrinseca quæ vigeat tempore contractus: tum etiã quia non præsumitur, creditore voluisse

- voluisse se supponere periculo mutationis bonitatis intrinsecæ monetarum : tum & denique quia si aliter diceremus , frustratoria fuisset adiectio restitutionis faciendæ in iisdem speciebus ; imo & contrarietatem contineret : non enim heret restitutio in iisdem speciebus, quia essent diuersæ species , si bonitas intrin-
52. seca fuisset alterata : † quod enim est species apud Logicos , illud est indiuiduum apud Iuriconsultos : vt ostendit Bartol. in l.2. §. *mutui dubio*. ff. *si certum petat*. si autem restitutio fiat in alia materia vel forma , impossibile est quòd dicatur facta in eodem indiuiduo quoad Logicos , & in eadem specie quoad Iuriconsultos.
53. Quemadmodum igitur promissio restituendi, *aux mesmes especes que dessus*, nec non etiam qualitas bonitatis intrinsecæ, non possunt non referri ad tempus contractus ; eodem modo qualitas bonitatis extrinsecæ ad illud idem tempus referenda est : quia vna determinatio respiciens plura determinabilia, debet æqualiter determinare, l. *iam hoc iure*. ff. *de vulg. & pupill. substituit*. Rot. in simili, *decis. 1. n. 6. & 7. part. 2. recent.*
54. Quartò, quia omnis conuentio interpretationem accipere debet ab eo quod est verisimile : Mantice de *tacit. conuent. lib. 3. tit. 1. numer. 12.* Non est autem verisimile creditorem voluisse se committere periculo mutationis monetarum , sed potius semper actum censetur vt restitutio pecuniæ fiat in eadem bonitate , quantitate , & qualitate secundum tempus contractus : l. *cum quid*. ff. *si cert. petat*. Guid. Pap. *decis. 493.* cum pluribus aliis allegatis per Bellel. in *suo consil. monetali num. 16.* Sola, in *tract. de monet. cas. 40. num. 2.* Surd. *consil. 220. n. 14.* cum pluribus per eum citatis ; vbi dicit quòd in dubio præsumendum est quod contrahentes de futura æstimatione monetæ non censentur cogitasse : sed de præterita.
55. Et ex his colligitur facilis responsio ad rationes in contrarium allatas : quia verius est in dubio censeri actum inter partes , quòd solutio fiat in eadem bonitate intrinsecæ , nec non in eadem æstimatione quæ currebat de tempore contractus. Roman. *consil. 123. numer. 1. versic. tertio idem principaliter.* Purpurat. *consil. 179. numer. 4. & 6. volum. 1.* Vbi dicit hanc probationem esse liquidissimam ob iuris præsumptionem. Gratian. *discep. forens. c. 884. n. 22. & 23.*
56. Et textus in l. *semper in ambiguus*. ff. *de regul. iur.* procedere posset si disputaretur v. g. de quibus aureis partes sensissent , vel de quibus testutis, vtpote quia adessent diuersæ species aureorum vel testutorum ; quorum alij maioris , alij minoris essent valoris ; tunc enim in dubio de minoribus conuentio intelligenda esset ; secus est si quærat quod tempus inspicere debeat ; quia tunc non quòd minimum est inspicitur , sed conuentio semper in dubio referenda est ad monetam existentem de tempore contractus. Purpurat. qui sic distinguit, d. *consil. 179. n. 6.*
- Secundæ difficultatis resolutio pender ex præcedentibus ; siquidem supposito , prout hætenus demonstratum est, promissionem restrictam esse ad species solutas de tempore contractus , & ad illarum identitatem ac bonitatem intrinsecam & extrinsecam ; sequitur necessariò restitutionem sortis in eodem numero faciendam esse : † cum pactum illud sit de iure validum, & de naturalibus contractus censuralis. Bellel. in d. *consil. monetali. n. 24.* Sol. in *tract. de monet. casu 39. n. 11. & casu 14. n. 12. & 13.* & in hac materia semper ad partium conuentiones, illarumque ver-

ba recurrendum sit. Sol. in d. *tract. casu 17.* Censius, in *tract. de censib. part. 2. c. 2. quest. 4. artic. 4. num. 4.* aliàs *quest. 85.*

Immo sola promissio de soluendo in iisdem speciebus, non solum ad qualitatem, sed etiam ad numerum referenda est. Crauet. d. *consil. 47.* Sol. *casu 39. n. 17. versicul. quapropter. & cas. 19. & cas. 47. n. 3.* Thesaur. Iun. in *tract. de monet. par. 2. n. 60. versic. nisi certa species.* Viu. *opin. 516. n. 29.* Anthon. Faber. de *numar. solut. c. 17.* vbi sæpius pro hac sententia iudicatum testatur. Idemque decisum fuit apud Mastril. *decis. 7.* & Carthar. *decis. 134.* vbi plures rationes pro huius veritatis comprobatione deducuntur. Et diximus supra *cap. 1. num. 16.*

Neque obstat quod opponitur, promissionem soluendi de qua agitur fuisse factam in moneta imaginaria, & per consequens esse inspiciendum valorem currentem de tempore solutionis ex Censio in *tract. de censib. part. 2. c. 2. quest. 4. artic. 4. numer. 15.* aliàs *quest. 85.*

Respondetur enim primò, quod attinet ad bonitatem intrinsecam monetæ, illam etiam in promissione monetæ imaginariæ considerandam esse : vt refert Cens. *loc. citat. num. 16.* Lotter. *de re beneficiar. lib. 1. quest. 39. n. 221.* Surd. *consil. 454. n. 9.*

Quod autem attinet ad bonitatem extrinsecam, quamuis contractus fuerit conceptus in moneta imaginaria, nihilominus tamen solutio fieri debet in iisdem speciebus, & iuxta valorem extrinsecum existentem de tempore contractus ; si conuentum fuerit inter partes quòd restitutio fieret in eadem æstimatione, seu (quod perinde est) in eadem bonitate extrinsecæ. Bartol. in l. *Paulus. in fine*, ff. *de solut. Scac. de commerc. §. 2. gloss. 5. num. 187. & 188.* quia tali casu libra aut alia moneta imaginaria, censetur æstimata per ducatos, aut per aureos, aut aliam monetæ speciem expressam, quæ restituenda est in tanto numero qui comprehendat numerum librarum promissarum de tempore contractus : & sic lucrum augmenti vel damni pertinet ad creditorem. Brun. in *tract. de monet. limit. 8. num. 5. versicul. secundò queritur.* cum pluribus ibi citatis : & in puncto, quòd distinctio bonitatis extrinsecæ, & intrinsecæ, etiam cadat in monetam imaginariam, tradit Lotter. *dict. lib. 1. quest. 59. num. 221.* Quia talis moneta imaginaria constituitur in monetis inferioribus, & propterea eisdem distinctionibus subiicitur quibus monetæ inferiores ; vt eiusdem iuris sit pars & totum. Rot. *decis. 204. num. 4.* apud Cens. Brun. in *tract. de monet. part. 6. num. 2. & per totum.* Dictum est supra, *cap. 1. num. 10.*

Non etiam obstant quæ vnus ex Dominis scribentibus contra emptorem longa serie deducebat ex quodam Theologorum consilio : quia illa casui proposito nullo modo adaptari possunt.

Respondendo igitur singulariter ad singula capita illius scripturæ incipientis. *Queritur an valor pecunie.*

In primis aduertendum est, casum illius consilij vel scripturæ, nimis generaliter conceptum esse : cum enim omnis definitio in iure sit periculosa, l. *omnis definitio*. ff. *de regul. iur.* & quælibet minima facti circumstantia totam iuris dispositionem soleat alterare ; ideo ad casus singulares deueniendum est.

Secundò aduertendum est, primam illius scripturæ conclusionem in se veram esse, nempe quòd pactum de restituendo certam monetæ speciem sit validum, quando periculum est æquale, augmenti & decrementi, inter debitorem & creditorem : & propterea conclusio illa suffragatur emptori qui

qui conuenit de restitutione facienda, in iisdem speciebus, & in eadem bonitate intrinseca & extrinseca: ¶ Et idem si valor duplarum Hispaniæ decreuisset, hoc fuisset periculo ipsius: unde cum valor ille creuerit, debet cedere illius commodo; vt æqualis sit ratio augmenti & decrementi: *L. secundum naturam. ff. de reg. iur. Rot. decis. 149. n. 7. part. 2. in recent. Viuius, opin. 516. n. 46.*

63. Quod autem subditur in prima illa conclusione, quod illa clausula exprimi debet in contractu, *sive pecunia crescant, sive non*; non ita intelligendum est vt præcisè illa verba in contractu adhibenda sint; sed sufficit quod adiectæ fuerint aliquæ clausulæ, quæ illi æquipolleant, & illam virtualiter contineant; alioquin hoc esset dare legem verbis & non rebus: quando enim fuit conuentum quod eadem species restituantur, & in eadem æstimatione conuentæ: seu (quod perinde est) in eadem bonitate extrinseca; tunc necessariò sequitur quod siue illa minuat, siue augetur, semper eadem æstimatio reddenda est, de qua inter partes conuenit: & sic siue crescat, siue decrescat valor, *Bart. in dict. l. Paulus. in fin. ff. de solut.*

64. Tertio, quæ scripta sunt in secunda conclusione, non ita simpliciter intelligenda sunt, prout ex aduerso applicantur. In primis enim ius de quo in dicta conclusione præsentis facti non applicatur: cum verum non sit, nec verificatum, quod tempore contractus de quo agebatur, adesset aliquis timor mutationis monetarum, & multo minus quod ille timor esset mutationis in augmento potius quam in decremento. Item an quod illud sciret potius emptor census, quam venditor: quæ tamen omnia probanda sunt, ad hoc vt debitor possit ob illam causam soluere de moneta currenti. *Gratian. discep. forens. cap. 884. numer. 26. 28. & 31*

Et in effectu verum est quod emptoribus & venditoribus fuit semper æquale dubium, an monetæ valor esset augendus, an minuendus: unde pactum illud licitum esse concludendum est, ex *Duard. in tract. de censib. §. 5. quest. 40. n. 4.* & quod onus probandi timorem illum mutationis monetarum, modo quo supra, spectet ad soluere debentem, tenet *Gratian. d. c. 884. n. 25. versic. nam timor huiusmodi.*

65. Imò permissum est contrahentibus propter metum mutationis monetarum sibi præcauere, facta conuentione de restituendis eisdem speciebus. *Couar. in tract. de collat. numism. §. 1. n. 5. versic. septima conclusio. Albert. Brun. in tract. de augment. & diminut. monet. conclus. ult. limit. 8. n. 1. Duard. de censib. §. 1. quest. 7. n. 7.*

66. Quia hoc non fit principaliter animo lucrandi propter dubium euentum augmenti vel decrementi, vt ex magis communi sententia bene comprobatur *Faber, in tract. de variis nūmar. deb. solut. c. 2.* quia prudens negotiator qui de eodem numero sibi reddendo cauet, videtur transigere voluisse de periculo illo, *sive in aperto sit imminens periculum, siue in incerto*: Quod etiam locum habere vult, si non de certo numero actum sit, sed de eisdem speciebus restituendis, vt à natura mutui quanto minus fieri potest, recedatur; quæ illa est vt quod redditur sit tantumdem, hoc est eiusdem generis, qualitatis, & bonitatis, ad tradita per *DD. in l. cum quid. ff. si certum per.*

67. Quarto aduertendum est rationes propositas & deductas pro corroboratione dictæ secundæ conclusionis non adaptari casui nostro, nec quoad illum concludere. Prima enim ratio talis est, quando est expressus valor monetæ in contractu, tunc obligatio primariò cadit supra valorem taxatum; sed in casu

proposito valor monetæ est expressus: ergo obligatio cadit principaliter supra valorem.

Respondeo ad maiorem propositionem distinguendo iuxta mentem Rotæ Romanæ, fundatam in doctrina Bartoli, & communi; quod valor monetæ dupliciter exprimitur in contractu: primò, gratiâ taxationis; secundò gratiâ demonstrationis: taxationis gratiâ dicitur fieri expressio, quando constat ex mente & verbis partium quod debitor obligatur ad certum valorem designatum duntaxat, & non ad speciem: demonstrationis verò causâ quando obligatio concepta fuit in certa specie quæ soluenda est, & æstimatio duntaxat facta fuit vt sciatur an aureus, aut alia similis moneta crescat, aut decrescat.

Si æstimatio & valor adiectus fuerit causâ taxationis, non est recedendum ab illa taxatione, & eo casu locum habent argumenta in contrarium allata: si verò gratiâ demonstrationis; tunc argumenta illa non concludunt, cum conuentio non ad certam æstimationem, sed ad certam speciem referatur: vt ex mente Rotæ comprobatur *Gratian. discep. cap. 417. num. 4. & sequentibus.*

Secunda ratio similiter non concludit in casu proposito: quia si valor pecuniæ decreuisset semper debitor fuisset liberatus, reddendo easdem species designatas in contractu, atque ita periculum decrementi pertinuisset ad creditorem: unde argumentum retorquetur, quia sicut periculum decrementi cedit damno creditoris, ita & augmentum illius commodo cedere debet.


Tertia ratio similiter non concludit: quia præsupponit euentum nullum damnum pati posse, quod in facto non est verum, vt supra demonstraui.

Quartum argumentum retorquetur: quia sicut licitum est frumentum vendere pretio quo valebit tali tempore, quando æqualis est incertitudo pretij, respectu emptoris & venditoris; ita in casu nostro dicendum est: cum æquale sit periculum augmenti & decrementi.

Ad quintam rationem respondetur negando præsuppositum: cum enim facta fuerit conuentio de restituenda eadem specie & bonitate extrinseca, sanè stupidus fuisset censuarius si non intellexisset se teneri ad easdem species, & in eodem valore: & si habuerit aliquod propositum in mente retentum, quid ad creditorem? qui claris & apertis verbis in contractu legem dixit.

Denique quod subiicitur de praxi Hispaniæ, nihil ad nos, qui subiecti sumus summo Pontifici: consuetudo verò Galliæ fundata est in expressa ordinatione Regiæ, quæ constitutum fuit vt omnes contractus in posterum fierent in libris, & prohibiti fuerunt contractus in aureis, aut aliis certis monetarum speciebus: Imò quod in Hispania ex generali consuetudine moneta reducatur ad tempus contractus tradit *Duard. de censib. §. 5. quest. 7. n. 6.* Nos autem iuxta iuris communis dispositionem, & Rotæ Romanæ decisiones iudicare debemus.

Unde concluditur solutionem & restitutionem dicti annui redditus faciendam esse in iisdem speciebus, & iuxta valorem qui currebat de tempore contractus.



CAPVT IV.

De obligatione redditus annui concepta in florenis 24. solidorum ; cuius solutio per longissimum temporis spatium facta fuit in florenis 12. solidorum: vtrum debitor possit se redimere soluendo florenos 12. solidorum nunc currentium.

S V M M A R I V M.

1. *Præscriptio circa monetas inducitur, quando verba contractus sunt dubia: si vero sint clara, non potest genus monete soluenda præscribi.*
2. *Bona fides omninò requiritur in eo qui vult modum, seu moneta soluenda formam præscribere.*
3. *Florenorum duo genera exponuntur.*
4. *Aureorum quis fuerit valor anno 1475. ad 1488.*
5. *Grossorum antiquorum & paruorum solidorum qua fuerint olim differentia.*
6. *Florenos duodecim solidorum deberi in casu proposito, licet contractus fuerit conceptus in florenis 24. solidorum ostenditur.*


Vlso instrumento venditionis annui redditus venditi anno 1484. & die 12. Iunii in fauorem creditoris summæ 100. florenorum, cuiuslibet valoris viginti quatuor solidorum monete currentis in Comitatu Venayssino, pretio bis mille florenorum valoris monete iam dictæ: quos quidem 2000. florenos Thesaurarius dictæ Communitatis recepit in 250. ducatis, quolibet computato pro 34. grossis, in 240. scutis Regis sine sole, quolibet computato pro 32. grossis, in sexaginta Alfonsoariis, quolibet computato pro 33. grossis, in centum quinquaginta florenis Alemaniarum quolibet computato pro 24. grossis, & in quinque grossis monete. Et supposito quod dicta Communitas consueuerit eundem redditum singulis annis soluere in florenis ad rationem duodecim solidorum pro quolibet: Queritur nunc vtrum creditor dicti redditus sit fundatus in petitione reddituum saltem futurorum ad rationem viginti quatuor solidorum pro quolibet floreno, non obstante antiqua solvendi consuetudine in florenis duodecim solidorum.

1. Pro cuius difficultatis resolutione supponendum in primis est, quod dum dubitatur vtrum per continuatam solutionem longissimi temporis fuerit præscriptum circa formam solutionis, & monetam, in qua solutio fieri debet; hæc generalis constituitur regula: Quod si verba contractus sunt clara & certa, non inducitur præscriptio; si verò verba sint dubia, obseruantia subsecuta maximè per longissimum tempus suffragatur debitori ne in posterum cogi possit ad soluendum in alia specie, quàm in ea in qua soluit: vt dicit Balb. in tract. de præscript. 4. part. principal. 4. part. principalis, quæst. 7. num. 4. Cens. in tract. de censib. quæst. 85. n. 36. † Et hanc præscriptionem & consuetudinem solutionis admittit duntaxat stante bona fide, & re existente dubia, Thesaur. Iun. in tract. de monet. part. 1. n. 74. & part. 4. n. 67. post Martinum Garratū. consil. 82. & alios *ibid.* allegatos: qui quidem Thesaurus loquitur nominatim de contractu facto in florenis.

Secundò supponendum est, quod de tempore dictæ obligationis currebant solidi & grossi, florenus autem constabat ex duodecim grossis, & quilibet grossus ex duobus solidis, & sic florenus 24. solidorum erat duntaxat duodecim grossorum, & aureus solaris qui expendebatur tunc temporis, pro triginta tribus grossis valebat sexaginta sex solidos paruos. Quod probatur ex tenore dicti contractus, in quo species dinumeratæ constituentes bis mille florenos, conficiunt viginti quatuor millia grossorum, sicut constituunt quadraginta octo millia solidorum paruorum præsupposito quolibet floreno viginti quatuor solidorum. Constat ergo quod florenus confectus fuit tunc temporis ex duodecim tantum grossis, & quod dicti duodecim grossi æquiualebant viginti quatuor solidis paruis illius temporis: eodem planè modo quo hodie duodecim denarij constituunt vnum solidum, & viginti quatuor denarij parui similiter constituunt vnum solidum, & æquivalent duodecim denariis communibus.

Quod etiam confirmatur ex eo, quod ex edicto Regis Galliarum Ludouici XI. anno 1475. 2. Nouembris, Aureorum valor sine Sole fuit taxatus ad triginta vnum solidos, & vnum denarium: valor verò aureorum Solis ad solidos triginta tres. Deinde anno 1498. ex Edicto Caroli IX. valor aureorum sine Sole ad 35. solidos, solarium verò ad 36. vt legitur in Addit. ad Louet, Liter. R. n. 12. fol. mihi 655. Quod si fieret calculus specierum in dicto contractu dinumeratarum ad rationem 24. solidorum, ex quibus duo grossum conficiunt, Aureus tempore dicti contractus fuisset valoris solidorum sexaginta sex, quod esset absurdum; vnde apparet quod tunc aderant solidi grossi, & parui, & quod moneta æstimabatur quandoque per solidos paruos, quandoque per grossos, & quod vnus calculus concurrebat cum alio, & in effectu florenus non componebatur nisi ex duodecim solidis ex quibus triginta tres aureum solare conficiebant.

Vnde elicitur resolutio propositæ difficultatis: nam si solidi nostri temporis subrogati fuerint in locum grossorum antiquorum, prout valde probabile est, & verificari potest ex libris antiquarum recognitionum factarum in fauorem Ecclesiæ, aut aliorum Dominorum directorum; consequens est, vt vel non debeantur floreni nisi duodecim solidorum currentium, vel saltem probata pro parte Communitatis immemoriali consuetudine soluendi, debeantur duntaxat floreni ad rationem duodecim solidorum nunc currentium propter dubietatem æstimationis, ex traditis per Thesaur. dict. part. 2. n. 67. & alios per eum *ibidem* allegatos.



CAPVT V.

De redditu annuo promisso in genere in moneta alba, quando nulla certa specierum dinumeratio facta fuit.

S V M M A R I V M.

1. *Incertus specierum recipiendarum numerus, quamuis conuentum fuerit easdem species restituere, non obligat venditorem redditus ad easdem species in eadem æstimatione reddendas.*
2. *Promissio de reddendo sorte redditus in moneta alba, est generica, nec obligat ad certas species.*
3. *Si specierum facta sit dinumeratio, iuncta conuentione*

tionem de restituendis iisdem speciebus, conuentio seruari debet. Idem, si dictum fuerit de similibus.

4. *Clausula sans aucuns patacs, apposta post promissionem certarum specierum, non alterat principalem dispositionem.*

Solueret annui redditus 300. scutorum promiserit soluere singulis annis 21. scuta, sexaginta solidorum pro quolibet, in moneta alba, pro fundo & sorte principali 300. scutorum monetae praedictae, quos recepit in 200. scutis de sezenis, & residuum in scutis auri Italiae vel Hispaniae, & aliquibus testuris & solidis Regiis: & in casum extinctionis promiserit soluere dictam sortem principalem in 300. scutis dicti valoris, in iisdem vel similibus speciebus quibus supra. Dubitatum fuit utrum restitutio sortis fieri possit de moneta currenti, & iuxta valorem illius de tempore solutionis? Respondi debitorem annui redditus ad aliud non teneri, dum sortem vult restituere: quam ut illam soluat iuxta cursum & valorem monetae currentem tempore solutionis. Quia licet superius ostensum fuerit *cap. 1. num. 10.* Quod quando facta fuit particularis dinumeratio specierum, una cum illarum aestimatione expressa vel tacita, & conuentum fuit quod eadem species redderentur in casu extinctionis, per verba habentia vim aestimationis & conuentionis de restituendis iisdem speciebus; tunc eadem, & in eadem aestimatione restituendae sunt: tamen in casu proposito concurrunt circumstantiae, quarum ratione conuincitur animus ad contrarium sentiendum.

1. In primis enim incertus est & indeterminatus specierum receptarum numerus, cum ignoretur quae quantitas aliarum specierum soluta fuerit praeter sezenos, quo casu non debetur idem numerus specierum; quia nulla ipsarum facta fuit dinumeratio, nec propter incertitudinem fieri potuit aestimatio; & propterea illa attendi debet quae viget tempore solutionis. Haec est doctrina Bartoli in *l. Paulus, in fin. ff. de solut.* Vbi dicit quod si quis dederit alteri centum libras in florenis, & nihil fuerit conuentum circa aestimationem; restitutio debet fieri iuxta valorem monetae de tempore solutionis: Quia etiamsi floreni aurei, (qui vigeant tempore Bartoli, & certam monetae speciem, non imaginariam constituebant;) fuissent positi in solutione, veluti quod fuisset dictum de restituendo in florenis; nihilominus tamen solutio florenorum aureorum fieri deberet secundum valorem ipsorum de tempore solutionis: cum non fuerit facta promissio, de reddendo certo numero, vel certa aestimatione, & sic promissio generica & indeterminata referenda est ad tempus solutionis, & valorem ipsius tunc currentem: ut dicit Brun. in tract. de monet. limit. 8. n. 5. *versic. & per praedicta teneo.* Co. uar. de variis numism. collat. c. 7. §. vnic. n. 5. in 8. *conclusionem.*

2. Conuentio autem illa *de rendre en mesmes especes que dessus*, non potest in casu proposito referri ad quantitatem, sed tantum ad qualitatem monetae: cum non solum fors annui redditus concepta reperiatur in moneta imaginaria, sed etiam quod plus est in moneta generica, *en monoye blanche*, & per consequens conuentio de reddendo capitale, in iisdem vel similibus speciebus quibus supra, non potest intelligi nisi de moneta alba in genere, cum promissio capitalis 300. Scutorum, non fuerit facta sub illa forma sub qua capitale numeratum fuit: quia illud receptum fuit partim in moneta alba seu argentea, partim vero in moneta aurea: ex quo clare ostenditur noluisse partes ut debitor cogereur restituere sub illa forma sub qua re-

cepit, sed tantum in genere in moneta alba: & propterea iunctis duabus illis circumstantiis, nempe quod species non fuerunt dinumeratae, & non fuit conuentum de restituendo certo numero specierum sub eadem aestimatione per verba expressa vel aequipollentia; bene conclusum fuit debitorem solum teneri soluere in moneta alba iuxta tamen valorem temporis solutionis: atque ita fuit iudicatum & executioni demandatum.

Aliud tamen constituendum esse Censui in alio casu, in quo fors annui redditus fuerat recepta in 39. duplicibus aureis auri Hispaniae, boni auri, & legitimi ponderis, & aliquot sezenis & solidis constituentibus summam principalem centum scutorum, iuxta valorem monetae temporis contractus: quia expressè ultra dinumerationem praedictam, conuentum fuerat, quod debitor in casum extinctionis teneretur restituere dictam summam centum scutorum in similibus speciebus quibus supra; cum similitudo specierum monetae ad numerum illius referenda sit, ut supra ostendimus. *cap. 1. num. 16.* Species enim apud Iuriconsultos idem est quod indiuiduum apud Logicos, ut etiam alias ostendimus. *cap. 3. num. 52.* & in materia monetarum, identitas & similitudo confunduntur, cum pecuniae in suo genere functionem recipiant, nec adit affectio in identitate corporum, sed in similitudine specierum, *l. nummis depositis. 3. ff. de in lit. iurand.* praesertim cum dictum fuerit, *Aux mesmes especes que dessus*, superius autem in contractu dinumeratio specierum facta fuerat: ergo saltem ratione numeri determinati 39. Duplicium, restitutio in iisdem speciebus erat facienda. Crauet. *consil. 47. num. 3.* Sola. *de monet. casu. 39. num. 17. versic. quapropter. & num. 18. & casu 19. nec non casu 47. num. 3.* Thesaur. Iun. in tract. de monet. part. 2. *num. 60. versic. nisi certa species.* Viuius. *opin. 516. numer. 49.* Faber. *de monet. cap. 17.* vbi sapius pro hac sententia in Senatu iudicatum fuisse testatur.

Vnde patet casum istum diuersum esse a praecedenti, cum in isto concurrat dinumeratio specierum cum promissione restituendi in iisdem vel similibus speciebus: quae duae circumstantiae deficiebant in casu praecedenti.

Difficultatem tamen aliquam facere videbantur 4. verba dictae conuentioni adiecta in hoc posteriori casu, nempe quod restitutio fieret in iisdem speciebus sine aliqua moneta minuta, *sans aucuns patacs*: sed eo non obstante non est recedendum a praedicta resolutione, quia verba illa non sunt apposta ad alterandam principalem dispositionem, sed tantum maioris expressionis gratia, & ad tollendam omnem dubitationem: *l. quae dubitationis. 81. ff. de reg. iur.* est igitur hoc potius quaedam inculcatio & expressio verborum ac specierum, quae sub genere comprehenduntur: ideoque nihil operatur. *l. quaesitum. §. penult. ff. de fund. instruct. l. legata, in princip. ff. de supellect. legat. & talis verborum non necessaria multiplicatio non mutat substantiam veritatis; l. pediculis. §. Labeo. ff. de auro & argent. legat. l. quae dubitationis. 81. & ibi DD. ff. de reg. iur.*



CAPVT VI.

De constitutione redditus referuatiui redimibilis, cum pacto quod in redemptione soluerentur scuta auri in auro, sexaginta solidorum pro quolibet; ita quod sexaginta

ginta solidi constituerent vnum aureum, & vnus aureus esset compositus ex sexaginta solidis, & vtrum reditus, si successu temporis magna oriatur inæqualitas, debeat reduci ad legitimum modum.

S V M M A R I V M.

- 1 *In reditu referuatiuo non eadem fieri debet interpretatio, quæ in consignatiuo.*
- 2 *In reditu referuatiuo licet pecunia non fuerit exbursata, conuentio tamen facta censetur respectu valoris currentis monetæ tempore contractus.*
- 3 *Monetæ aureæ ad argenteã proportio est duodecima.*
- 4 *Aurei valore mutato, mutantur etiam rerum omnium pretia.*
- 5 *Cuius monetæ valor attendendus sit in locatione temporali, vel perpetua.*
- 6 *Solutionis modus cum bona fide longo tempore præscribi potest.*
- 7 *Aurei æstimatio vtrum taxationis vel demonstratiõnis gratiã facta sit, varia sunt Doctorum sententiæ: ex quibus bona fides ad præscribendum oritur.*
- 8 *Si successu temporis in contractu censuali insurgat magna inæqualitas, iudex illam ad æquitatem reducere potest, iuxta multorum sententiam.*
- 9 *Contraria tamen opinio verior est: quia lesio iuxta tempus contractus consideranda est.*
- 10 *Aurei in auro per sexaginta solidos æstimati ita vt sexaginta solidi aureum in auro conficiant, quomodo soluendi.*
- 11 *In materia monetali verba contractus diligenter inspicienda sunt.*
- 12 *Quando conuentum fuit solutionem fieri in aureis monetæ currentis, quæ sit vis horum verborum monetæ currentis.*
- 13 *Monetæ nomen est generale, & ad aureos referri potest.*
- 14 *In monetis imaginarijs locum etiam habet distinctio bonitatis intrinsecæ, & extrinsecæ.*

ANno 1594. facta fuit concessio certorum prædiorum cuidam sub perpetuæ locationis titulo, referuato concedenti dominio directo, idque sub annua pensione duodecim scutorum auri, sexaginta solidorum pro quolibet scuto: sub pacto tamen, quod si pensionarius iste vellet pensionem redimere, teneretur soluere summam ducentorum scutorum, valoris sexaginta solidorum pro quolibet, & è contra sexaginta solidorum valentium scutum aureum in auro bonæ monetæ cursum habentis tempore extinctiõnis, in ciuitate Auenionensi, & Comitatu Venayssino. Dubitatum fuit quomodo, & in qua monetæ fieri debeat solutio, vel redemptio census.

Dubium hoc duo habet capita, quorum alterum pensiones currentes respicit. Alterum verò, sortis principalis solutionem.

Quod attinet ad pensiones currentes dubium facit, quia videtur quod solutio fieri possit & debeat in monetæ currenti tempore solutionis; cum simplex sit & generica promissio quoad reditus currentes facta de scutis auri sexaginta solidorum pro quolibet, nec fuerit dictum de scutis auri in auro, nec simpliciter facta fuerit ratio ad scuta auri; sed adiecta fuerit æstimatio sexaginta solidorum pro quolibet: quo casu locus est illi solemnicontrouersie, vtrum æstimatio illa seu designatio sexaginta solidorum pro quoli-

bet aureo, censetur facta demonstratiuè; an verò taxatiuè.

Pro cuius determinatione, & ad casum propositum applicatione aduertendum est hinc tractari de 1. reditu referuatiuo, in quo longè dispar est ratio quam in consignatiuo: vt notauit Censius, in tract. de censib. quæst. 85. num. 43. & ante eum Purpurat. consil. 323. num. 7. versic. tertio principaliter. † Vbi considerat 2. rationem differentie inter vtrumque reditum. Quia in referuatiuo pensio non debetur propter aliquam præcedentem pecuniarum traditionem, ita quod per relationem ad illam possit cognosci qualitas monetæ tunc præstitæ, & in futurum præstandæ; cum simpliciter reditus debeat ratione dominij translati: quia de causa, Curtius existimauit debitorem liberari soluendo monetam currentem de tempore solutionis: sed ipse Purpuratus miratur de tanto viro, qui non vidit textum formalem in cap. olim causam. 20. de censib. & ibi notata per Panormit. & text. in cap. cum canonicis. eod. tit. licet enim creditor pecuniam non exbursauerit tempore contractus, tamen partes contrahentes commensurarunt valorem census tetenti, habito respectu ad valorem monetæ quæ tunc suberat: † Et 3. ideo creditor dicitur pati damnum si cogatur capere pecuniam currentem ad valorem temporis solutionis, siquidem mutato aurei valore, necesse est mutare valorem monetæ argenteæ, quæ debitam semper retinet proportionem ad aurum; nempe vnus ad duodecim & plures vt notauit Alciat. consil. 34. num. 9. lib. 8. per text. in l. 1. Cod. de argent. lib. 10 & notata in l. 2. C. de veteris numism. potest. lib. 11. † Mutantur etiam rerum 4. omnium pretia, vt docet experientia; & aduertunt DD. & inter ceteros Viuius comm. opin. 516. num. 50. & sic creditor ex pecunia currenti tempore solutionis non poterit consequi tantam quantitatem mercium, aut aliarum rerum vendibilium, quantam habiturus esset, si solutio fieret iuxta valorem monetæ temporis contractus. Quod considerans Purpuratus in terminis locationis in l. cum quid. n. 69. ff. si cert. petat. existimauit in illo contractu habendam esse rationem maioris valutæ scutorum fauore creditoris: quia tempore contractus valor fructuum verisimiliter percipiendorum fuit commensuratus iuxta valorem pecuniæ tunc currentis, prout tunc constituebatur scutatus aureus: cuius valore mutato, variatur valor rerum quæ per pecuniam æstimantur. † Quidquid tamen sit in simpli- 5. ci locatione de qua videndus est Thesaur. Iun. in tract. de monet. part. 2. n. 64. tamen quando agitur de censu, vel alia perpetua pensatione, solutionem fieri debere quidem de monetæ currenti, sed ad æstimationem antiquæ, ostendit post plures alios idem Thesaur. loco citato num. 65. In reliquis videnda est distinctio quam affert num. 64.

Verum, omne dubium in facto sublatum fuit, & 6. firmata in hoc reditu currentium capite conclusio contra creditorem: quia per spatium ferè quinquaginta annorum, solutiones factæ fuerant ad rationem sexaginta solidorum monetæ currentis pro quolibet scuto, quamuis illo intermedio tempore valor aurei fuisset auctus, ad multò maiores summas, & aureus solis ascenderet his annis vltimò lapsis, prout adhuc ascendit apud nos ad solidos 112. ex qua diuturna præstatione, non solum obseruantia, sed etiam præscriptio legitima circa modum soluendi reditum; fuerat introducta, interueniente bona fide debitoris soluentis, qui iustam habebat causam credendi se ad maiorem summam non teneri, † propter diuersitatem opinio- 7. num inter DD. quorum aliqui mordicus tenent pretium & valorem aureis fuisse adiectum taxationis gratiã, vt Menoch. cons. 49. n. 12. & sequentib. & cons. 1266.

Alij verò tantùm causâ demonstrationis provt fusè comprobatur *Surd. consil. 368. num. 14. Gratian. discopr. forens. cap. 417. Cyriac. controuers. 388. num. 14.* cum pluribus per eos citatis. Rota apud Censium, *decis. 219. num. 7.* Ratione cuius longissimæ præscriptionis Dixi non esse amplius quærendum vtrum attendi deberet valor monetæ tempore contractus vel solutionis, sed solutionem faciendam esse iuxta solitum, habito respectu ad scutum sexaginta solidorum, currentium tempore solutionis, ex traditis per Censium, *in tractat. de censib. quest. 85. num. 34. & sequentib. Surd. consil. 220. num. 18. Rot. decis. 760. num. 2. part. 4. diuers. Cyriac. dict. controuers. 388. num. 17. Rot. apud Censium, decis. 221. num. 3.*

8. Sed dubitatum fuit posito citra veri præiudicium quòd fructus prædij concessi, fuissent propter bellum, sterilitatem, aut aliam causam extrinsecam adeo diminuti, vt ex eo magna resultaret inæqualitas, & debitor multùm grauatus reperiretur; vtrum hoc casu pensio seu reditus reducendus esset ad æqualitatem? Videbatur affirmatiuè respondendum per text. in *l. cum quidam. in princip. ff. de vsur. Theaur. decis. 226. & decis. 120. Gaspard. Roderic. de ann. redit. lib. 2. quest. 15. num. 95.* apud quem hæc sententia copiosè probatur.

9. Contrarium fuit decisum per Rotam Auenionensem Domini à Laurentiis *decis. 66. versic. anno 1593.* ea ratione, quia in æstimando valore reditus, inspiciendum est tempus contractus: quod & voluit Cens. *in d. tract. de censib. q. 3. n. 14. Monachus. decis. Lucens. 20. n. 7. versic. nec obstat.* & fusè comprobatur Barbof. *in votis canonicis, voto 10. per totum.* quorum sententiam Ego veriore existimo ob prædictam rationem, & alias copiosius per Barbofam adductas.


10. Quod autem attinet ad sortem principalem dicti reditus, Dixi eius solutionem faciendam esse in aureis auri in auro, vel in aliâ monetâ currenti per quam haberi possint aurei in auro; cum partium intentio fuerit vt vel darentur aurei in specie, vel saltè sexaginta solidi tales qui aurei valorem constituerent; & sic taxatio aureorùm non fuit potius facta per solidos, quàm solidorum per aureos, in auro, bonæ monetæ cursum habentis tempore solutionis, & sic partes omnino animum suum applicauerunt ad aureos in auro & ad certam speciem, aut ad talem æstimationem quæ cœqualis esset, & æquiualens certæ illi speciei: nam & minutam monetam per maiorem posse æstimari verius est ex *Surdo, consil. 368. n. 15. Couarr. in veter. numismat. collat. c. 7. §. vnic. in s. conclus.* Non est igitur ab illa partium conuentione recedendum. Menoch. *conf. 49. n. 10. vol. 1. Cens. d. quest. 85. n. 4.* † Et semper in hac materia ad verba contractus recurrendum est. *Theaur. de monet. par. 1. n. 42. versic. ego tamen semper.* Atque ita de promissione aurei in auro tradit *Surd. consil. 242. n. 5. Dominus Ludouic. Bellus consil. 77. n. 8.* Neque verba illa *auti in auro moneta currentis tempore solutionis,* quicquam nocent præmissæ conclusioni.

11. Primò, quia illa verba quatenus referantur ad valorem monetæ inferioris ex qua emuntur aurèi, ita deberent intelligi vt solueretur monetâ noua currentis tempore contractus: prout ita explicat Rota apud Censium, *decis. 214. n. 8.* Cum enim contrahentes, de monetâ aurea in auro loquuti expressè fuerint, non est verisimile quòd statim voluerint ab expressâ conuentione recedere: vnde verba illa *moneta currentis* non alterare principalem dispositionem dixit *Theaur. Iun. lib. 4. quest. forens. 72. num. 4. & 6.* & sic referri debet solutio monetæ nouæ ad rationem monetæ quæ currebat tẽpore contractus. *Brun. de augment.*

monet. limit. 8. n. 11. Larrea decis. Granatenf. 17. num. 8.

Secundò, quia verba illa *moneta currentis,* non referuntur in casu proposito ad monetas inferiores, sed ad monetas aureas, & sic debent intelligi de aureis in auro currentibus tempore contractus: cum nomen monetæ sit generale, & ad monetam etiam auream referri possit. *Ioan. ab Aquil. in tract. de monet. part. 1. c. 5.*

Denique non obstat quòd in dicto contractu dicitur, quòd debitor poterit se redimere soluendo ducentas libras qualibet vice, quia id debet intelligi retentis terminis pacti præcedentis, videlicet vt solutio fiat in moneta conuenta. Quamuis enim libra sit moneta imaginaria, suam tamen habet bonitatem intrinsecam & extrinsecam, aucto videlicet vel imminuto valore monetæ inferioris, ad cuius rationem libra æstimatur. *Lotter. de re benefic. lib. 1. quest. 39. n. 221.* Rota apud Censium, *decis. 214. n. 4.* & diximus supra *cap. 1. n. 2.*



CAPVT VII.

De creditore qui sub litteris cambij dedit duplices aureos legitimi ponderis, vtrum cogatur recipere duplices minores in pondere. Quid si pondere minutos dederit, quibus debitor vsus est tanquam legitimis. Quid si litteræ loquantur de moneta imaginaria.

S V M M A R I V M.

- 1 Quando moneta fuit alterata in bonitate intrinseca, inspiciendum est tempus celebrati contractus dum de solutione agitur.
- 2 Creditor non potest cogi recipere solutionem in moneta tansa, vel pondere minuta.
- 3 Debitor qui recepit pecuniam pondere minutam, non cogitur soluere ponderosam. Limita vt infra num. 6.
- 4 Diminutionis & augmenti eadem debet esse proportio tam quoad debitorem, quàm quoad creditorem.
- 5 Ampliantur præmissa vt locum habeant, etiamsi obligatio esset cœcepta in moneta imaginaria.
- 6 Si debitor pecuniam minoris ponderis receperit, & ipsa perinde vsus fuerit ac si esset ponderosa, debet ponderosam reddere.
- 7 Consuetudo generalis inter mercatores magni est momenti, quando tractatur de forma solutionis faciendæ.


Debitor summæ quinque millium librarum solutione suo creditori offerebat in duplicibus pondere minutis, quales currebant tẽpore solutionis, quas tamen creditor recusabat. Respòdi fundatum esse creditorem solutionem fieri postulantem in duplicibus aureis ponderosis, prout expendebantur tempore receptionis. Quia cum mutatio monetatum contigisset in illarum bonitate intrinseca, quia aurei fuerunt tansi & leuiore effecti, & tales publicè ex Edicto Principis tempore destinatae solutionis expendi solebant, & recipi per creditores, tandẽmque antequam oblatio per debitorem fieret superuenit aliud Edictũ prohibens recipi & in commercio haberi pecunias non legitimi ponderis, quæ mutatio monetæ in pondere concernit bonitatem intrinsecam ipsius, sequitur in casu proposito locum fuisse generali regulæ † quæ vult, quòd superueniente mutatione monetæ in bonitate intrinseca, creditori faciendæ est solutio in moneta quæ currebat tempore

- tempore contractus, vel in moneta noua iuxta tamen valorem antiquæ. D D. in cap. quanto. 18. de iureiur. Cens. de censib. quæst. 85. Ludouif. decis. 42. Ioan. Reynaud Auenionen. in suo tract. de monet. in fine versic. concludo igitur. Burat. decis. 626. num. 3. Gratian. discept. forens. cap. 884. per totum. † Vnde sequitur quòd dum moneta fuit in pondere post contractum diminuta, solutio fieri debet in eodem pondere quòd admittebatur tempore contractus. Abbas, in dicto cap. quanto. num. 12. versic. item ex defectu. de iureiur. Imol. in l. Paulus. in fin. ff. de solution. Bertrand. consil. 17. num. 4. volum. 4.
3. Et similiter debitores non possunt cogi soluere in moneta maioris ponderis, quàm illa quæ ipsis tempore contractus tradita fuit; eùm in hac materia seruari debeat æqualitas, & quòd statuitur in debitore, obseruari debeat per creditorem, & è contra. Rot. decis. 149. num. 7. part. 2. recent. Gratian. decis. 84. num. 6. † Vbi dicit diminutionem & augmentum, eodem modo decidi & determinari debere propter eandem contrariorum disciplinam l. ex duobus. §. et si contra tabulas. ff. de vulgar. & ob vicissitudinem commodi & incommodi l. secundum naturam. ff. de reg. iur. nec non rationem æqualitatis & paritatis seruandæ inter contrahentes. Laurent. Calcan. consil. 15. numer. 39.
5. Præmissa ampliuntur vt procedant etiamsi obligatio fuisset concepta in libris, vel alia moneta imaginaria, in qua cadit etiam consideratio bonitatis intrinsecæ, vel extrinsecæ: ex traditis per Censum de censib. quæst. 85. num. 16. cum ibi citatis & dixi cap. præcedenti num. 14.
6. Existimo tamen, quòd si creditor literarum cambij de quibus agebatur, numerasset debitori tempore contractus pecunias in pondere minuto currentes, & constaret debitorem illis vsu fuisse, easque expendisse pro bonis, cogereur reddere pecunias legitimi ponderis, si nullæ aliæ quàm ponderosæ essent in commercio, quia alioqui debitor locupletior factus iacturam suo creditori produceret; quòd non est dicendum: & quamuis in contraria sententia fuerit Gratian. discept. forens. cap. 884. n. 5. tamen contrarium per prædictam rationem se iudicasse testatur Larrea, decis. Granat. 17. n. 16. & 17. ne scilicet ille cui data est dilatio, lucretur cum iactura eius qui illam concessit.
7. Allegabat quidè debitor consuetudinem cõtrariam inter mercatores & campores, quâ probatâ fundatus esset ex Boër. decis. 327. num. 3. versic. tamen de consuetudine generali. cum pluribus aliis quos citat Peregr. consil. 13. num. 3. in fine volum. 3. Thesaur. de monet. part. 1. num. 73. & sequentib. Sed de ea cum suis requisitis non constabat: ideo iudicatum fuit contra debitorem vt solutio fieret in moneta ponderosa, quia constabat illum fuisse vsu pecuniâ, quæ tunc in minori pondere currebat vti bonâ & legitima.

- merum specierum restituere, quando ita conuentum fuit.
2. Depositarius si se obliget ad genus, depositum dicitur irregulare, & transit in naturam mutui.
3. In deposito irregulari tacitè censetur data depositario facultas vtendi deposito.
4. Differunt in deposito, quòd depositarius se obliget ad idem, vel ad tantundem reddendum.
5. Depositarius qui se ad tantundem reddendum obligauit, est debitor generis.
6. Quando depositarius non est multum diues, nec solet pecunias otiosas retinere, censetur illi tacitè data facultas vtendi deposito.
7. Pecuniæ diminutio cedit damno depositarij, qui se simpliciter ad certam summam genericam obligauit, eodem modo augmentum cedit eius commodo.
8. In dubio depositum præsumitur factum vt non idem, sed tantundem restituatur.

Debitor pecuniæ dotalis dubitans ne malè solueret, deposuit autoritate Iudicis summam 1000. scutorum, quam depositarius confessus fuit habuisse & recepisse in certo numero duplatum, & aureorum in contractu depositi designato: quam summam 1000. scutorum promisit restituere cui; & quando fuerit ordinatum: cùmque per multos annos depositum durauerit, auctusque interim fuerit valor duplarum & aureorum, quæsitum fuit vtrum præfatus depositarius cogendus sit depositum in iisdem speciebus receptis restituere; an verò sufficiat illi summam mille scutorum reddere, iuxta valorem aureorum currentem de tempore restitutionis: & sic vtrum augmentum vel diminutio valoris monetarum, cedat damno vel lucro depositarij.

Quæstio ista resoluta fuit affirmatiuè nempe lucrum aut damnum alterationis pretij aureorum cedere commodo vel incommodo depositarij. † Quia depositum de quo agebatur non fuerat factum in sacculo obsignatum, sed duntaxat numeratum, nulla facta conuentione de restituendis iisdem aureorum speciebus, seu numero eodem: quo casu depositarius sine dubio ad earundem specierum restitutionem fuisset obligatus, siue illarum valor extrinsecus creuisset, aut decreuisset: sed duntaxat sese obligauit ad restitutionem 1000. scutorum sexaginta solidorum pro quolibet scuto. † Quo casu non dicitur depositum regulare, sed irregulare, & transit in naturam mutui: nec depositarius dicitur debitor speciei, sed generis: & ideo siue pereant, siue extent pecuniæ, depositarius semper est obligatus ad summam promissam: quia genus perire non potest. l. incendium. Cod. si cert. perat. Quod probatur per text. in l. in naue. ff. locat. in illis verbis, Nam si quis pecuniam numeratam ita deposuisset vt neque clausam, neque obsignatam redderet; nihil aliud eum debere apud quem deposita est, nisi tantundem pecuniæ soluere. † Siquidem hoc casu videtur tacitè data permissio depositario vt pecuniam depositam ad suos vsus conuertere possit. Honded. consil. 43. num. 12. volum. 2. per text. in l. Lucius. 24. ff. de depositi. Quia numerans pecunias transfert dominium in depositarium, & propterea omne commodum & incommodum pecuniarum pertinet ad ipsum: vt expressè disponitur in d. l. Lucius. ff. de positi. † In qua fit differentia vtrum conuentum fuerit vt eadem corpora, an verò vt tantundem, hoc est vt eadem quantitas reddatur: & hoc secundo casu dicitur obligationem excedere notissimos depositi terminos, & depositariũ liberari; quamuis non idem, dummodo tantundem




C A P V T VIII.

Depositarius vtrum teneatur restituere eadem species eundemque numerum specierum quas recepit, an verò liberetur soluendo alias species æquiuales tempore restitutionis depositi.

S V M M A R I V M.

1. Depositarius tenetur easdem species eundemque nu-

- restituatur : quod & notauit Peguer. *decif. 38. num. 5. & 6. Fontanel. de pact. nuptial. claus. 5. glos. 8. part. 7. num. 8.* vbi dicitur quod hoc casu censetur data facultas depositario vtendi pecuniis depositis : quod & reperit *num. 14. Rot. apud Pacific. decif. 132. num. 6. Mant. de tacit. conuent. lib. 10. tit. 2. num. 10. & tit. 3. num. 12.* propter tacitam videlicet vtendi facultatem depositario concessam, Gaspard. Roderic. *de annuis redit. lib. 3. quest. 11. num. 19.* qui distinguit vtrum depositum factum fuerit simpliciter ad numerum; & tunc dicit eo ipso actum videri vt depositarius pecunia deposita vti possit, & duntaxat teneatur tantundem restituere; an verò depositum factum fuerit, vt eadem species reddatur; (in quo casu non versabatur depositum de quo agebatur,) & tunc eadem omninò species iuxta conuentionem restituenda sint. † At in casu proposito depositarius ad summam 1000. scutorum simpliciter erat obligatus, & sic erat duntaxat generis debitor : ergo soluendo pecuniam in genere, liberationem consequi debebat. *Budel. in tract. de monet. cap. 6. num. 4.*
6. Præmissis accedebat consideratio qualitatis depositarij, qui licet facultatibus esset idoneus, non tamen adeo diuitiis abundabat, vt pecunias otiosas apud se retinere soleret, quæ consideratio hoc operatur, vt multò facilius ipsi depositario concessa videretur facultas vtendi deposito : vt aduertit *Trentacinq. lib. 2. variar. resol. 3. de deposit. num. 7. versic. tertius & ultimus casus. & versic. hic tertius casus. Cancr. lib. 3. cap. 7. num. 55. & 65. & sequentibus.*
7. Neque obstare debent quæcumque in contrarium opponi possent ex *Theaur. in tract. de monet. part. 2. num. 70.* quia omnibus bene satisfacit *Larrea, decif. Granatens. 14. num. 80. iuncto num. 20.* & per totam illam decisionem, vbi difficultatem propositam ad longum examinat, & contrariis bene responderet asserens in Senatu illo fuisse iudicatum, depositarij damno cedere valoris monetarum alterationem. Si autem damnum spectat ad depositarium, eodem modo commodum & lucrum ad illum spectare debet : vt dictum est *cap. precedenti, num. 3. & 4. Ricc. collect. 2803. Larrea, dicta decif. 14. num. 16. & num. 8.* vnde cum habeamus decisionem in terminis, non videtur amplius
8. disputandum : † & quamuis versaremur in dubio, concludendum potius esset depositum ea ratione factum esse vt non idem, sed vt tantundem reddatur. *Ludouic. decif. 146. num. 16. & sequentibus. & n. 24. versic. in dubio tamen.* Vnde conclusum fuit depositarium liberari soluendo summam 1000. scutorum, iuxta cursum monetæ temporis restitutionis depositi.



CAPVT IX.

Emptor bonorum qui assumpsit sibi onus soluendi censum annuum debitum per venditorem, intra certum tempus; an teneatur soluere de moneta currenti, seu ad valorem temporis impositionis census; an temporis, quo onus istud sibi assumpsit; an temporis quo dilatio ipsi data expirauit; an denique temporis quo fuit in mora censum extinguendi.

S V M M A R I V M.

1. In dubio solutio debet fieri iuxta monetam tempo-

- ris contractus, si certa species non fuerit promissa.
2. Per assumptionem debiti alieni absente creditore factam, non extinguuntur hypotheca.
3. Accollatio habet vim solutionis inter accollantem, & eum ad cuius exonerationem fit accollatio.
4. Qui alienum debitum in se assumit, tenetur soluere eodem modo quo primus debitor, ad cuius exonerationem sese obligauit, & in eadem moneta.
5. Omnia onera transferuntur in eum, qui alienum debitum in se assumpsit.
6. Assumens in se alienum debitum, subrogatur in locum primi debitoris.
7. Assumptio seu accollatio alieni debiti, constituit partem pretij.
8. Per assumptionem alieni debiti, quis constituitur verus debitor.
9. Aliud est esse debitorem extinctionis, aliud sortis principalis census.
10. Assumens alienum debitum, multo magis obligatur si promiserit releuare, & indemnem seruare primum debitorem cum clausulis amplissimis.
11. Expressio certorum onerum, denotat exclusionem aliorum non expressorum.
12. Debitor morosus tenetur ad augmentum monetæ post moram adueniens.
13. Non est locus tacite renunciationi quando adest expressa declaratio animi, & protestatio in contrarium.

Emptor cuiusdam ruris assumpsit in partem pretij onus soluendi censum annuum debitum per venditorem, qui in certis auti speciebus extinguendus erat, prout per sententiam aduersus venditorem in contradictorio iudicio latam, fuerat declaratum. Quæsitum fuit vtrum augmentum valoris specierum cederet damno emptoris, vel venditoris.

Quatuor hinc tempora consideranda sunt. Primum tempus, quo reditus ille annuus creatus fuit; tunc enim aurei valebant septem libras & octo solidos. Secundum est tempus, quo ruris venditio, & per consequens assumptio oneris soluendi, seu vt loquuntur accollatio facta fuit per emptorem: & tunc aureus erat valoris octo librarum. Tertium est tempus quatuor annorum, quod emptori concessum erat ad faciendam extinctionem istius reditus assumpti, seu accollati. Quartum tempus præsens, quo emptor fuit in mora extinguendi reditum, quem in se assumpserat extinguendum intra quadriennium.

Quod attinet ad valorem currentem tempore quo ruris venditio facta fuit, & emptor sibi onus reditum soluendi vel extinguendi assumpsit: Concludendum est emptorem teneri soluere aureos, aut illorum valorem tunc temporis currentem. † Quia cum certam monetæ speciem non promiserit, tenetur soluere monetam, iuxta valorem temporis quo contraxit. *l. cum quid. ff. si cert. petat. Roman. consil. 123. num. 1. versic. tertio idem principaliter. Purpur. consil. 179. num. 4. & 6. volum. 1.* vbi hoc explicatur: sed quia hæc ratio multas recipit interpretationes, de quibus superius actum est, & nominatim *cap. 3. num. 49.* & alibi. Ideo vera ratio est, quia obligatio huius emptoris relationem habebat ad obligationem in certa monetæ aureæ specie, aut illius valore conceptam.

Præcipua difficultas consistit in tertio, & quarto tempore; vtrum videlicet debeat attendi valor primi temporis, an tertij, hoc est temporis impositionis census;

cenſus; an tempotis quo emptor illum redimere tenebatur? Item vtrum attendatur dictum tempus impositionis cenſus, an verò tempus præſens quo valor monetarum valde auctus fuit poſt moram emptoris.

- Quantum ad primum, augmentum monetæ quod interuenit inter tempus venditionis, & tempus promiſſæ extinctionis, Dixi emptores ad illius præſtationem teneri: quia licet creditores quibus ſolutio fieri debet non liberauerint debitores principales cenſus, ex eo quod aſſumptio oneris ſoluendi ſeu (vt dicunt) accollatio facta fuit, iſtis creditoribus
2. abſentibus: † qua de cauſa nulla extincta fuit obligatio reſpectu creditorum principalium: vt cenſuit Rota poſt tractat. Duardi, *de cenſib. deciſ. 238. num. 2.*
 3. & *deciſ. 26. num. 5.* Iſti tamen emptores ab ipſo die celebratæ venditionis, onus aſſumpſerunt ſoluendi dictum cenſum, & effecti fuerunt veri illius debitores: cum accollatio habeat vim ſolutionis inter accollantem, & eum ad cuius exonerationem fit accollatio: Rot. *deciſ. 547. num. 1. & 2.* apud Cenſum, & perinde ſit ac ſi dicti emptores ab initio cenſum impoſuiſſent, & illius pretium recepiſſent. Cenſus
 4. *in dicto tract. de cenſib. quæſt. 73. num. 16.* † Et propterea tenentur illum ſoluere iuxta formam & naturam primi illius contractus, & eo modo quo tenebantur illi qui cenſum illum impoſuerant. Cenſ. *dict. num. 16. verſic. hic autem obiter.* Rot. apud Cenſ. *deciſ. 337. num. 2.* Vbi dicitur quod qui onus ſoluendi cenſum aſſumit, tenetur ſoluere ad rationem decem aureorum auri in auro, licet tempore obligationis non ſoluerentur niſi octo. † Et generaliter verum eſt
 5. omnem accollationem, ſeu alieni debiti aſſumptionem; transferre omnia onera & incommoda debiti accollati. Thufc. *l. b. 1. littera A. concluſ. 84.* Giurb. *deciſ. 53. num. 10. in fine.* Atque ita deciſum fuit per Rotam Auenionenſem, *deciſ. 208. à num. 1. ad 5.* Vbi fuit dictum; emptorem, qui promiſerat in partem pretij ſoluere quandam ſummam ad exonerationem venditoris, teneri ſoluere in eadem moneta in qua venditor ſoluere coactus fuiſſet: idque duplici ratione. Prima, quia cum emptor aſſumit ſibi debitum alienum, cenſetur illud aſſumpſiſſe cum omnibus ſuis qualitatibus: maxime quia facta fuerat mentio instrumenti, cuius cancellationem emptor obtinere debebat, cum ſpeciali designatione, anni, diei, & Notarij. qui contractum ſumpſerat. Secunda, quia imputandum eſt emptori qui legem apertius dicere poterat: ideo emptor condemnatus fuit ad ſoluendam omnem maiorem monetæ valorem.
 6. Quod etiam alia ratione probari poteſt in caſu propoſito: quia partium contrahentium intentio fuerat vt emptores eſſent ſubrogati in locum venditoris in illo debito; iuxta notata per Duard. *dicto tract. de cenſibus. §. 3. quæſt. 13. num. 28. verſic. & eadem*
 7. *ratione.* per iura ibidem per eum allegata: † Et quia partes voluerunt debita illa, quæ ſibi emptor aſſumpſit, conſtituere partem pretij: iuxta notata per Mangil. *in tract. de ſubhaſtationib. quæſt. 109. n. 2. & 8.* Maſtrill. *deciſ. 37. ſub num. 9. part. 1.* Ludouil. *deciſ. 28.* quem refert & citat. Mangil. *in dicto tract. quæſt. 168. n. 4.* † Vnde à die contractus emptionis, venditor tenetur ad ſolutionem illius cenſus, non tanquam extraneus & tertius, ſed tanquam principalis debitor: cum teneatur ex proprio facto, & ex proprio contractu, dum conſtituit ſe ſoluturum, & cenſum redempturum pro venditore. Cenſ. *in dicto tract. quæſt. 105. num. 10.* Rot. apud eundem *deciſ. 437. num. 2.*

Quod ſi obiiciatur quod ante tempus deſtinatum extinctioni dicti redditus, & fortis principalis ſolutioni, emptor non erat in mora; & per conſequens non tenebatur ad aliquod intereſſe maioris valoris monetarum? Reſponſio eſt in promptu: quia petitio dicti maioris valoris non fundatur præciſe in mora, ſed potius in eo quod debitum ab ipſo venditionis die factum fuit proprium emptoris debitum: † qui licet nondum eſſet debitor extinctionis, quia illius dies nondum aduenerat; tamen ab ipſo die contractus, erat debitor fortis principalis, & reddituum maturandorum; & tanquam talis poterat conueniri.

Diuerſa enim ſunt, quod quis per accollationem fit debitor cenſus, & quod ad illius redemptionem cogi poſſit: quia qui onus ſoluendi cenſum ſibi aſſumit, quamuis verè ſit illius debitor, non tamen ſtatim ad eius extinctionem cogi poteſt; niſi ita conuentum ſit inter emptorem & venditorem ſoluendi onus ſibi aſſumentem: & ſic aliud eſt eſſe debitorem cenſus, aliud eſſe debitorem extinctionis ipſius: vt colligitur ex notatis per Cenſ. *in tract. de cenſib. quæſt. 106. n. 15. verſic. ſed poſſet circa hoc dubitari.*

Et ſupradicta multò magis locum habent, ſtante pacto quo emptor promittit dictos redditus ſoluere, & fortem principalem tempore conuento reſtituere, & de dictis ſummis & partitis releuare & indemnem ſeruare venditorem: quæ verba oſtendunt mentem contrahentium fuiſſe, vt venditor in totum ſe eximeret à ſolutione dicti cenſus, & fortis eiſdem, & de omnibus venditor eſſet oneratus: quod ſanè æquitati conſonum erat: vt notauit Rota *dicta. deciſ. 337. n. 2. verſic. concurrebat etiam.* poſt tractatum Cenſij *de cenſib.*


Præterea cum conuentum fuiſſet, quod venditor durante biennio teneretur ſoluere redditus currentes quoad exceſſum, qui erat vltra quinque pro centenariis, (cum cenſus eſſet ad rationem ſeptem) colligitur ex eo, quod ab omnibus aliis voluit ſe eximere: quia expreſſio certorum onerum infert excluſionem omnium aliorum. Gabriel. *conſil. 137. n. 32. volum. 2.* Sard. *conſil. 234. n. 18.*

Quod attinet ad incrementum monetæ, quod contigit poſt tempus ſolutioni præfixum, nullo modo poteſt emptor ab eo ſe eximere: tum quia mox oſtenſum fuit augmentum, quod contigit poſt contractum, deberi per emptorem: tum etiam alia ſpeciali ratione, quia ab illo die ob non factam redemptionem & extinctionem cenſus, iuxta promiſſionem; fuit conſtitutus in mora. Duard. *in tract. de cenſib. §. 3. de cenſus ſolutione. quæſt. 6. num. 28.* Vbi generaliter dicit quemcumque debitorem moroſum teneri ad augmentum monetæ ſuperueniens: & docet Bald. *in l. vinum. num. 23. ſub ſinem ff. ſi cert. petat.* Bart. *in l. cum quid. numer. 17. ff. eodem tit. & ita iudicatum refert Berlich. deciſ. 156. numer. 7. & ſequentib. & lib. 2. pract. concluſ. 36. numer. 62.* Theſaur. *deciſ. 174. num. 4.*

Neque eſt quod opponatur venditorem recepiſſe ab emptore cenſus currentes, illòſque creditori dicti redditus annui perſoluiffe, ſupplendo de proprio maiorem valorem monetæ, & ſic ſibi præiudicaffe.

Reſpondetur enim, omiſſis aliis rationibus, quod nunquam colligi poteſt tacita iuris quæſiti renunciatio, quoties adest expreſſa proteſtatio in contrariū, pro vt hoc caſu aderat: quia venditor poſtquam per ſententiam fuerat condemnatus ad ſolutionem augmenti monetæ ſententiam emptori intimari curauit, & citari fecit ad

videndum ordinari, quòd ipse tenebitur eundem venditorem releuare, & indemnem feruare ratione dictæ maioris valutæ: vnde ex actibus postea factis non potuit induci tacita iuris renunciatio: quia non quærendum est de tacito, vbi adest expressio in contrarium. *Surd. consil. 35. num. 10.* vnde conclusum fuit emptorem ad illam maiorem valorem monetarum esse obligatum.



CAPVT X.

Debitor soluens cùm sciret proximè publicandum Principis Edictum super mutatione monetarum, vtrùm liberationem plenam consequatur: & an is qui ignorans solutionem sic recipit, possit molestare soluentem.

S V M M A R I V M.

1. *Venditor qui sciebat bonitatem rei vendita non esse duraturam, est in dolo, si de hoc certiore non fecerit emptorem ignorantem.*
2. *Qui contraxit ex eo quòd sciebat Principis Edictum breui publicandum, circa rem de quam contractus initus fuit, tenetur hoc notificare alteri contrahenti.*
3. *Et talis sic contrahens crimen stellionatus incurrit.*
4. *Et tenetur ad interesse.*
5. *Solvens pecuniam statim reprobendam tenetur ad interesse; si is, cui solutio facta fuit, non habuit legitimum temporis spatium ad expendendam illam monetam: secus si habuit tempus ad illam expendendam.*
6. *Dolus arguitur ex breuitate temporis quo Edictum publicatum est.*
7. *Solutio habetur pro non facta cuius utilitas non est duratura.*
8. *Referuntur Doctores de hac materia tractantes.*

ANno 1639. cùm moneta aurea passim in Gallia & in statu Auenionensi expenderetur, & reciperetur tonsa, & pondere diminuta cum magno excessu; tandem post secretum quemdam super proximo regulamento monetarum rumorem, dicti regulamenti certa notitia deuenit ad Ciuitatem Auenionensem die 17. Nouembris sub vesperum, quæ fuit publica effecta die sequenti 18. Nouembris 1639. matutinis horis, & aurei valor ad ratam ponderis reductus fuit in commercio, nec amplius leues aurei pro antiquo & vero aurei valore admissi. Mercatores quidam qui ab amicis de proxima reductione aureorum concitatis equis moniti fuerant, emerunt plurimas merces, easque in pecunia numerata ante notitiam venditorum futuræ mutationis in aureis leuibus persoluerunt.

1. *Dubitarum fuit vtrùm venditores agere possent aduersus emptores ad damni passi refectionem. † Et stantibus præmissis fuit affirmatiuè conclusum per text. in l. si vinum 15. versic. planè. ff. de pericul. & commod. rei vendit. ibi, cùm intelligeret venditor non duraturam rei bonitatem, nec admonuit emptorem, tenebitur ei quantum eius interesset fuisse admonitum. Per quem textum Salic. & Bald. ibidem norant dolum colligi in contrahente, qui sciens rei bonitatem*


non duraturam contrahit, nec emptorem admonet proximè futuræ deteriorationis. † Et in terminis illius qui contrahit, cùm sciret proximè futuram Edicti, vel constitutionis publicationem, tradit Pinel. *ad l. 2. Cod. de rescind. vendit. part. 3. n. 21. 22. & 23.* Et cùm emptor in casu proposito sciret proximè futuram monetarum mutationem, dicitur contraxisse propter dolum, & dolum dedisse causam contractui, qui propterea subiaceret rescissioni, etiamsi non adit læsio vltra dimidiam Stracc. *in tract. de sponsionib. §. item quæro, vincentius. fol. mihi 233. n. 3.* † Vbi amplius addit sic soluenti pretium in moneta, 3. quam sciebat reprobendam, obiici posse crimen stellionatus, quod omnibus illis generaliter obiicitur, qui dolo quid fecerint: l. 3. ff. de crimin. stellion. † 4. Et probatur per doctrinam Bartol. *in l. quæro ff. de act. empt. & vendit.* Vbi dicit quòd si quis sciebat de proximo publicandum esse decretum super pretio frumenti, & magnam quantitatem vendidit antequam publicaretur, & non certiore fecit emptorem, tenetur ad interesse.

Idem tradit Bald. *in l. acceptam. num. 25. in 17. 5. quest. Cod. de usur.* vbi dicit quòd si mutatio fuerit repentina, quia creditor non potuit pecuniam propter temporis breuitatem expendere; sed ea statim reprobata, seu recusata fuit; succurrendum est illi cui solutio facta fuit: si verò tale tempus intercessit per quod pecunia conuerti potuerit in vtilitatem recipientis, tunc solutio non potest controuerti: cuius dictum sequitur Afflict. *decis. 194. num. 2. versic. item allegabatur.* & sic etiam distinguit Giurb. *decis. 87. num. 33.*

Et sane ex breuitate temporis inter venditionem 6. seu solutionem, ac notitiam publicam regulamenti seu edicti monetarum interuenientis, dolum præsumi debere testatur Marfil. *in rubric. de fideiussoribus. num. 88.*

Denique ad præmissa confert illa iuris regula quæ 7. vult solutionem haberi pro non facta, cuius utilitas non est duratura: vt habetur apud Latream *decis. Granaten. 13. num. 36. Caroc. de deposit. part. 1. quest. 5. num. 5. versic. octauo.* Bartol. *in l. acceptam. quest. 17. Cod. de usur. Hostiens. in cap. quanto. colum. 3. de iureiur. versic. si autem diminuta non est.*

Et prædicta confirmantur ex traditis per Menoch. *consil. 952. num. 22. Larream, dict. decis. 13. Solam, de monet. cas. 22. num. 5. Giurb. decis. 87. num. 17. & 33. Thesau. iun. in tract. de monet. part. 1. num. 68. Duard. de censib. §. 5. quest. 49. num. 4. Bonacin. de contract. disput. 3. quest. 4. puncto. unico. num. 36. Gratian. discept. forens. cap. 884. num. 25. & sequentib. & cap. 260. num. 19. Cod. Fabr. lib. 8. tit. 29. definit. 37.*



CAPVT XI.

Exactorem, cui factum fuit mandatum seu indicatio soluendi alicui creditori in moneta currenti, contra formam contractus censualis, non teneri vltra indicationem: hoc tamen non nocere ipsi creditori; quamuis vti Secretarius Communitatis instrumentum indicationis rogasset. Et quomodò solutio fieri debeat, quando quis promisit soluere in testutis, regalibus, & solidis. Quid si solidi non reperiantur, aut

aut magna cum difficultate: & utrùm Notarius recipiendo instrumentum præiudicet suis hypothecis.

S V M M A R I V M.

- 1 Solum mandatum de soluendo datum exactori non tollit obligationem, donec solutio effectualis interuenerit.
- 2 Secretarius Communitatis qui scripsit ex necessitate officij sibi non præiudicat.
- 3 Creditor recipiens solutionem in moneta indebita, sibi non præiudicat si fuerit protestatus.
- 4 Quando promissio facta fuit de soluendo in tribus monetarum speciebus, intelligitur de singulis pro rata.
- 5 Quando species monetae promissa non reperitur aut cum magna difficultate, sufficit solutionem fieri de moneta currenti tempore solutionis, ad valorem antiquæ.
- 6 Quando exactores sunt indicati respectu fructuum, si moneta aucta fuerit, debet haberi consideratio augmenti valoris fructuum qui ex ipsius exactione percipiuntur.
- 7 Notarius qui recipit instrumentum, non præiudicat suis hypothecis.

Communitas quædam debitorum annui redditus in scutis auri solis in auro, boni auri & legitimi ponderis, oneravit exactores de soluendo summam principalem dicti redditus in festis Paschatis tunc proximè futuris; quam summam asserebat ascendere ad 850. Scuta, sexaginta solidorum pro quolibet scuto: cuius indicationis instrumentum sumpsit, seu scripsit Secretarius eiusdem Communitatis, qui erat dominus dicti redditus annui. Post indicationem exactoribus factam, & intra terminum quo exactores soluere debebant, creuit valor extrinsecus aureorum: Quæsitum fuit quid iuris?


- Dixi in hoc negotio varias personas esse considerandas, & in singulis diuersimodè statuendum. Primò quod attinet ad Communitatem, certum est ipsam per mandatum de soluendo, seu per indicationem exactoribus factam, non potuisse alterare naturam obligationis præstitæ in fauorem creditoris: † cuius obligatio semper in suo statu remanet, non obstante illa deputatione exactorum; donec & quousque facta fuerit effectualis solutio: vt dicit Marilian. *decif. 2. num. 8.* Mastril. *decif. 179. num. 12. & 19.* Surd. *consil. 22. num. 33.* Socin. *sen. consil. 37. num. 2. & per totum. volum. 4.* Gratian. *discept. forens. cap. 527. num. 3.*
2. Neque consensus aliquis tacitus resultare potest ex eo, quòd Secretarius dictæ Communitatis scripsit, seu rogauit instrumentum dictæ indicationis, seu mandati de soluendo exactoribus facti; cum id ex necessitate officij fecerit, & fictione iuris habeatur pro alia persona diuersa. Gloss. & Bartol. in *l. sicut. §. non videtur ff. quib. mod. pig. vel hypot. solu.* Zuchard. in *repet. l. 1. Cod. de pact. num. 117. volum. 7. Repetentium. fol. 149.* Surd. *decif. 153. num. 17.*
 3. Præsertim quia tempore, quo dictus Secretarius partem sortis suæ principalis ab exactoribus recepit, expressè protestatus est, se illam recipere sine præiudicio maioris valoris monetarum; per quam protestationem ius ipsius fuit præseruatum. *l. 4. §. 1. & ibi Bartol. ff. quib. mod. pig. vel hypot. solu. cū aliis citatis per Surd. decif. 246. n. 11.* Neque recurrendum erat ad consensum tacitum, postquam constabat de expressa protestatione in contrarium: vt diximus supra. *c. 10. n. ult.*
 4. Verùm, quia licet aurei in auro essent in obligatio-

ne, quia empti fuerant per expeditionem monetarum æquivalentium, quo casu facta conuentione de restituendo sortem, in iisdem speciebus, provt conuentum fuerat in casu proposito; talis conuentionio seruanda est, & restitutio in speciebus promissis facièda: cum tamen aurei recepti fuissent seu æquiualens illorum æstimatio tempore contractus in regalibus, testutis, & solidis. Dixi tertiam partem in qualibet, ex dictis speciebus esse soluendam, propter naturam copulæ, & quæ singulis distribuit pro rata: per text. in *l. reos. §. cum in tabul. ff. de duob. reis. l. 3. §. si quis ita. ff. de eo quod cert. loc. per quem textum dicit Rip. in *c. 1. ext. de iudiciis.* quòd promittens soluere in pluribus locis specificatis, & specificè copulatis, intelligitur promississe ratam partem soluere in quolibet dictorum locorum. *Cost. de ration. rate. quæst. 69. n. 1. & 2. & ad propositum nostrum Crauet. consil. 187. n. 5. Thefaur. iun. de monet. part. 2. n. 70. vers. & si non constaret.**

Quæres quid si solidi reperiri non possint, aut non sine magna difficultate?

Respondeo sufficere quòd soluat eadem quantitas monetae nunc currentis, quæ æquiualeat solidis qui currebant tempore contractus. *Duard. de censib. §. 3. de census solut. quæst. 6. n. 45. Cens. d. quæst. 85. n. 12.* Quantum ad exactores, dixi illos teneri ad solutionem maioris valoris monetae, à tempore quo fuerunt in mora soluendi: iuxta *decif. Berlichij 156. & alia de quibus supra, c. 10. n. 12. †.* Præsertim quia exactio ipsis per Communitatem data consistebat in vigesima parte fructuum totius territorij, quorum valor augetur aucto valore monetae; quod est valde considerandum: vt aduertit *Purpurat. in l. cum quid num. 169. ff. si cert. petat. Curtius iun. in tract. de monet. n. 13. Aret. consil. 112. aliàs 111. Calcan. consil. 14. Thefaur. Iun. in dicto tract. de monet. num. 64. versic. veritas est.*

Cæterùm, circa ea quæ diximus supra n. 2. addendum est quòd licet *Galerat. in tract. de renunciat. lib. 1. cap. 10. num. 7. & 8.* videatur dubitare utrùm Notarius recipiendo instrumentum obligatorium alicuius, qui aliud eius debitor est, sibi præiudicet quoad hypothecas: tamen verius est illum sibi non præiudicare: vt ostendit *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 66. n. 18. Mascard. conclus. 1347. n. 25. Tiraquel. de retrac. cõsang. §. 1. glos. 9. n. 142. Surd. decif. 153. n. 17. Hodierna. ad Surd. decif. 302. n. 1. dicens aliud esse in Aduocato vel Procuratore, quia eorum officium est voluntarium: & citat ad hoc etiam Gratian. *discep. forens. c. 38. n. 15. & seq. & benè Thefaur. Iun. lib. 3. qu. forens. quæst. 31. per totam,* vbi respondet omnibus iuribus, & rationibus, quæ in contrarium allegari possent.*



C A P V T. XII.

Pleniùs explicantur ea, quæ dicta sunt superiùs, *cap. 1. num. 15. in 4. casu,* de promissione restituendi sortem annui redditus in moneta eiusdem bonitatis intrinsecæ, & extrinsecæ, eiusdem pedis, ponderis, & ligæ, *Mesme pied, tiltre & aloy.* Quid statuendum sit quando eodem tempore simul mutatus fuit omnium monetarum valor extrinsecus. Quid si promissio facta fuerit habità ratione ponderis *du Marc.* Et utrùm sola dinumeratio specierum, obliget debitorem ad easdem species) si nihil aliud conuentum fuerit) restituendas.

S V M M A R I V M.

- 1 Mutato solo monetarum extrinseco valore, damnum vel commodum est creditoris; damnum quidem si valor extrinsecus augeatur, lucrum verò vel commodum, si minuat.
- 2 Dictionis Tiltre, quid significet in materia monetali.
- 3 Aurum perfectissimum sub quo titulo, & quibus caracteris confici debeat.
- 4 Dictionis Pied, quid significet, cum de monetis agitur.
- 5 Quæ sit vis dictionis Aloy, apud monetarios.
- 6 Liga monetarum in duodecim denarios distinguitur.
- 7 Proportio auri & argenti quæ sit, iuxta ordinationes Regias.
- 8 Dictionum illarum pied, tiltre, & aloy, vis ostenditur, & ad praxim per exempla deducitur.
- 9 Mutatio moneta necesse est ut fiat tam quoad bonitatem intrinsecam, quam quoad extrinsecam, quando variatur pes moneta.
- 10 Quando omnes moneta simul eodemque tempore aucta fuerunt in bonitate extrinseca, perinde est ac si mutata fuisset bonitas intrinseca, secundum opinionem aliquorum.
- 11 Quando obligatio respicit certum auri pondus, illud præstandum est, aut saltem illius aestimatio tempore solutionis.
- 12 Sola diligens specierum dinumeratio facta in contractu ad instantiam creditoris, licet non sit sufficiens ad obligandum debitorem, ad restitutionem earundem specierum; tamen cum aliis iuncta, magnam facit pro creditore præsumptionem.
- 13 Verisimile non est creditorem se dubia monetarum mutationi supponere voluisse.
- 14 Quod verisimile est multum attendi debet, dum dubitatur in qua moneta solutio fieri debeat.

Mercator quidam anno 1627. annum redditum 21. scutorum emerat pretio 300. scutorum, sexaginta solidorum pro quolibet scuto. Quod pretium soluit in 60. quadruplicibus auri in auro Italiæ, & tribus scutis auri Solis cunei Christianissimi Francorum Regis, boni auri, & boni ponderis.

Cum pacto, quod dictus mercator tenebitur censum hunc retrovendere mediante restitutione totius capitalis 300. scutorum sibi faciendâ, cum fructibus decursis, *en bonnes & belles & grosses especes d'or, & d'argent, ayant cours & mise en Auignon & provinces circonvoisines, que soyent de pied, tiltre & aloy, & non moindres en bonté intrinseque, & extrinseque, que les sus receuës sont à present, sans aucuns parats ny autre monnoye basse.* Id est in bonis pulchris & grossis speciebus auri & argenti, habentibus cursum Auenioni, & in provinciis circumvicinis: quæ sint pedis, tituli & ligæ, & non minores in bonitate intrinseca & extrinseca, qua superius receptæ sunt de presenti; sine aliquibus parachis, aut alia moneta inferiori.

Contigit postea, quod anno 1636. ex Edicto Regis Christianissimi valor extrinsecus aurei, & per consequens aliarum monetarum fuerit admodum auctus, remanente tamen eadem semper bonitate intrinseca aureorum & argenteorum Regionum, mutatâ etiam bonitate intrinsecâ quarumdam monetarum non Regiarum notæ inferioris.

Quæsitum fuit in qua moneta, & ad quam rationem dictus mercator teneatur, & cogi possit re-

cipere pretium dictæ retrovencionis; vtrum videlicet habita ratione valoris currentis tempore obligationis dicti pretij, an verò iuxta tempus contractus.

Dubium primo loco facere videntur verba illa *non minores in bonitate extrinseca.* Quia si debitor cogitur soluere in speciebus promissis supplendo valorem extrinsecum in casum diminutionis: ergo eadem ratione creditor tenetur pati solutionem in valore extrinseco aucto.

Præterea cum de augmento extrinseco nihil fuerit dictum, sed tantum de diminutione; casus augmenti extrinseci non deductus in pactum, remanet in dispositione iuris communis. † De iure autem quando solus valor extrinsecus alteratus fuit, remanente eadem bonitate intrinseca, diminutio cedit commodo creditoris, qui plures nummorum species recipit: augmentum verò, commodo debitoris; qui minorem specierum auctarum numerum præstando liberatur: prout communiter resoluunt Doctores, ut ostendit Cens. *de censib. quæst. 85. numer. 24. in 8. conclus.* Addit. ad Ludouif. *decis. 42. num. 7.*

His tamen non obstantibus, Contrarium firmandum esse dixi, nempe creditorem non teneti recipere restitutionem dictæ summæ, in alia moneta quam in moneta aurea, vel argentea; eaque bona, & legitima; habitâ ratione non solum bonitatis intrinsecæ, sed etiâ valoris extrinseci currentis tempore contractus; ita ut augmentum illius cedat commodo creditoris.

Cum enim in hac materia præcipue ad verba contrahentiû respectus haberi debeat, ut supra diximus, & DD. omnes admittunt: ut notat Gaspar. Belleria *in suo consilio monetali impresso post Solæ tract. de monet. num. 25.* conuentio satis expressa est in casu proposito, quod restitutio fiat in moneta, quæ sit eiusdem pedis, tituli, & ligæ: quæ verba comprehendunt eandem bonitatem tam intrinsecam, quam extrinsecam: de cuius conuentionis validitate non est dubitandum, ut alibi diximus: & tradit Cens. *dicta q. 85. num. 5. in 1. conclus.* Bellet. *dicto consil. num. 26.* Sola, *de monet. casu 39. n. 11.*

Hoc autem comprobatur, si exactè consideremus vim & naturam illorum verborum *Pied, Tiltre, & Aloy*: † dictionis enim *tiltre* significat notam natiuæ probitatis auri vel argenti, nam perfectissimum ad viginti quatuor ceratia, vulgò *Carats*; aliud verò ad 23. aut minus ascendit: quod auri indicaturam Budæus nuncupauit *lib. 3. de Assè. fol. mihi 261.* hoc est notam & gradum bonitatis. † Cum autem etiam quodcumque selectissimæ notæ aurum, vicesimam quartariam puri & obrisi auri nunquam attingat, quamvis quam proximè accedat; quantò propius aurum ad natiuæ probitatis notam accedit & ad vicesimam quartariam, tantò purioris & melioris tituli esse dicitur: minoris verò & inferioris, quantò magis ab illâ summâ auri obrisi probitate recedit: veluti si vicesimariæ binariæ, vel ternariæ, aut vigesimæ binariæ cum dimidia, & sic de alijs: Quod nostri dicunt *au tiltre de vingt-deux ou vingt-trois carats, ou vingt-trois & demy.* Est ergo primæ notæ aut purioris tituli aurum quod vicesimariam ternariam cum dimidia probitatem habet *vingt-trois carats & demy.*

Dictionis verò illa *pied* nihil aliud significat quam numisma illud prototypon, ad cuius bonitatem & valorem extrinsecum aliæ monetae cuduntur: *C'est la piece de monnoye, au taux de laquelle l'on proportionne le prix & valeur de toutes les autres moindres, ou plus grandes especes de monnoye*: adinstar pedis, quo omnia corpora mensurantur, & ad cuius proportionem maiores mensuræ componuntur.

5. Vox item illa gallica *Aloy* quæ barbaro potius quàm latino idiomate *Liga* nuncupatur, species est mixturæ, vel gradus metalli quod melioris aut deterioris ligæ dicitur iuxta minorem vel maiorem alieni metalli admixtionem, sicut *Aloyer les Metaux* nihil aliud est quàm certa ratione commiscere, temperare & metalla commensurare.

6. Hæc autem liga in duodecim gradus seu denarios distinguitur quæ latinè duodena scrupula dicuntur ita vt argentum pretiosius dicatur esse ligæ seu pretiositatis, duodecim denariorum: & si ex vna libra talis argenti adimatur dimidia vncia, & loco illius subrogetur dimidia æris, dicitur argentum ligæ 11. denariorum, cum dimidio: si duæ vnciæ, erit decem denariorum, & sic consequenter: & ita quando argentum est decem denariorum, sexta pars est æs; si 9. quarta; & sic proportionaliter idem in auro locum habet: si enim ex 24. auri vnciis vna æris subrogetur, erit aurum ligæ 23. caracterum; si duæ erit 22. & sic de aliis. Hæc tradit, & copiosius explicat Albert. Brun. in tract. de monet. in princip. num. 12. 13. 14. & sequentibus. Budel. de monet. lib. 1. cap. 8. num. 3. & sequentibus.

7. Et vt hæc ad praxim per exempla reducamus videre poterit decima Francisci primi ordinatio facta anno 1540. sub die 19. Martij apud Fontanon, tom. 2. fol. 115. artic. 7. vbi ad proportionandum valorem auri puri pro qualibet marcha, statuitur auri pretium 165. librarum 7. Solidorum, & 6. Denariorum, & seruata proportione, marcha argenti Regij pretium obtinebit quatuordecim librarum, ita vt argenti & auri proportio sit ferè vnus ad duodecim, sed non præcisè, quia si præcisè esset vnus ad duodecim, oporteret esse proportionem 14. ad 168. & hoc est quod dicebamus supra cap. 7. num. 3. argenti ad aurum proportionem esse duodecuplam circiter, ex l. 1. Cod. de argent. lib. 12. & ex Alciato ibid. citato.

8. Et hoc præsupposito, redeundo ad quætionem nostram, postquam assignata fuit illa proportio auri & argenti, vt 165. circiter ad 14. subduntur hæc verba: *Et que sur ledit tître & pied de quatorze liures soit faite la fabrication de la monnoye blanche* & iterum artic. 8. eiusdem Regiæ ordinationis dicitur, & *sur ledit pied de quatorze liures sera forgé la nouvelle monnoye*: hinc clarè constat dictionem illam *tître & pied*, includere valorem taxatum per ordinationem, iuxta proportionem valoris marchæ auri, ad valorem extrinsecum marchæ argenti: ita vt si aurum valeat pro qualibet marcha libras 165. 7. 6. argenti valor extrinsecus sit 14. librarum pro qualibet marcha.

Item colligitur ex edicto Henrici III. anno 1577. Quod inferitur in eodem 2. volum. num. 47. fol. 193. vbi dicitur & mandatur quòd aurei nummi conferuentur in suo pondere & bonitate interiori seu intrinseca, quæ est duorum denariorum & quindecim denariorum *de poids*, & viginti quatuor caracterum *d'aloy*: & *sur ce pied & fondement, faire la correspondance de toutes les autres especes tant d'or, que d'argent, & billon, aux fins qu'une achepte l'autre.* & ibidem dicitur, *Avoir esté prins l'escu pour le pied, & seul fondement de tout compte, valeur, & estimation de toutes choses*: & habetur in multis aliis locis dictarum ordinationum: sed hæc duo exempli causâ dicta sufficiant.

Vnde cum verba illa *du mesme pied, tître & aloy*, eius sint virtutis, vt valor extrinsecus monetæ referatur ad intrinsecam illius bonitatem, sequitur per necesse, vt mutato extrinseco valore auri, non sit amplius moneta *du mesme pied*: Quia cum aureus sit pes, fundamentum, & regula seu norma aliarum

monetarum; sequitur mutato auri valore seu intrinseco, seu extrinseco, non esse amplius monetam *sur le mesme pied*: sicut mutato in mensuratione pede, vel palmo, eoque aucto vel minuto, fieri non potest vt aliæ mensuræ sub eodem pede, & sub eodem palmorum vel pedum numero subsistant.

Ergo mutato pede & fundamento, oportet iuxta 9. conuentionem, vt solutio fiat iuxta pedem, valorem, æstimationem ac proportionem quæ vigeat tempore contractus. Landens. de monet. num. 25. Renerius Budel. in eodem tract. cap. 11. num. 3. lib. 2. Et hoc casu locum habet quod dicit Sola in eodem tract. casu 5. num. 2. quòd nulla est virtualiter differentia an aureus, seu monetæ magnæ fabricentur de minore liga seu materia, vel manente illarum materia crescat eorum valor: quia si valor extrinsecus non respondeat bonitati intrinsecæ, perinde est ac si de nouo, nunc monetæ fabricatæ essent, & æstimatæ magis quàm valeant: quod tamen extra præsentem casum non ita simpliciter admittendum censo: sed non est vltra propositam quætionem diuagandum. Idem dico de iis quæ tradit idem Sola, cas. 39. num. 15.

Considerandum etiam erat in fauorem emptoris 10. annui illius redditus, quòd vno eodemque tempore proportionabiliter auctus fuisse proponebatur omnium monetarum valor: imò & miniores monetæ intrinseca bonitate diminutæ: fuerant quando autem simul monetæ omnes aureis & argenteis extrinsecus auctas fuisse constat, perinde est ac si bonitas intrinseca fuisset alterata, & per augmentum extrinsecum diminuta: vt optimè explicat Kolch. exercit. legal. 19. num. 10. Et hoc casu forsan procedere possunt quæ mox ex Sola dicta sunt in dicto casu 5. numer. 2. & cas. 39. num. 15. Alteratâ autem intrinsecâ monetæ bonitate, dubium non est quin solutio debeat fieri iuxta bonitatem temporis contractus, vt sæpius diximus ex Add. ad Ludouic. decis. 42. Cens. de censib. quæst. 85. num. 1. & aliis.


Addebant aliqui, quòd emptor dum stipulatus est 11. in casum redemptionis sibi restitui pretium annui redditus, in moneta aurea vel argentea, quæ sit *de mesme pied*, &c. retulit se ad valorem *du marc*: & ita voluit habere non solum singulos nummos aureos & argenteos eiusdem ponderis, sed etiam totam massam auri ex qua conflata fuerunt 300. scuta in eodem pondere: quia, vt mox dictum fuit, pecuniam restitui *au mesme pied* intelligitur vt tot pondera marchi sibi restituantur, quot dedit; alioqui non reciperet *au mesme pied*, & ad idem pondus, si caperet ad valorem nunc currentem: & ideo tot sibi dari debent pecuniæ, ex quibus idem pondus *du marc* tempore solutionis habere possit: vt docet Purpurat. consil. 522. num. 38. cuius opinionem in hoc casu veram fatetur Thesaur. lun. de monet. part. 2. numer. 49. & probatur per text. in l. cum certum. 9. ff. de auro & argent. legat. ibi *sed pretium presentis temporis*.

Sed hoc fundamentum apud me difficultatem recipit: Quia non fuit habitus directè & principaliter respectus ad massam auri vel argenti, vel ad pondus; nec promissa restitutio eiusdem massæ, & ponderis pecuniarum; sed potius ad numerum & valorem, ac bonitatem singularum specierum, non in massa vel globo, quo casu duntaxat locum habet doctrina illa Purpurati: vt patet ex traditis per ipsum, & per Thesaur. iun. locis citatis.

Item dicebatur quòd in dubio illa debet capi interpretatio, quæ faueat emptori contra venditorem, qui potuit apertius legem dicere. l. veteribus. Cod. de pact. Sol. dict. casu 39. n. 14.

12. Consideranda etiam erat magna illa diligentia emptoris in dinumerandis, & specialiter exprimendis monetarum speciebus per eum traditis, quæ eius intentionem arguit, vt eadem species sibi restituendæ essent: ex traditis per Theaur. iun. in dict. tract. de monet. part. 2. num. 18. & 19. Cuius sententiam licet non simpliciter admittendam existimem, vt sola dinumeratio specierum obliget debitorem ad restitutionem earundem specierum; cum Bart. & alij DD. communiter in l. Paulus. ff. de solut. non considerent an dinumeratio facta fuerit specierum, sed duntaxat quæ species sint in obligatione, & quæ in solutione. Tamen negari non potest quin ex tali dinumerationis expressione in contractu oriatur præsumptio, seu adminiculum ex quo elici possit intentio contrahentium, circa earundem specierum restitutionem. †
13. Præsertim cum verisimile non sit creditorem, dubiæ monetarum mutationi magno cum iacturæ discrimine se se supponere voluisse: vt dicit Sola in dicto tract. de monetis. cas. 19. num. 4. † Quod verisimile magnam in hac materia vim habere notat *ibid.* Sol. num. 3.

Alia quæ dici possunt circa interpretationem clausulæ *non moindres*, &c. Et clausulæ illius *sans aucuns patari*, alio loco copiosius explicabimus.



CAPVT XIII.

Vtrum debitor aureorum liberetur soluendo illorum æstimationem in alia moneta, an verò in substantia auri soluere teneatur. Æstimatio in casibus, in quibus loco aurei solui potest, an facienda sit tempore testamenti, vel mortis, vel destinatæ solutionis, vel euenientis conditionis; & quid in debitis seu legatis annuis. Legatum aureorum vtrum intelligatur de maioribus, an de mediocribus, an verò de minimis. Quid si legatum factum fuerit de certo auri vel argenti pondere, an sufficiat præstare æstimationem, & cuius temporis. Et interesse dotis non solutæ vtrum debeatur per extraneum qui dotem promisit, & an cum augmento monetarum.

S V M M A R I V M.

1. Ex generali consuetudine vna species moneta solui potest pro alia: & hoc quomodo intelligendum sit. Remissiuè.
2. Si aurei simpliciter promissi fuerint, admittitur debitor ad soluendam æstimationem; sed si promissio ad certam speciem, vel etiam ad substantiam auri referatur; auri substantia soluenda est: veluti si dictum fuerit, de aureis in auro.
3. Legatum scutorum auri, non explicando de quibus testator senserit, debet explicari de iis quorum maius est commercium.
4. Sed in hoc casu plurima consideranda sunt: 1. verba testamenti, vel ea quæ præcedunt, vel sequuntur.
5. Secundo consuetudo loquendi testatoris.

6. Tertiò dignitas legatarij, affectio testatoris, consanguinitas, aut affinitas ipsius & similia.
7. Si agatur de dote, interpretatio fieri debet fauore dotis, vt testator de maioribus aureis intellexerit.
8. Idem si fauore pia causa legatum sit.
9. Cessantibus dictis circumstantiis, legati censentur minimi aurei cursum habentes.
10. Diuersam esse aureorum interpretationem latino idiomate, & des escus gallico sermone.
11. Explicatur. text. in l. qui lancem. 33. ff. de auro & argent. legato.
12. Si certa species moneta sit legata; illa solui debet.
13. Si aurum ad pondus legatum sit, non habito respectu ad speciem, debetur æstimatio temporis solutionis; si verò respectu ad certam speciem siue moneta, siue auri facti non signati, siue auri infecti, species ista præstanda est.
14. In casibus in quibus pro legato factò in pecunia solui potest æstimatio, illa debet solui iuxta tempus testamenti.
15. Amplia, etiamsi testator dixerit diem solutionis, contra Theaurum iuniorem.
16. Amplia, vt procedat etiam in legatis conditionalibus, vel in debitis annuis.
17. Maritus potest petere interesse dotis in pecunia consistentis, etiam aduersus extraneum dotantem, ex veriori sententia.
18. Solutò matrimonio vxor non potest petere interesse dotis, etiam sub alimentorum nomine.
19. Fructus indebitè percipiens, illos tenetur in sortem imputare.
20. Debitor morosus tenetur ad maiorem valorem moneta à die mora.

Legata fuerat anno 1578. Summa mille scutorum auri solis cuidam puellæ, tempore matrimonij soluendorum, solutâ interim annuâ pensatione, ad ratione septem pro quolibet centenariò, quam ipsa continuò per multos annos tam ante quàm post contractum matrimonium exegit. Cùmque hæres capitalem summam soluere vellet, seque ab annuæ præstationis onere liberare. Quæsitum primò fuit vtrum ad solutionem scutorum auri in auro, aut saltem ad illorum æstimationem teneretur.

Secundò quatenus ad aureorū æstimationem teneretur, cuius temporis in æstimandis aureis ratio habenda esset: videlicet temporis testamenti, vel mortis, aut denique matrimonij contracti, vel solutionis; cùm tunc valor extrinsecus monetarum admodum auctus esset.

Tertiò quid statuendum sit de pensione annua dictæ summæ, vtrum & in qua moneta vel eius æstimatione peti posset.

Ad primam quæstionem responsum fuit aureos non deberi in auri speciebus, eorum tamen æstimationem esse soluendam; † iuxta generalem consuetudinem quæ permittit, vt vna species monetæ pro alia solui possit, si ascendat ad valorem monetæ conuentæ currentem tempore solutionis. Theaur. decis. 174. num. 5. Mastril. decis. 7. num. 1. quod intelligendum est iuxta notata per Censi. in tract. de censibus. quæst. 85. num. 9. 10. & 11. † Ratio est quia magna est differentia inter legatum scutorum auri Solis, & illud quod factum est de scutis Solis in auro: dum enim fit mentio scutorum auri Solis, illud fit ad excludendum alios aureos minores, quales sunt aurei Italici: neque propterea censetur legata certa

- certa illa species, sed loco illius præstari potest æstimatione, secus est quando promissi vel legati fuerunt aurei Solis in auro, vel ad signum Solis, aut per similia verba; tunc enim non æstimatione, sed certa illa & designata species præstari debet: & sic cum testator Solis aureos legauerit, nec adiecerit *aurei in auro*, liberabitur hæres præstando æstimationem. Brun. in tract. de augment. & diminut. monet. in 2. præsup. num. 6. 7. & 8. Surd. consil. 242. num. 3. & sequentibus. Sol. de monet. casu 35. iuncto cas. 37. D. Ludouic. Bellus, consil. 77. num. 8. Anton. Faber. de nummar. debit. solut. cap. 3. pag. 3. versic. nam quod ponimus.
3. Sed quid si testator simpliciter legasset mille scuta auri, vtrum legatum valeret ratione incertitudinis? Responderetur legatum esse validum, quia intelligitur de scutis aureis, quorum maius est in loco illo commercium, & maior frequentatio: vt dicit Bartol. in l. stipulationum quadam. 74. in fin. ff. de verb. oblig. Hieronim. Butigell. in l. certum. 6. numer. 16. ff. si cert. petat. inter Repetentes. Cyriacus. controuers. 523. n. 31. & probatur in l. 4. ff. de tritic. vin. & oleo legato.
 4. Hoc licet verum sit; non tamen ita indistinctè admittendum est: quin imò multæ aliæ considerationes adhibendæ. Primò siquidem videndum est, vtrum ex iis quæ præcedunt & sequuntur, & ex toto tenore testamenti, aut alia ratione de testatoris voluntate constare possit: l. si seruus plurium. 53. §. final. ff. de legat. 1. ibi Item earum quæ præcedunt, vel quæ sequuntur summarum scripta sunt spectanda. l. nummis. 73. ibi; neque ex contextu testamenti possit apparere. ff. de legat. 3.
 5. Secundò inspicienda est consuetudo loquendi ipsius testatoris. dict. l. nummis. ibi, si neque ex consuetudine patrisfamilias. & dict. l. si seruus plurium. §. fin. ibi, Ante omnia ipsius patrisfamilias consuetudo, deinde regionis in qua versatus est exquirenda est.
 6. Tertiò inspicienda est dignitas legatarij, & charitas seu affectio testatoris, & necessitudo seu consanguinitas ipsius cum legatario. Gloss. in dicto §. final. l. si seruus. plurium. in verb. Consuetudo. Natt. consil. 626. num. 20. Camill. Medic. consil. 73. num. 18.
 7. Quartò inspicienda est causa, cuius fauore factum fuit legatum, veluti si agatur de dote, interpretatio fieri debet, vt legatum factum fuerit in dubio de maioribus aureis. Surd. decis. 298. n. 8.
 8. Idem si agatur de legato facto ad pias causas, vel pro alimentis. Surd. ibidem. num. 10. & in tract. de aliment. tit. 8. priuileg. 25. & tit. 2. quæst. 10. num. 17. & quæst. 12. n. 9. & 10. Gratian. discept. forens. c. 611. n. 14. & sequentib. & c. 666. num. 5. & discept. forens. cap. 700.
 9. Cessantibus autem prædictis circumstantiis, legatum debet intelligi de minimis aureis, vt dicitur in dict. l. nummis. 73. ff. de legat. 3. Gratian. discept. forens. cap. 55. num. 28. Intelligendo de aureis qui sint in commercio.
 10. De aureis loquor, non de scutis; quorum legatum si simpliciter relictum fuerit his & similibus verbis, *Te legue cent escus*; v.g. intelligi debet de scutis 60. solidorum pro quolibet, secundum communem & notorium in hisce partibus loquendi morem; nisi fuerit dictum *des escus d'or*: tunc enim locus est supradictis resolutionibus, dum dubitatur de quibus aureis, maioribus scilicet, vel minoribus testator intellexerit; sed si latino idiomate de aureis simpliciter dictum fuerit, intelligenda est testatoris dispo-

sitio de aureis in auro, vel eorum valote quando testator ad ipsam auri speciem non se restrinxit: nam latinè loquendo; idem est dicere aureum, & moneram ex substantia auri confectam. Gloss. in l. fin. ff. de in ius vocando, vbi declarat aureos illos esse quorum 72. faciunt libram auri, ex qua latina loquutione nihil inferri potest ad sermonem vulgari idiomate prolatum: vt in istis terminis determinauit Rota Rom. decis. 87. part. 3. recent.

Præmissis non obstat text. in l. qui lancem. 33. ff. de aur. & arg. legat. vbi si testator lancem legauerit cum plures haberet, legatum intelligi debet de mediocri; non de magna, nec de minima.

Quia casus illius legis est valde diuersus: testator enim ille lancem habebat maximam, mediocrem, & minimam: vnde cum ibi supponatur testatorem sic fuisse loquutum, *lancem minorem illi do, lego*: non est mirum si interpretatio fiat, vt de mediocri testator senserit. Eadem ratione si aurei in auro essent in commercio, maximi, mediocres, & minimi; & testator legasset centum aureos ex minoribus, intelligendum esset de mediocribus: nisi in contrarium adessent aliæ coniecturæ, & verisimilitudines, de quibus supra hoc eodem cap. numer. 3. At in casu proposito testator non loquutus est de maximis, medijs, aut minimis; sed simpliciter de aureis: ideo locum habent conclusiones superius firmatæ; cum casus sit omninò diuersus: & hæc est mera veritas; quamuis Natt. d. consil. 626. num. 19. circa illam legem satis se inuoluere videatur.

Ad secundam quæstionem Responderetur, quòd licet nonnulli DD. distinxerint inter mutationem monetæ contingentem in bonitate illius intrinseca, & illam quæ accidit in bonitate extrinseca; vt quoad intrinsecam bonitatem, attendatur tempus testamenti; quoad extrinsecam verò, tempus solutionis: provt comprobare conatur Menoch. consil. 49. num. 9. & 50. & diffusius. consil. 138. per totum.

Tamen pro vera resolutione distinguendum est, vtrum testator certam speciem legauerit; veluti si dixerit se legare aureos in auro ad signum Solis, vel aureos Hispanicos, vel Italicos, & hoc casu certissimum est præstandos esse in specie contenta in testamento, ex generali illa regula, quòd quando certa species nummorum promissa, vel legata fuit, illa omninò præstanda est; nec liberatur debitor præstando æstimationem: quam pluribus exornat Castill. controuers. lib. 4. cap. 10. numer. 36. & seqq. Quia stante expressione certæ speciei, aliud pro alio inuito creditori solui non potest. l. 2. §. mutui datio. ff. si cert. petat. l. eum à quo. Cod. de solut. Castill. ibidem. n. 47.

Item videndum est, vtrum testator certum auri pondus legauerit, & hoc casu subdistinguendum est. Aut enim testator, certam speciem auri designauit, veluti si dixerit se legare pondus centum aureorum auri Solis; & tunc pondus illud ad certam speciem restrictum, seu relatum, in eadem specie præstandum est: quia non tam pondus, quàm species ipsa legata viderur. Si verò simpliciter, absque relatione ad certam speciem auri, legauerit; tunc quia nihil interest legatarij, siue auri massam, siue illius æstimationem recipiat, liberatur hæres præstando æstimationem illius massæ, seu ponderis auri legati: quæ æstimatio fieri debet habito respectu ad tempus præsens: & iste est verus sensus l. cum certum. 9. ff. de aur. & argent. legato. cuius hæc sunt verba: *Cum certum auri & argenti pondus legatum est, si non species designata sit; non materia, sed pretium presentis temporis spectari debet.* In quo textu notanda sunt illa verba, *si non species designata sit*, in quibus consistit fundamentum

fundamentum veri intellectus illius *l. & text. in l. Titia. 27. in princip. ff. eodem tit. ibi, Aut aurum prestari oportere, aut pretium auri, quanti comparari potest; est ergo aurum in obligatione, & aestimatio in solutione: ut dicit Bart. in d. l. Titie.*

Eadem ratione si testator relationem habuerit ad aurum, vel argentum simpliciter; quidquid auri vel argenti relictum est in hæreditate, legato continetur, si generale sit legatum; siue aurum argèrumue factum sit, siue infectum; pecunia autem signata, eo legato non continetur: sed si argenti facti, pondo centum sint legata; ex facto argento debebitur legatum *l. cum aurum. 20. ff. de auro & argent. legat.* Dum ergo testator non ad certam speciem auri facti, vel infecti, legatum ponderis auri referre voluit; tunc ideo aestimatio est in solutione, quia hoc casu magis quantitas legata videtur: & per consequens debebitur aestimatio: ut probatur ex *dict. l. cum aurum. 20.* cuius textus ratione videtur Cuiac. *ad lib. 14. respons. Iulij Pauli, in notis ad l. Titia. 35. ff. de aur. & argent. legat. volum. 2. colum. mihi 1668.*

14. Tertio loco, si testator ad certam speciem non se restrinxerit, (quo casu posse hæredem soluere aestimationem, iam in prima quaestione resoluiimus) verius est & magis communiter receptum, in aestimandis aureis testamento relictis, respiciendam esse aestimationem extrinsecam, quæ currit tempore testamenti: ut post Oldrad. *consil. 31.* existimat Gail. *lib. 2. obseruat. 73. num. 4.* Cancer. *lib. 2. variar. resol. cap. 6. num. 149.* vbi dicit quod in legatis vniuersalibus attendendum est tempus mortis, in particularibus verò tempus testamenti. Idem tenet Pinell. *ad l. 2. Cod. de rescind. vendit. in 1. part. rubrica. cap. 2. num. 22. & 23.* Simon. de Præt. *de interpret. ultim. volunt. lib. 5. cap. ult. num. 38. & 39.* Rationem reddens, quia sensus verborum nascitur eodem tempore cum verbi prolatione. Anthon. Faber *in Cod. lib. 3. tit. 19. definit. 2. & lib. 8. tit. 29. definit. 15.* Quia ex patrimonij comparatione tempore testamenti, prudens testator legandi modum sumere solet, futuræque mutationis ignarus, non de alia moneta cogitare videri potest, quàm de ea quæ tunc in vsu est & commercio: quod tamen limitat, & bene; nisi ex verbis & voluntate testatoris colligatur ipsum, ad tempus mortis respectum habuisse: ut *ibidem num. 5.*

15. Vnde inferri videtur, quod si testator apposuerit tempus solutionis, illud sit attendendum iuxta valorem currentem illius monetæ, si in vsu reperiretur: quia eo solùm tempore ad effectum deducitur dispositio, & effectus consideratur, ut etiam minus hæres grauetur: ut dicit Thesaur. iun. *dict. part. 2. n. 73. versic. crederem tamen.*

Ego tamen, salua pace tanti viri, verius existimo solam adiectionem temporis solutionis, non esse sufficientem, ut ex ea colligatur solutionem, ex præsumpta testantis voluntate, fieri debere iuxta valorem monetæ temporis solutionis. Quia cum in omnibus legatis solutio censetur semper destinata ad tempus mortis, si nihil aliud dictum fuerit, sequeretur eadem ratione considerandum esse tempus mortis contra communem resolutionem, quam ipsemet Thesaurus amplectitur.


16. Præterea hoc esset contra mentem maioris partis Doctorum, qui indistinctè tempus testamenti admittendum esse volunt, siue agatur de legatis puris, siue de conditionalibus; quos recenset Surd. *consil. 454. num. 8.* Idemque locum habere concludit, etiam si agatur de legato annuo, in quo moneta solui debet iuxta tempus dispositionis: *cap. cum olim, & cap. cum Canonicis. de censib. Surd. dict. con-*

sil. 454. num. 9. Vnde iuxta communem sententiam non solutionis, sed dispositionis tempus quoad monetæ, in vltimis voluntatibus attendi debet; nisi ut dictum est, aliud ex verbis testamenti colligatur: ex Antonio Fab. *d. lib. 8. tit. 29. definit. 15. n. 5. & ibi Gloss. & ideo non rectè scripsit Menoch. dict. consil. 49. num. 10. & 50. & consil. 138.* quem reprehendit Cauagnol. *in addit. ad dicta consilia.*

Ad tertiam quaestionem Respondetur supponendo 17. magnam esse inter Doctores controuersiam; vtrum si extraneus aliquid dotis causa mulieri reliquerit, maritus possit petere interesse dotis? In qua negatiuam amplectitur Surd. *consil. 269. num. 10.* Couar. *lib. 3. variar. resol. cap. 1. num. 3. versic. cæterum:* affirmatiuam verò multis rationibus comprobatur & sequitur Gaspar. Roderic. *de annuis reddit. lib. 3. quest. 7. num. 52.* & alij relati per Barbof. *in cap. salubriter. num. 4. de usur. & hanc affirmatiuam sententiam veriore esse, & menti Rotæ Romanæ conformem, etiam si de extraneo dotante agatur, ostendit Gratian. discep. forens. cap. 143. num. 3. & 4.* Christoph. Marr. Medic. *examin. 7. num. 27. & sequentib. & num. 38.* & Rota Rom. idem decidit in fratre, & sic extraneo dotante, *decis. 607. part. 4. recent. tomo 2.*

Solutò verò matrimonio, non potuit mulier quæ 18. sortem petere poterat consequi interesse illius summae legatæ, absque labe vsurariæ prauitatis: Surd. *consil. 23. num. 12. & in tract. de aliment. tit. 1. quest. 45. num. 21.* etiam si pensio relinquatur sub blando alimentorum nomine. Surd. *dict. quest. 21. num. 15.* Censi. *in tract. de censib. quest. 44. num. 10.* Rota *decis. 773. num. 7. part. 4. recent. tom. 1.* Gratian. *discep. forens. cap. 853. num. 18.* † Et per consequens quid- 19. quid legataria exegit fructuum nomine, soluto matrimonio, in sortem imputare tenetur: *cap. ad nostram. de emptione & vendit. cap. illo vos. de pignorib. Surd. consil. 327. num. 29.* Ioan. Baptist. Cost. *de ratione rat. quest. 142.*

Ad maiorem autem valorem aureorum, qui creuit 20. à die soluti matrimonij existimo hæredem teneri: quia fuit in mora: ex iis quæ superius annotauimus *cap. 9. num. 12.*



CAPVT XIV.

Legatarius aureorum grauatus de restituendo, vtrum teneatur restituere fideicommissario aureos in specie, an verò sufficiat illorum aestimationem prestari. Et aucto valore extrinsecò aureorum, vtrum aestimatio fieri debeat habito respectu ad tempus testamenti, vel mortis, aut restitutionis; & si legatario dati fuerint in solutum annui redditus concepti in aureis, qui postea per debitorem census fuerunt extincti; vtrum, eueniante casu fideicommissi, teneatur aureos reddere iuxta valorem temporis extinctionis census.

S V M M A R I V M.

1. Quando testator legauit summam soluendam in pecunia, vel in annuis redditibus; tunc pecunia est in obligatione, & annui redditus in solutione.

2. Qui

2. *Qui habet facultatem soluendi in pecunia, vel in bonis; cogi potest totum soluere in pecunia, vel totum in bonis: nec potest pro parte soluere in vno, & pro parte in alio; nisi testator aliter disposuerit.*
3. *Si solutio fieri debeat in bonis, non debet fieri de melioribus, nec de vilioribus; sed de mediocribus arbitrio boni viri.*
4. *Si data fuerit hæredi facultas soluendi super bonis, vel, à prendre sur ses biens, illa verba solam inferunt hypothecam, & debitum semper in pecunia soluendum est.*
5. *Amplia ut locum habeat, etiam stante pacto capiendi possessionem propria autoritate.*
6. *Pecunia redacta ex venditione bonorum alicuius, dicitur esse de bonis ipsius.*
7. *Si legatum certæ summæ fuerit soluendum in talibus bonis, certis, & designatis; bona illa debentur, & non pecunia.*
8. *Facultas soluendi in bonis amittitur per litis contestationem; vel si debitor executionem passus, non se obtulerit paratum soluere.*
9. *In actione indicati, facultas soluendi in bonis durat, donec ex indicato agatur.*
10. *Mora hoc casu purgari non potest, post litis contestationem.*
11. *In executiuis per primum actum iudicalem oritur litis contestatio.*
12. *Si debeatur pecunia, vel bona, admittitur libellus seu petitio simplex, quamuis non sit alteratiua.*
13. *Aureis solis, aut illorum valore legato, sufficit æstimationem prestare*
14. *Testamenti tempus in legatis quoad valorem monetarum inspiciendum est.*
15. *Grauatius de restituendo, vtrum debeat restituere bona sibi data in solutum, an verò illorum pretium.*
16. *In legatis & in fideicommissis particularibus, non res in solutum data, sed sola pecunia restitui debet.*
17. *Fallit in casu in quo legatarius declarasset se subrogare bona in locum fideicommissi.*
18. *In fideicommissis drogheria, inspiciendum est quoad valorem tempus mortis testatoris, non autem hæredis grauati.*
19. *Verius est quoad bonitatem extrinsecam moneta attendendum esse tempus testamenti.*
20. *Hæres qui fuit in mora, ultra legitimum interesse tenetur ad maioris valoris pecunia augmentum.*
21. *Qui à Principe obtinuit saluum conductum, si interim pecunie creuerint, tenetur ad illud incrementum, & ad omne aliud legitimum interesse.*

restituere pecunias, vel ipsos census seu capitalia annuorum reddituum, quæ ipsi fuerant in solutum data: & vtrum aurei restituendi sint per grauatum, pro vt per eum recepti fuerunt eo tempore, quo capitalia fuerunt ipsi extincta.

In hac difficultate considerandum fuit in primis, quòd testator legauit pecuniam, ita tamen quòd sit in electione hæredis soluere in pecunia, vel in capitalibus annuorum reddituum; in totum, vel in parte: atque ita pecunia sola fuit in obligatione, annui verò redditus erant in solutione, seu facultate soluendi: quia certum est illam facultatem adiectam esse in fauorem solius hæredis: quo casu pecunia duntaxat est in obligatione, sed bona aut res quæ loco pecuniæ præstari possunt, dicuntur esse in solutione: per textum expressum in *l. si quis stipulatus fuerit decem in melle 57. ff. de solut. Cancr. lib. 2. variar. re ol. cap. 6. de solut. num. 98. & 99. vbi plures allegat. Bartol. in d. l. si quis stipulatus. Surd. consil. 225. num. 5. & 6.*

Circa quam resolutionem notandum est primò, quòd non sine ratione testator, adiecit licere hæredi solutionem facere in pecunia, vel in capitalibus annuorum reddituum; in totum, vel in parte. † Quia si sic loquutus non fuisset, hæres fuisset obligatus totum soluere in pecunia, vel totum in annuis redditibus. *l. si ex toto. 8. §. si ita legatum. ff. de legat. 1. & ibi Iason. l. legatarius. 38. in princip. ff. eod. tit. l. neminem. 4. cum l. sequenti ff. de legat. 2. Gratian. discept. forens. cap. 239. num. 27. & sequentibus.*

Secundò notandum est, quòd si hæres eligat soluere in bonis, vel in capitalibus annuorum reddituum; non tenetur soluere in melioribus, nec potest deteriora præstare; sed mediocria, arbitrio boni viri. Bartol. in *l. si ex falsis. in fin. Cod. de transact. Ioseph. Ludouic. decis. 64. num. 6. Trentacinq. lib. 3. variar. resol. cap. 36. num. 6.*

Tertiò, quòd si promissio summæ certæ facta fuisset super bonis, aut ad capiendum super bonis, vel à prendre & leuer sur les biens, illa verba non darent hæredi facultatem soluendi in bonis, cum dictio *super bonis* solam denotet bonorum hypothecam absque dominij translatione. Gratian. *discept. forens. cap. 963. num. 18. & cap. 683. n. 1. & sequentibus.* † Vbi etiam addit hoc habere locum, stante pacto de capiendo possessione propria autoritate: quia eo non obstante, sola hypotheca inducitur: vt tradit *ibidem num. 20. discept. 256. num. 50. & 51. vbi dicit, quòd si dictio super, adiecta fuerit super certis bonis; inducitur hypotheca specialis: si verò super omnibus bonis, inducitur hypotheca generalis. Idem statuendum est, si fuerit donata vel legata certa summa, extrahenda super omnibus bonis, vel simpliciter super bonis. Pacific. de Saluan. interdict. inspect. 3. cap. 4. num. 605. † Rationem affert Crauet. consil. 187. n. 6. 6. versic. sed pro primo. quia pecunia redacta ex bonorum testatoris venditione, dicitur de bonis ipsius testatoris, vel donatoris: quod voluit Rota decis. 243. num. 5. in fine. part. 3. recent. vbi dicit, quòd legatum factum de bonis, potest verificari in pretio redacto de bonis.*

Quarò notandum est prædicta procedere, quando testator reliquit certam summam soluendam in bonis in genere, vel in capitalibus pensionum, generaliter loquendo: nam si legasset certam summam soluendam in tali, vel talibus bonis, vel talibus certis & designatis capitalibus annuorum reddituum tunc sola; illa bona, vel capitalia designata deberentur legatario: vt expressè dicit Bart. & alij in *d. l. si quis stipulatus fuerit decem 57. ff. de solut. Cancr. d. par. 2. c. 6. n. 94.*

Quintò aduertendum est, quòd in casibus in quibus


Mortuo sine liberis legatio grauato, locus factus est restitutioni bonorum fideicommissio particulari suppositorum. Circa quam restitutionem nonnullæ difficultates propter varietatem monetarum excitatae fuerunt.

Primò vtrum aurei, de quibus testator legando loquutus est, restituendi sint fideicommissario in specie; an verò sufficiat illorum æstimationem præstare. Et si valor, seu æstimatio; cuius temporis ratio habere debeat, an testamenti, an mortis testatoris, an verò temporis solutionis, an denique temporis quo fideicommissum fuit apertum per obitum hæredis grauati.

Item vtrum grauatus teneatur fideicommissario



- bus legatarius habet facultatem soluendi in pecunia, vel bonis; & pecunia vt dictum fuit est in obligatione, bona verò in solutione; tunc facultas soluendi in bonis amittitur per litis contestationem: vel si debitor passus fuerit executionem fieri absque eo quòd obtulerit se paratum soluere in bonis, vt expressè dicitur in textu *dicta l. si quis stipulatus* 57. Cardin. Tusch. *lib. 2. litera. D. conclus. 53. num. 19.* Quod bene comprobatur Claper. *part. 1. causa 90. num. 7.* † Et in actione iudicati, facultas illa soluendi durat, donec ex iudicato agatur. Cancr. *dicto lib. 2. variar. resol. cap. 6. num. 91. & 92.* Idem si ex dispositione testatoris. Cancr. *ibidem, num. 93.*
9. Et quamuis licitum sit moram purgare, post interpellationem; tamen hoc verum est, si mora purgeatur ante litis contestationem, seu quasi contestationem: † Quæ fit, dum tractatur de instrumentis paratam executionem habentibus, quando illorum petitur executio: vt dicit Bartol. *in d. l. si quis. 57.* & post eum bene explicat Strach. *in tract. de adiect. par. 3. quando adiecto solui possit. num. 123.* aut saltem per primum actum, in quo incipitur tractari de meritis causæ. Tusch. *littera. L. conclus. 390. num. 7.*
10. Admittitur autem hoc casu simplex, & non alternatiua petitio illarum rerum quæ sunt in obligatione; & spectat ad debitorem declarare vtrum malit ea præstare, quæ sunt in solutione: vt dicunt omnes DD. *in dicta l. si quis stipulatus. 57. ff. de solut.*
11. Secundo loco fuit principaliter consideratum in proposita facti specie, aureos auri in auro ad signum Solis non simpliciter fuisse legatos; sed aureos Solis; aut illorum valorem alternatiuè: & sic electio fuit hæredis, vtrum aureos in specie, aut illorum æstimationem soluere mallet. Brun. *in tract. de Monet. in 2. presupposit. num. 6. 7. & 8. Surd. consil. 242. num. 3. & sequentib. Sola, de monet. cas. 35. iuncto num. 37.* cum figuratiue casuum ibi propositorum.
12. Tertio, vtrum tempus testamenti, vel mortis, seu destinatae solutionis, nempe aduenientis ætatis 25. annorum legatarij attendi debeat, satis superque explicatum est *cap. precedenti.* vbi ostensum fuit inspiciendum esse valorem etiam extrinsecum monetarum tempore testamenti, nisi aliter de voluntate disponeris appareat: iuxta *consil. Oldrad. 31.* & alios per nos *ibidem* allegatos.
13. Quarto supponendum est, quòd licet magna sit controuersia, vtrum grauatus de restituendo teneatur restituere bona ipsa in solutum data; an verò solum pretium bonorum, pro quo in solutum datio facta fuit: ex tradit. per Peregrin. *de fideicom. artic. 44. num. 28. in fin.* In qua controuersia Mantica consuluit aduersus Alciatum, non bona ipsa in solutum data; sed solum pretium restituendum esse: vt ipse Mantica ostendit *de coniect. ultim. volunt. lib. 7. tit. 8. num. 19.* aliàs 24. licet rem ipsam in solutum datam venire in restitutione fideicommissi multi DD. existimauerint, quos citat & sequitur Fusar. *de substit. quest. 627. num. 56.* In qua Doctorum pugna, summâ æquitate niti videtur decisio Peregrini 2. *num. 9.* vt scilicet inspiciendum sit quibus verbis concepta fuerit in solutum datio, vt ea ratione cognoscatur quænam fuerit grauati acquirentis intentio; an scilicet pro se acquisiuerit, declarando se nolle acquirere hæreditati; an verò hæreditario nomine contraxerit: cum enim actus agentium non operentur ultra eorum intentionem, si de acquirentis intentione constet, quòd noluerit acquirere hæreditati; securus erit. Ideo cauti sint grauati, vt dum ex re quam debent restituere acquirunt, aut in solutum accipiunt; expressè de-
- clarent & protestentur se sibi ipsis, & non fideicommissariis acquirere: hæc bene explicantur apud Peregrin. *decis. 2. num. 9.*
- In proposita verò facti serie, cessat hæc indagatio: quia cum agatur de relicto particulari, seu legato, cui restitutionis onus adiectum est, sola quantitas legata venit in fideicommissi restitutione: quia in relictis particularibus, pretium non succedit loco rei, neque res loco pretij. Castrens. *consil. 326. per totum, volum. 2.*
- Nisi tamen expressa facta fuisset subrogatio rei in solutum data, loco legati; per ipsum grauatum; stante enim subrogatione, pretium succedit loco rei, & res loco pretij. Hodiern. ad Surd. *decis. 15. n. 65.*
- His ita constitutis, facilis est resolutio propositarum difficultatum: quia cum legatum de quo agitur consistat in pecunia, vt fuit resolutum in prima conclusione, *num. 1.* & Capitalia in solutum data non fuerint subrogata, nec succedant in locum pecuniæ, vt mox fuit ostensum *hoc num. 17.* nec certa numerorum species fuerit legata, vt dictum fuit *num. 7.* sed dumtaxat valor aureorum, qui inspiciendus est tempore testamenti, ex veriori sententia de qua in *cap. precedenti, num. 14.* sequitur hæredes legatarij grauati debere restituere, non quidem capitalia in solutum data, sed aureos ipsos Solis legatos, aut illorum æstimationem quæ vigeat tempore testamenti. Non enim villo modo considerandum est tempus obitus legatarij grauati, sed tempus testamenti: † aut in omnem euentum, tempus mortis testatoris, vt in fideicommissio drogheria restitutionem faciendam esse iuxta valorem temporis obitus testatoris; non autem illius qui grauatus est, decidit Rota apud Coccin. *decis. 409. per totam, quæ est repetita in recent. decis. 220. part. 2.* Sicuti etiam tempus mortis testatoris attendendum esse, quando monetæ mutatio contigit in bonitate extrinseca, tenet Cauagnol. *in addit. ad consil. Menochij 49. num. 7.* † Verum non est propterea recedendum à conclusionibus firmatis in *cap. precedenti,* quòd attendendus sit valor extrinsecus, habito respectu ad tempus testamenti, ob rationes & authoritates *ibidem* allatas: quæ locum habent etiam si ageretur de legato monetæ imaginariæ, veluti de libris ex Oldrado, *dicto consil. 31. Surd. consil. 454. n. 9. versic. & prædicta omnia.* Vbi dicit quòd tunc æstimatio reducitur ad aureos, & valor regulatur secundum valorem aurei de tempore dispositionis. Brun. *de monet. part. 9. per totum. fol. mihi 388.* Ioan. de Aquila *de monet. part. 2. theorem. 2. in Corollario, pagin. 414.*
- Intelligendo prædicta omnia, nisi hæres illius qui grauatus est, fuisset in mora; tunc enim à die moræ non solum teneretur ad fructus, seu ad interessè legitimum summæ principalis, concurrentibus iis quæ requiruntur ad hoc vt interessè peti possit; sed etiam ad id in quo creuit valor extrinsecus monetarum. Duard. *de censib. §. 3. de census solut. quest. 6. num. 28.* Theaur. *decis. 174. num. 4.* vbi dicit quòd debitor à die moræ non solum condemnandus est ad interessè legitimarum vsurarum, sed etiam ad interessè augmenti pecuniæ: cum non sit conueniens vt ex sua culpa & mora damnum inferat creditori. † Quod etiam extendit ad eum qui obtinuit à Principe saluum conductum, vt si contingat interim augmentum monetæ, ad illud teneatur, & ad omne aliud legitimum interessè.



CAPVT XV.

Restitutio dotis soluto matrimonio, aut illius solutio per dotantem promissa, in qua moneta fieri debeat; & ad cuius temporis æstimationem respectus haberi debeat. Quid si maritus dotem in certis aureorum speciebus receperit: Et utrùm aureos in auro restituere maritus teneatur, quando capitalia redituum aureorum in auro concepta, & extincta sunt. Quid si dos promissa fuerit in libris, aut alia moneta imaginaria.

S V M M A R I V M.

- 1 Solutio dotis promissa, fieri debet iuxta formam & monetam in contractu matrimonij conuentam.
- 2 Restitutio dotis soluto matrimonio fieri debet iuxta valorem monetae tempore contractus. Intellige vt numeris sequentibus.
- 3 Floreni olim pro scutis aureis capiebantur, quod notandum est, ne quis decipiatur in intellectu doctrina Bartoli & aliorum in l. Paulus. ff. de solut.
- 4 Contractus dotis diligenter attendendus, dum quaeritur in qua moneta dos solui, aut restitui debeat.
- 5 Si maritus aureos auri in specie recognouerit, eodem modo reddere tenetur.
- 6 Etiam si aureus sit taxatus, dotem in speciebus auri vel eorum valore iuxta tempus matrimonij restituendam esse fuit iudicatum. Contra; num. 10.
- 7 Maritus qui dotem exigere debebat in speciebus auri, sibi imputare debet si alio modo exegerit.
- 8 Si dos fuerit promissa restitui in moneta imaginaria, admittitur distinctio bonitatis intrinseca monetae & extrinseca.
- 9 Res in dotem data, qua pondere, numero, vel mensura constant, mariti periculo sunt.
- 10 Reprobatur sententia Senatus Burdegalsis, circa dotis promissam restitutionem in aureis taxatis, de qua num. 6.
- 11 Limitatur tamen, nisi promissio facta fuisset de aureis in eadem æstimatione restituendis.
- 12 Expenditur doctrina Bartoli in dicta l. Paulus. n. 10. de solut.
- 13 Nec non Peregrini consil. 13. n. 9. volum. 3.
- 14 Si conuentum fuerit, quod ducati pro dote dati reddantur in eadem æstimatione; tunc æstimatio locum ducatorum obtinet, & augmentum vel decrementum pertinet ad debitorem.

Maritus ab vxore plurimos census annuos dotis nomine receperat, & simpliciter quidquid de bonis & iuribus suæ vxoris recepturus esset, ipsi eiusve hæredibus restituere promiserat. Inter cætera verò bona dotalia, plurimi reperiebantur annui reditus, quorum restitutio in scutis auri in auro ad signum Solis fieri debebat; prout in effectu maritus, debitoribus se redimere volentibus, sortem illorum annuorum redituum in scutis solaribus exegerat. Aucto postmodum, tempore restitutionis dotis, aureorum

Solis valore extrinseco, quærebatur utrùm maritus liberaretur præstando valorem aureorum Solis in moneta currenti tempore restitutionis, ad valorem temporis receptionis, an verò ad valorem auctum tempore restitutionis teneretur, vel ad eosdem aureos in specie receptos.

Dixi distinguendum esse casum solutionis dotis 1. promissæ, à casu restitutionis dotis, soluto matrimonio: Nam in primo casu, solutio fieri debet iuxta modum, & formam in stipulatione contentam; veluti si promissi fuerint aurei, vel aurei Solis, aliãve certa monetæ species: aut verò promissio concepta fuerit in moneta imaginaria, & aliàs iuxta regulas generales præcedentibus capitibus explicatas, vt bene per Senatum Pedemontanum ita iudicari & obseruari testatur Thesaur. Iun. in d. tract. de monet. part. 2. num. 68. versic. Senatus tamen. Natt. consil. 454.

Sed si de dotis restitutione agatur soluto matrimonio, tunc fauore dotis omne augmentum deberi censet idem Thesaurus loco citato, versic. sed si agatur de dotis restitutione, asserens ita fuisse iudicatum vltima Februarij 1601. atque ita etiam decisum fuit per Senatum Neapolitanum apud Afflict. decis. 194. & in fortioribus terminis tradit Natt. consil. 37. vbi vult dotis restitutionem faciendam esse iuxta valorem monetæ temporis, quo dos fuit constituta, non obstante pacto de restituendo in moneta currente tempore contractus; quod pactum dicit esse nullum in præiudicium mulieris: per text. in l. Attilicinus. ff. de pact. dotalib. & per alia iura per eum allegata. Ita etiam tenet Ioan. Raynaudi Auenionensis in tract. de monet. num. 9. vbi dicit maritum ad eundem valorem monetæ teneri, prout recepit; quod hoc modo explicat: videlicet † vt maritus teneatur dotem restituere in florenis, (hoc enim nomine olim aurei nuncupabantur, vt etiam aduertit Natt. consil. 454. num. 2.) qui currebant tempore contractus & promissionis dotis, si reperiantur; vel si non currant, aut non reperiantur, debet solui de moneta argentea tunc currenti, ad valorem dictorum florenorum; aliàs si non reperiatu moneta alba quæ illo tempore currebat, soluetur de valore hodie currenti, ad valorem tamen intrinsecæ bonitatis monetæ tunc currentis.


Verumtamen non ita generaliter resolui potest 4. proposita quæstio: sed diuersimodè iuxta casuum diuersitatem iudicandum esse, non est dubitandum: & contractuum tenorem diligenter hac in re, dum scilicet de dote agitur, inspiciendum esse monet Bald. consil. 213. volum. 5. & ea ratione omnes Doctorum contrarietates ad concordiam reducentur.

In primis enim si maritus aureos receperit in auro & ad signum Solis à debitoribus; ad aureorum in specie restitutionem, aut si facile reperiri nequeant, ad eorum valorem auctum cogendus videtur; cum solutio facta sit in certis speciebus: ergo in speciebus fieri debeat restitutio; cum species receptas non fuisse æstimatas supponamus. l. si inter 21. Cod. de iur. dotium. Et in his terminis loquuntur plurimi DD. qui eandem species, vel earum valorem auctum soluendum vel restituendum esse asserunt: vt etiam notauit Menoch. consil. 49. num. 49. Ioan. de Aquil. in tractat. de potest. & vtilit. monet. & in hoc casu ita fuit decisum apud Boër. decis. 327. vbi tres referuntur Doctorum sententiæ: sed tamen in ista relidet Boërius, quam veriore & magis communem testatur num. 9. † Immodò quamuis ipse in contrariam sententiam ire videatur, quando aureus est taxatus; tamen aduersus illius opinionem fuisse iudicatum restatur, nempe aureos in specie deberi: num. vltimo. versic. maior pars Dominorum. Hoc etiam notat

Bald. *consil.* 213. *Punctus talis est. volum.* 2. Alios pro hac sententia citat Sola in *tractat. de monet. cas.* 50. *num.* 3. & in eodem casu consuluit D. Ludou. Bellus *consil.* 102. *num.* 7. *versic. ad secundum.* & *num.* 8. nempe quia dos fuerat promissa & recognita in scutis Solis, & sic in certa specie pecuniarum; & *consil.* 77. *num.* 7.

- Vnde cum in casu proposito redituum annuorum fors restituenda fuisset marito, ut Domino bonorum dotialium, in scutis auri in auro ad signum Solis boni auri & legitimi ponderis, eoque modo maritus pecunias illas receperit; concludendum est ex supradictis, illum ad eandem specierum restitutionem fuisse obligatum. † Nec interest in qua moneta maritus solutionem receperit illorum capitalium; quia si minus recepit quam deberetur, aut cum creditoribus dotis pepigerit; sibi imputare debet: quia tenebatur eandem speciem debitas recipere, & exigere, *l. si extraneus. ff. de iur. dot. l. dotem à patre. ff. eod. tit. Fontanel. de pact. nuptial. claus. 6. glos. 1. part. 2. num.* 64.
8. Si verò dotis promissio, & subsequuta recognitio, facta simpliciter fuerit in libris, aut alia moneta imaginaria; hoc casu militant omnes distinctiones superius allatæ in *precedentibus capitulis*, de mutatione bonitatis intrinsecæ, vel extrinsecæ; quia tunc maritus est duntaxat debitor generis, seu quantitatis; absque relatione ad certam speciem: & in his terminis procedunt quæ tradit Purpur, in *l. cum quid. num.* 163. *ff. si cert. petat.* Menoch, *dicto consil.* 49. *num.* 49. Ursill, ad Afflict. *dicta decis.* 194. & probat text. in *l. res in dotem* 43. cum ibi notat. per DD. *ff. de iur. dot.* † ubi dicitur quòd res in dotem datæ quæ numero, pondere, vel mensura constant, mariti periculo sunt: quia in hoc dantur, ut maritus eas ad arbitrium suum distrahat; & quandoque, soluto matrimonio, eiusdem generis & qualitatis alias restituat ipse, vel eius hæres: ubi dicit Bartolus, quòd si dos data fuit in moneta antiqua, in illa fieri debet restitutio. Quod intelligendum ait, si postea esset variata moneta in materia; sed si eadem esset moneta tamen valor creuisset vel decreuisset; hoc non inspicitur nisi à tempore moræ.
9. Quòd si maritus recepisset dotem sub certa taxatione florenorum auri, seu aureorum; & eo modo recognouisset: non teneretur nisi ad pretium taxatum, Bald. *dicto consil.* 213. *volum.* 5. & probatur per text. in *dicta l. res in dotem.* quia tunc maritus est tantum debitor illius quantitatis. Ioan. ab Aquila, *dicto theorem.* 8. *versic. nisi aliter.* quidquid iudicatum fuerit per Senatam Burdegalensem, ut supra, *num.* 6.
11. Nisi tamen maritus promississet restituere aureos, aut florenos auri in eadem æstimatione taxata, & conuenta: tunc enim tempus contractus inspiciendum esset, ut paulò post, ex Alberto Bruno explicabimus.
12. Et hoc est quod voluit Bartol. in *d. l. Paulus. num.* 10. *ff. de solut.* dum dicit quòd si mutuavi tibi, vel in dotem dedi centum libras in florenis, (hoc est in speciebus auri, ut supra explicatum est) idem est ac si dicerem, ego do tibi istos florenos in solutum pro centum libris; & ideo non possunt peti nisi centum libræ: sicut dicitur de re data in dotem æstimata; & sic videmus quòd hoc casu Bartolus nullam facit differentiam inter contractum mutui, & contractum in vim cuius petitur restitutio dotis: † & in his terminis vera sunt quæ tradit Peregrin. *consil.* 13. *num.* 9. *volum.* 3. Albert. Brun. in *tract. de augm. & diminut. monet. in 2. præsuppositione num.* 8. & 9. *versic. aliquando*

& quarto. † qui aliud dicendum existimat si conuentum fuisset, ut ducati & aurei redderentur in eadem æstimatione conuenta; tunc enim libræ censentur æstimatæ per ducatos, seu florenos auri; qui propterea restituendi sunt per maritum, seu illius hæreses in eodem numero quo fuerunt traditi; & damnum decrementi, vel lucrum augmenti valoris earum cedere debet commodo, vel incommodo creditoris: ut fuscè comprobat & explicat Brun. in *d. tract. limit.* 8. *num.* 5. *versic. secundo queritur.* & *num.* 6. apud quem alij casus in *dicta limit.* 8. singulariter resoluuntur, æquiparando semper contractum mutui, & dotis.



CAPVT XVI.

Exactores Communitatum, si fuerint in mora soluendi creditoribus indicatis, an & quando teneantur ad augmentum aureorum superueniens; & utrùm exactores possint lucrari componendo cum creditoribus Communitatis circa maiorem aureorum valorem: & quid si Communitas debebat aliquid supplere, vel adimplere quod non adimpleuit, utrùm teneantur exactores ad maiorem monetæ valorem superuenientem; an verò teneantur facere obligationem, & depositum pecuniæ.

S V M M A R I V M.

- 1 Qui sunt illi exactores, qui cum pecunia sui Domini negotiari prohibentur.
- 2 In quibus casibus exactores negotiari possunt, & componere cum creditoribus Communitatis super maiori valore aureorum.
- 3 Quando exactor est debitor generis, potest componere & lucrari cum creditoribus Communitatis.
- 4 Exactor factis pluribus interpellationibus non satisfaciens, tenetur ad excrescentiam monetarum.
- 5 Mora irregularis incurritur ipso iure fauore minorum & Communitatum, absque aliqua interpellatione.
- 6 Mora regularis incurritur per interpellationes.
- 7 Oblatio non tollit moram iam incursum.
- 8 Ad impediendum cursum usurarum non sufficit oblatio, sed requiritur etiam depositum; sed ad impediendum onus soluendi augmentum monetarum, sola oblatio sufficit sine deposito.
- 9 Quando ex utraque parte contrahentes aliquid adimplere debent, inspiciendum est quis prior adimplere teneatur.
- 10 Mora cum mora non compensatur, quando agitur de obligationibus separatis.
- 11 Exceptionem non implementi opponere nequit, qui ex non implemento damnum non patitur.
- 12 Ab exceptione non implementi tacite recedi potest.

Dvbium fuit aliàs utrùm exactores Communitatum teneantur ad solutionem maioris valoris aureorum, qui successu temporis creuerunt in bonitate extrinsecæ, attento quòd pecunias Communitatis præ manibus habuerunt, & ex illis negotiati sunt, & lucrum

lucrum fecerunt; cum tamen ex obligationibus per eos præstitis tenerentur satisfacere creditoribus Communitatis: & sic ratione moræ, videtur quod teneantur ad illud interesse augmenti monetarum erga Communitates.

1. Quæstio ista in varia capita diuidenda est: Aliqui enim sunt exactores, qui simpliciter ad exigendum sunt deputati, & pecuniam domino singulis hebdomadis vel mensibus reddere tenentur, aut eas in capsis domini reportare; vel sunt simplices custodes pecuniæ sui domini, vel Principis, qui eam domino quando-cumque voluerit reddere tenentur; & hi omnes prohibentur ex pecunia domini negotiari, neque possunt commutare pecunias grossas pro minutis, aut aliàs ex pecunia domini negotiari, vel lucrum capere: vt ostendit Peregr. *consil.* 94. *num.* 7. *in l. 2. & 5. casu volum. 3.* post Bart. *in l. 1. Cod. de auri publici persecutor. lib. 10.* & idem Peregrin. *in tract. de iur. Fisc. lib. 6. tit. 3. num. 8. & sequentib.*
2. Alij sunt exactores qui habent facultatem soluendi creditoribus domini, iuxta mandata & indicationes sibi faciendas à domino, vel à Consulibus, aliisue administratoribus Communitatis; & hoc casu si soluendo creditoribus aliquid lucrentur mediante solutione facta in minori moneta, aut si super maiori aureorum valore aliquid lucrentur componendo cum creditoribus; lucrum inde perceptum licet ad eos pertinet. Cuman. *consil.* 178. *Thesaurarius. in fine 2. dubij. Dec. consil. 6. col. 2. versic. tertio istud.* Peregr. *d. tit. 3. num. 10.*
Idem dicendum est, si exactor colligat pecunias domini, cum obligatione reddendi computa in fine cuiuslibet anni: quia tunc est debitor quantitatis; & ideo sicut periculo suo cedit pecunia exacta, ita & utilitas. *Dec. d. consil. 6. Peregr. d. tit. 3. num. 11.*
3. In casu particulari cuiusdam exactoris, Dixi per illam rationem licitum ipsi fuisse lucrari, componendo cum creditoribus Communitatis: quia factum fuerat pactum quod singulis annis in festo Sanctæ Magdalenæ fieret taxatio aureorum, & quod ipse ad illum valorem teneretur; & sic erat debitor quantitatis: & propterea poterat periculo suo de illis pecuniis negotiari: vt ad longum explicat Alciat. *consil.* 100. aliàs *consil. 12. lib. 15.* vbi ostendit Thesaurarios Principum de pecunia dominorum negotiari posse mediâ commutatione monetarum: vt fusè per eum *ibi.*
4. Sed tamen in alio diuerso casu, propter facti circumstantias, ex quibus non raro diuersitas iuris emergere solet; contrarium Respondi: nempe exactorem teneri erga Communitatem ad excrecentiam valoris extrinseci aureorum, in quibus concepta erant debita indicata. Quia exactor erat obligatus singulis annis decimam partem suæ exactiois soluere, conuertendam in extinctionem creditorum Communitatis; quod tamen pro parte dumtaxat adimpleuerat: residuas verò pecunias quas præ manibus habebat, non soluebat creditoribus, nec Communitati; sed ne quidem offerebat: imò factis pluribus executionibus & interpellationibus parte Communitatis, semper variis diffugiis, tergiversationibus & saluis conductibus utebatur: ideo negari non poterat quin esset in mora, & culpa maxima, & Communitas in damno euidentissimo. † Erat quidem in mora irregulari, quia Communitas vitur iure minorum, quorum fauore ipso iure sine interpellatione contrahitur mora irregularis. *l. in minorum. Cod. ex quib. caus. in integr. restit.* Vincent. de Franch. *decis.* 16. qua de re videndus est Gaspar. Roderic. *de annuis reidit. lib. 3. quæst. 7. num. 92.* Castrenf. & alij, *in d. l. in minorum.*
6. Erat verò in mora regulari, propter varias inter-

pellationes tam iudiciales, quàm etiam extraiudiciales. Ludouif. *decis.* 5. *n. 7.* stante igitur morâ, non est dubitandum quin exactor teneatur ad maiorem valutam scutorum, quæ contigit ante oblationem summarum debitarum per ipsum factam: † cum oblatio non potuerit tollere moram iam incursum. Theaur. *decis.* 174. *n. 4.* Duard. *de censib. §. 3. de cens. solut. quæst. 6. n. 28.* & sapius *in superioribus capitibus* diximus.

Quoad verò maiorem valorem, qui contigit post oblationem, Respondi exactorem ad illam non teneri: quia licet ad impediendum cursum vsurarum, vltra oblationem, necessarium sit depositum; tamen sola oblatio liberat à præstatione illius interesse, quod oritur ex mutatione monetarum. Scacc. *de commerc. & camb. §. 2. gloss. 5. num. 160. & sequentib. maximè num. 163.*

Verum quidem est, quod exactor opponebat Communitatem etiam fuisse in mora: quia cum ipse esset oneratus soluere scuta dontaxat monetæ, seu trium librarum pro quolibet; spectabat ad Communitatem assignare ipsi, vnde capere posset summas requisitas ad supplendum maiorem illum valorem, sine quo creditores nolissent solutionem accipere; & sic mora cum mora compensanda est.


Sed ad hoc multis modis fuit responsum. Primò quia quando ex vtraque parte debet adimpleri; inspicendum est quis prius adimplere teneatur, quando de eo per lecturam contractus potest apparere. Rota post tract. *Zachia. de obligat. camer. decis.* 139. *n. 34.* Marefcot. *lib. 1. var. resol. c. 89. n. 9.* Gratian. *discip. for. c. 1000. n. 21.* Constabat autè exactorem teneri prius soluere summâ principalem; eaque solutâ, spectare ad Communitatem solutionem augmenti valoris aureorum; cum augmentum sine suo principali stare non possit. *cap. accessorium. de regul. iur. in 6.*

Secundò, quia obligatio exactoris nullam habebat connexitatem respectu ipsius exactoris, cum obligatione Communitatis, de soluendo maiorem valutam; sed siue Cómunitas suppleret, siue non; semper firma remanebat exactoris obligatio: & sic non poterat opponi compensatio moræ, & non adimplementi respectu obligationis separatae, & independentis; etiam si duæ illæ obligationes, ex eodem contractu ortum haberent. Tusch. *littera I. conclus.* 150. *n. 123.* Natt. *consil.* 133. *num. 5.* Mantica. *decis.* 238. *num. 2.*

Tertiò exceptio non implementi non potuit opponi per exactorem, quia ob non implementum Communitatis nullum damnum passus est. Ludou. *decis.* 347. *n. 11. & 20.* Burat. *decis.* 571. *n. 5.* vbi plures allegat. Faciunt tradita per Tusch. *d. lit. I. conclus.* 50. *n. 132.* post Bald. *consil.* 315. *n. 2. versic. ex his concluditur. lib. 2.*

Quartò, quia exactor soluendo plurimas summas creditoribus Communitatis, post allegarum non adimplementum; etiâ conuertendo pecunias destinatas pro solutione summarum principalium, in solutionem augmenti monetarum; censetur tacite ab ista exceptione recessisse. Ludou. *decis.* 75. *n. 2. & 5. & decis.* 577. *n. 10. part. 1. recent.* Gratian. *decis.* 159. *n. 13. & 14.* Burat. *decis.* 674. *n. 13. & decis.* 54. *n. 14. & ibi Addet. litt. C.*

Et ita fuit iudicatum aduersus exactorem, qui condemnatus fuit ad interesse maioris valutæ scutorum vsque ad diem oblationis, per Arbitros à partibus nominatos, licet pendeat adhuc causa recursus ad arbitrium boni viri.



C A P V T X V I I .

Quando census fuit constitutus in certo numero duplarum Hispaniæ, fezenorum, ducato

ducatonorum, & alterius monetæ albæ in contractu designato; & conuentum fuit quòd in casum extinctionis, restitutio fieret in iisdem speciebus quibus supra, non minoribus in bonitate intrinseca, vel extrinseca, sine aliquibus patachis, aut alia moneta inferiori; restituendas esse easdem species, eumdémque numerum specierum demonstratur copiosius, quàm superius in primo capite.

S V M M A R I V M.

1. *Moneta imaginaria qua dicatur.*
2. *Quando nihil conuentum fuit in pacto redemptiuo, restitutio sortis fieri potest in quacumque moneta non reprobata, habito respectu ad bonitatē intrinsecam tempore venditionis census, & ad extrinsecam qua est tempore redemptionis.*
3. *Si conuentum fuerit de certa moneta specie restituenda, illa restitui debet; aut si facile non reperitur, alia æquiualens reddi debet.*
4. *Ex generali consuetudine vna moneta solui potest pro alia.*
5. *Explicantur decisiones Rota 149. part. 2. recent. & 218. apud Duard. post tract. de censibus.*
6. *Expenditur doctrina Thesaur. Iun. in tract. de monet. part. 2. quaest. 58.*
7. *Promissio scutorum trium librarum, pro quolibet, non impedit quin eadem species, idémque numerus reddatur, quando species sunt certæ, & ipsa species sunt promissa.*
8. *Bartol. in l. Paulus. num. 10. ff. de solut. saluatur à contrarietate.*
9. *Explicatur mens Brun. in tract. de monet. limit. 8. num. 5. & Scacc. de commerc. §. 2. glos. 5. num. 187. & 188.*
10. *Reiicitur decisio Putei. 145. lib. 2. Vide c. 1. n. 15.*
11. *Sufficit promitti easdem species, licet non dicatur in eodem numero, contra nonnullorum sententiam; & expenditur consil. Cranet. 47.*
12. *Idem est promittere restitutionem in iisdem speciebus, & in totidem speciebus.*
13. *Pactum continens inaequalitatem inter debitorem & creditorem, circa augmentum monetarum, iniustum est, & suspectum.*
14. *Pactum de restituendo in iisdem speciebus non minoris valoris, nullam continet iniustitiam, nec inaequalitatem inter debitorem & creditorem.*
15. *Pactum de restituendo sortem redditus in bona & grossa moneta, sine patachis, non derogat promissioni de restituendo in iisdem speciebus.*
16. *Superfluitas ad tollendam dubitationem toleratur.*
17. *Dictio alternatiua resoluitur in coniunctam, quando post promissionem restitutionis faciendæ in iisdem speciebus monetarum, adiecta est clausula eiusdem, vel non minoris bonitatis extrinseca, vel intrinseca.*
18. *In contractibus illa debet fieri interpretatio, vt non sequatur incontinenti correctio.*
19. *Si alternatiua non resolveretur in coniunctam, in prædicta promissione restituendi easdem species, eiusdem bonitatis intrinseca, vel extrinseca; oriretur magna inaequalitas inter creditorem, & debitorem, in præiudiciū ipsius creditoris.*
20. *Sicut pacta apposita in contractu census, non debent continere inaequalitatem in detrimentum debitoris annui redditus; ita nec debent illam continere in damnum & præiudiciū creditoris.*

Inter Communitatem Villæ Paternarum, & Clariff. D. Paulum Riberium Iuriconsultum magni nominis, fuit mota controuersia circa restitutionem sortis annui redditus, quam Communitas prætendebat faciendam esse in moneta currenti tempore solutionis: quâ prætentione non obstante fuit iudicatum, redemptionem in iisdem speciebus in contractu census dinumeratis faciendam esse. Ideo placuit hîc adnectere quæ ipsemet in propria causa scripsit, nec non ea quæ nos quoque in eius gratiam addidimus; ex quibus etiam Romæ decreta fuit executio sententiæ, & Communitas ipsa censum iuxta formam contractus in monetæ speciebus in contractu designatis, & secundum illarum valorē de tempore contractus persoluit.

Ad ostendendum quòd Communitas Villæ Paternarum, volens redimere censum 25. scutorum venditū Dominæ Ludouicæ de Rodes, sub die 27. Ianuarij anni 1626. teneatur soluere hæredibus d. Ludouicæ 43. duplas Italiæ, 120. duplas Hispaniæ, 40. ducatonos, 35. scutos sezenorū, & 8. scutos monetæ albæ iuxta promissionē factā à venditoribus dictæ pensionis in pacto redemptiuo contentam; non obstantibus iis quæ ex aduerso allegata sunt sequentia paucis subiiciuntur.

In primis dicitur quòd pretium dicti census, siue sit 500. scutorum, siue 1500. librarum, videtur consistere in moneta imaginaria. Censibus de censib. qu. 85. n. 15. Scacc. de commerc. §. 2. gloss. 3. n. 67. & sequentibus.

Si nullum adesset pactū redemptiuum, debitor pro redemptione census teneretur ad solutionē sortis, seu pretij 500. scutorum, seu 1500. librarū, in qualibet proba moneta, habito respectu ad bonitatem intrinsecam quæ erat de tempore contractus, & ad bonitatem extrinsecam, qualis reperitur tempore redemptionis. Censibus dict. qu. 85. n. 24. & seqq. Cancer lib. 2. var. resol. c. 6. n. 138. & seqq. Beltram. ad Ludouif. decis. 42. n. 7. & in eo omnes DD. conueniunt paucis exceptis.

Sed quando inter partes conuentum est de soluenda certa specie monetæ, quæ de tempore solutionis reperitur; nulla adest difficultas: hoc enim casu vel est soluenda eadē species in corpore, vel alia quantitas alterius monetæ, cū qua tamen emi possit illa moneta deducta in obligatione: vt probat Beltram. ad Ludouif. dict. decis. 42. n. 8. vbi Rotæ decisiones allegat. Idem fusè tradit Cens. dict. qu. 85. num. 8. & seqq. vbi etiam Rotæ decisiones adducit.

In casu de quo agitur, venditores promiserunt pro redēptione census soluere dictam summam 500. scutorum in iisdem speciebus, quæ supra ab eisdem fuere receptæ; & in eodē contractu paulò supra expressum est, quòd venditores pro pretio census receperunt 43. duplas Italiæ, 120. duplas Hispaniæ, 40. ducatonos, 35. scutos de sezenis, & 8. scutos monetæ albæ; consequenter talia corpora seu species monetarum sunt in obligatione: & illæ, quia de facili reperiri possunt, debent solui; aut aliæ æquiuales, quibus mediantibus species promissæ haberi possint, si aliqua adesset difficultas cōsiderabilis reperiendi tales species: † attenda etiā 4. generali cōsuetudine, de qua testatur Cens. d. qu. 85. n. 9. quæ permittit solui aliam quantitatem alterius monetæ, cū qua posset emi illa moneta deducta in obligatione: vt aiūt Beltr. d. dec. 42. n. 8. Cens. d. qu. 85. n. 8. & 9.

Eiusdem sententiæ est Rota, in recent. dec. 149. par. 2. vbi dicit quòd quando certa species promissa non reperitur tempore solutionis, debet fieri solutio in alia moneta ad æstimationē tamen monetæ promissæ, inspecto tempore solutionis: vt ibid. dicit n. 5. quod conuenit iis quæ dicit Beltram. d. decis. 42. n. 8. & reducendo ad praxim, si promissi fuerint decem aurei solares, debet tanta quantitas alterius monetæ solui; ex qua decem aurei solares hodie emi possint.

Item dicitur à Rota, *decif. 218. apud. Duard. in tract. de censib. & ita antea decisum fuerat in vna Romana Pecuniaria, coram Penia. vt videre est decif. 683. part. 4. diuers.* quam refert & sequitur Scacc. *de commerc. §. 2. gloss. §. n. 177.*

5. Ex quibus apparet decisiones Rotæ ex aduerso allegatas, nimirum apud Duard. *decif. 218. & in recent. decif. 149. part. 2.* apertè tueri sententiam quam defendimus, quòd quando promissà est certa species monetæ, ea debet solui: & si non reperiatur; tanta quantitas alterius monetæ soluenda est, ex qua emi possint species promissæ: eiusdemque sententiæ est Anthonius Faber, omnino videndus *in tract. de var. numm. debit. solut. c. 11. per tot.*

6. Doctrina insuper Theaur. iun. *in tract. de augment. monet. part. 2. num. 58.* ex aduerso allegata, facile retorqueretur: siquidem Theaur. *d. n. 58.* sextum casum effingit, quando aureis præfixa est æstimationis; sed ampliùs additum fuit, quòd illi aurei fuerunt soluti in tot crozonis, ducatonis, vel aureis; ita quòd apparet in qua specie factum est mutuum: & duo membra distinguit; aut enim (inquit) in eadem specie soluta, promissà fuit restitutio; & tunc nõ est dubitandum quin eandem speciem soluere teneatur debitor, quam promissit: (idem supra firmauerat *in 1. casu, dicta part. 2. n. 16.*) & in his terminis nos versamur vt paulò post dicemus.

Sed si (vt subiungit Theaur. *dict. num. 58.*) nihil dictum sit, hoc est non promiserit debitor in eadem specie restituere; tunc quærit *ibi* Theaur. vtrum debitor ad eiusdem speciei restitutionem cogi possit, & ad quem pertineat lucrum, vel damnum augmenti monetarum; & hoc secundum membrum ad casum de quo agitur non pertinet; sed primum membrum duntaxat quòd ipse Theaurus resoluit ad fauorè notitum: & sic Theaurus *d. n. 58.* dicit contrarium eius ad quòd allegatur.

7. Nec dubitandum est quin ipsa corpora, seu species quæ fuerunt dinumeratæ, sint in obligatione; licèt promissio cõcepta sit sub hac verborum formula (dictos 500. aureos trium librarum pro quolibet. in iisdem speciebus) clara enim est doctrina Bartoli *in l. si quis stipulatus fuerit decem in melle. n. 3. ff. de solut.* quòd quando species sunt certæ, illæ dicuntur esse non solum in solutione, sed etiã in obligatione: Bartolum in eo loco sequitur Rota *d. decif. 149. n. 4. part. 2. in recent. & decif. 218. n. 4.* apud Censum, *post tract. de censib.*

8. Neque Bartolus sibi contradicit in *d. l. Paulus. n. 10. ff. de solut.* vt nonnulli malè crediderunt: quia Bartol. *in d. l. Paulus.* loquitur quãdo floreni, (in nonnullis enim regionibus florenus est certa species monetæ) seu species promissæ, sunt incertæ; & ideo sunt duntaxat in solutione, & summa debita est in obligatione; nisi (vt subiungit Bartolus) floreni seu species sint æstimatæ.

In casu nostro species sunt certæ, & determinatæ; cum dictum fuerit restitutionem esse faciendam in eisdem speciebus, quæ supra fuerunt receptæ, vt infra latiùs dicitur.

9. Ideo cauendù est à Bruno *in tract. de monet. limit. 8. n. 5. & 6. & Scac. de commerc. §. 2. gloss. §. n. 187. & 188.* eorù enim dicta possunt procedere, quando species florenorum, ducatonorù, aut cauallotorum quæ promissæ sunt restitui, non sunt certæ & determinatæ; tunc nisi adiectù sit & eadem æstimatione, periculum & commodù augmenti, & decrementi valoris monetarum, pertinet ad debitorem. In casu nostro, vt dictum est, species sũt certæ & determinatæ: ideo sunt in obligatione, & comodum vel incommodum augmenti vel decrementi æstimationis spectat ad creditorè, & debent restitui vel species promissæ, vel alia quantitas

alterius monetæ, ex qua tempore solutionis possent emi species deductæ in obligatione: vt initio diximus ex Beltram. *d. decif. 42. num. 8.*

Adde quòd partes ex abundantia conuenerunt in dicto pacto redemptiuo, quòd eadem species à debitoribus receptæ, parit & æqualis æstimationis, nimirum valoris extrinseci, restituerentur; vt nos infra latiùs ostendemus super dictione *non moindres*, sed hæc expressio nõ erat necessaria, vt proximè diximus.

Nec dicatur promissionem factam à debitoribus de reddendis iisdem speciebus, debere intelligi, rebus sic stãtibus; non autè quando ex post, auctus est valor extrinsecus monetarum: vt videtur tenere Puteus *decif. 145. n. 5. & 6. lib. 6. in correctis*, quæ aliàs erat *decif. 149.*

Quia d. decisio Putei non est decisio Rotæ, sed potiùs suffragium ipsius Putei valde mendosum & corruptum, & apertè reprobatur à Rota vt videre est *decif. 653. n. 3. in fin. & decif. 686. n. 2. versic. quæ verò deducuntur part. 4. diuers.* & Rot. apud Cens. *dec. 216. num. 6.* & directè repugnat *decisioni 149. part. 2. recent.* & aliis decisionibus supra per nos allegatis.

Non obstat si dicatur in casu de quo agitur, promissionem fuisse quidem factam redimendi censum in eisdem speciebus, quæ dinumeratæ fuerunt pro pretio census; sed non fuisse dictum quòd idem numerus specierum solueretur: ideo debet sufficere, si debitores soluant easdem species promissas aureas, & argenteas, licèt in minori numero; dummodò tamen, habito respectu ad æstimationem currentem tempore solutionis conficiant dictam summam 500. scutorum vel 1500. librarum

Responderetur enim hanc fuisse opinionem moder- 11. ni cuiusdam, qui in quæstionibus sub incerto authore positis, *inter tractatus monetarum, quæst. 7. per totam fol. mibi 277.* apertè reprobat Crauet. *consil. 47.* & concludit quòd licèt promissio redimendi facta sit in similibus speciebus quæ fuerunt receptæ, sequuto tamen augmento valoris extrinseci monetarum, debitor consequatur tale lucrum, & non teneatur soluere eundem numerum specierum monetæ.

Hæc tamen opinio moderni illius Doctoris communiter damnata est, & dictum Crauetæ consilium 47. communiter à Doctoribus recipitur, & approbatur: vt videre est apud Budel. *de monet. cap. 9.* Solam *de monet. cas. 39. & 14.* Theaur. iun. *de augment. monet. part. 2. num. 16. & sequentib.* Berlich. *lib. 2. conclus. 26. num. 7. & sequentib.* & optimè omnium rem explicat Faber *tract. de variis nummar. debitor. solution. cap. 11. versic. sed etsi non proponeretur. & versic. vnde fir.*

Crauetæ itaque dicto *consil. 47.* vult quòd si debitor promiserit restituere summam debitam in eisdem speciebus, vel in similibus speciebus; talia verba debent intelligi non solum de eadem bonitate intrinseca, sed etiam de eodem numero specierum: vt probat *eodem consilio num. 3.* cum similitudo debeat includere identitatem numeri.

Item Crauetæ se fundat in relatione facta ad species receptas à debitore, quæ cum reperiatur certæ, & specificatæ; relatio debet fieri respectu omnium qualitatum: & sic ratione numeri: vt dicitur *in d. consil. 47. n. 4.*

Dices in consilio Crauetæ promissionem reperiri conceptam in similibus 6000. scutis: & sic numerum fuisse designatum in promissione.

Responderetur, Doctores de materia tractantes non facere vim in promissione, in qua numerus est designatus; sed in eo duntaxat quòd dictum fuit in similibus speciebus, vel in eisdem speciebus: vel quòd relatio facta fuerit ad species certas, & determinatas, & in receptione specificatas.

Et Theaurus iun. *d. tract. de monet. part. 2. n. 16.*

casum omnino huic nostro similem proponit, sicut & Sola de monet. cas. 19.

12. Et dictio *in iisdem*, æquiualeat dictioni *in totidem* speciebus, ex ipsius moderni Doctoris sententia, & obseruat Budel. d. cap. 9. Faber. d. cap. 11. ad quos recurrendum est.

Et quòd sufficiat dicere in iisdem speciebus supra receptis probatur ex Budel. d. c. 9. in figuratone casus, & Fabro d. c. 11. col. 2. vers. sed et si proponeretur. & vers. unde fit. pag. 834. in fine, & c. 7. vers. placet enim fol. mihi 806. & versic. quod verò idem Parisiensis. pag. 814.

Nec obstat quòd dicitur à quibusdam Theologis, verba *non moindres* inducere inæqualitatem, inter emptorem & venditorem census: & sic iniustitiam.

13. Quia vera est conclusio, & à Iurisconsultis approbata, quòd pactum quod solius creditoris utilitatem respicit, & nullum commodum afferre potest debitori, suspectum est, & iniustum. Berlich. lib. 2. conclus. 1. n. 44. & conclus. 36. n. 38.

14. Sed Respondetur erroneè deduci, quòd ex talibus verbis resultet inæqualitas inter debitorem, & creditorem; siquidem dictio *non moindres* significat par, s, vel æqualis bonitatis monetam: per l. non minorem & ibi Bart. Cod. de transact. Valq. lib. 2. controuers. c. 67. n. 2. Mantic. de tacit. conuent. lib. 26. tit. 9. n. 14.

Intentio partium fuit, vt redemptio fieret in speciebus non minoris, nec maioris valoris: Sol. d. casu 19. & dum contrahentes voluerunt reddi easdem species, intellexerunt quòd idem, non minor numerus redderetur: vt ait Thesaur. d. p. 2. n. 16. vbi sub dictione non minoris numeri, intelligit Thesaurus de pari, vel æquali.

Pactum sanè esset iniustum, si in casum augmenti æstimationis monetarum, species ipsæ, vel corpora restitui deberent; & in casum decrementi æstimatio quæ erat tempore contractus, restituenda esset; & id quod deficit, suppleretur à debitore: vt explicat Berlich. lib. 2. conclus. 36. n. 69. & 70.

Dum eadem corpora restitui debent ex augmento, vel diminutione valoris tam intrinseci, quàm extrinseci monetarum; potest adesse damnum aut utilitas vtriusque, tam debitoris quàm creditoris. Si valor extrinsecus monetarum fuisset diminutus, debitor non posset cogi ad supplendam diminutionem resultantem, ex decremento valoris extrinseci; & creditor cogi posset ad recipiendum eundem numerum specierum quem dederat; licet essent minoris æstimationis; & sic lucraretur: vt declarat Faber, d. cap. 11. versic. ad obiectio-nem Parisiensis, & versic. ad secundum. & Rota d. decis. 149. num. 7. part. 2. recent.

15. Nec etiam obstant verba illa, *in grossa & bona moneta sine parachis*.

Hoc enim fuit additum ad maiorem expressionem, eo quòd species numeratæ venditoribus erant bonæ & grossæ, absque vlla minuta moneta. Neque ideo datur venditoribus electio soluendi in qualibet moneta ad libitum: in eadem enim clausula, & oratione fit relatio ad species supra dinumeratas: vt iam ostendimus.

Quinimo etiam si talia verba, *de bona & grossa moneta*, deberent intelligi de aliis speciebus quàm supra receptis, quia forsan fuisset dictum in iisdem speciebus, aut bona & grossa moneta; hæc facultas soluendi in bona & grossa moneta non efficeret quin eadem species essent in obligatione, & consequenter quin earum estimatio, & non grossa moneta esset attendenda: vt post Bald. & Socin. iun. in puncto firmat Rota apud Censum decis. 218. n. 2. & 3. & hoc casu grossa moneta non esset æqualiter deducta in obligatione, quia non cõtineret summam certam: vt post Bart. in d. l. si quis stipulatus fuerit decem in melle. 57. ff. de solut. Grat. cons. 17. n. 16. lib. 2. subiungit Rot. d. dec. 218. n. 4. apud Censum.


Poterant sane omitti illa verba, sicut ea quæ sequuntur *non moindres*: quia clausula *in iisdem speciebus* in quibus fuerant receptæ, omnia necessaria comprehendit: † sed superfluitas toleratur ad tollendam dubitationem. Crauet. cons. 70. n. 29. & sequentib. Mantic. de tacit. conuent. lib. 2. tit. 12. n. 31. & de coniect. lib. 3. tit. 6. n. 3. 5. & 8. Quidquid sit, illa Notariorum tautologia, & verborum abundantia partibus nocere non debet.

Quod subiicitur de illis verbis alternatiuè positis, *intrinseque, ou extrinseque*, nihil est. Dictio enim *Aur* quandoque resoluitur in coniunctiuam, iuxta subiectam materiam: Tusch. in verb. Dictio. conclus. 244. num. 8. dictio autem *sive*, est disiunctiuam verborum, sensum tamen coniungit, & in effectu habet vim copulæ. Rota, decis. 100. n. 13. part. 5. recent.

Intentio partium fuit, vt eadem species redderetur; par, vel æqualis valoris; siue de intrinseco, siue de extrinseco valore agatur; † & si fecus diceremus, in eadem oratione se correxissent; quòd dici non debet. l. non ad ea. ff. de condution. & demonstration. Surdus consil. 445. n. 33. Ludouil. decis. 297. n. 3. Rota recent. decis. 407. n. 5. part. 4. & decis. 140. n. 7. part. 7.

Cum ex pacto redemptiuo eadem species receptæ; id est idem numerus specierum & corporum debeat restitui, vt supra probatum extitit; partes habuerunt respectum ad parem, vel æqualem valorem, siue extrinsecum siue intrinsecum, non obstante augmento aut diminutione valoris postea contingente.

Et si dictio *Aur*, daret electionem debitoribus respectu valoris intrinseci & extrinseci specierum, vltra correctionem & contrarietatem in eodem capitulo existentem, resultaret magna inæqualitas pacti & iniustitia in detrimentum creditoris: nam diminuto valore intrinseco specierum monetæ, & remanente valote extrinseco qui erat tempore contractus; creditor cogere-tur recipere species auri & argenti deterioris ligæ, & ponderis, quàm essent illæ quas numerauit pro pretio census; prout etiam remanentibus speciebus monetæ in eadem bonitate intrinseca, & aucto valore extrinseco cogere-tur creditor minorem numerum specierum recipere eis, quas de tempore contractus numerasset; quòd esset valdè damnosum creditori, qui non potest cogere debitorem ad redimendum; sed è contra ipse cogitur ad libitum debitoris pati redemptionem, & extinguere. † Et nos supra firmauimus non debere contractum claudicare, & pacta in contractu census apposita, debere æqualiter respicere damnum & commodum emptoris, & venditoris: ex Berlich. lib. 2. conclus. 36. num. 38. & aliis superiùs citatis.



CAPVT XVIII.

Continuatur hoc capite eadem quæstio, quæ in præcedenti; de pacto restituendi in non minori bonitate intrinseca, & extrinseca, in bona & grossa moneta, &c.

SUMMARIUM.

- 1 Non est inconueniens verba inculcari ad tollendam dubitationem.
- 2 Clausulam en bõnes & grosses especes sans aucuns patats non alterare dispositionem præcedentem, in qua clarè promissa est restitutio earum de specierum, probatur exemplo familiari.
- 3 Alternatiua habet vim copulæ, ne sequatur correctio in eodem instrumento.

- 4 Clausula non moindres, aqùè respicit fauorem debitoris & creditoris.
- 5 Verba non minus significant eandem quantitatem.
- 6 Quando partes incipiunt à positiuo, & comparatiuum ponitur negatiuè; tunc positiuum remanet in sua natura, neque alteratur per comparatiuum.
- 7 Negatiua propositio magis negat, quàm affirmatiua affirmet.
- 8 Ostenditur per illas clausulas conseruari iustitiam, & equalitatem inter debitorem & creditorem: & si non intelligeretur de eisdem speciebus, magnum detrimentum & iniustitia oriretur aduersus creditorem.
- 9 Refertur fuisse iudicatum pro validitate & iustitia dicti pacti, & debitorem fuisse condemnatum ad soluendum in iisdem speciebus in contractu census particulariter dinumeratis; & sententiam fuisse executioni demandatam.

Impulsus sum & iustitiâ causæ, & meritis ac amicitia Clarissimi Domini scribentis, non solum vt præcedentibus eius allegationibus, subscriptionem meam adderem; sed etiam aliquid de meo in medium afferrem.

Retento itaque eodem themate, constat in constitutione & venditione census de quo agitur, pretium fuisse numeratum in certo numero aureorum Hispaniæ, & Italiæ, & in aliis certis speciebus in contractu designatis, & specificatis. Deinde conuentum fuisse, quod in casum restitutionis fortis, debitor teneretur illam facere in iisdem speciebus quibus supra, bonæ & grossæ monetæ, absque aliquibus patachis, & non minoribus in pondere, liga, & bonitate intrinseca vel extrinseca, quàm illæ quæ habebant cursum seu erant in commercio, & exponebantur in ciuitate Auenionensi, & quæ fuerunt supra expeditæ.

Ex quibus verbis colligitur primò, quod restitutio fortis fieri debet in eodem numero: quia quod est indiuiduum apud Logicos, vocatur species apud Iuriconsultos. Bart. in l. 2. §. mutui datio. ff. si cert. petatur, maximè stante clausula copulatiua in fine apposita, & que supra expedita fuerunt, quæ refertur ad ipsas species superius in eodem contractu expressas: iuxta conf. Crauet. 47. quod communiter approbatur, vt superius ostendimus in c. 1. n. 16. & habetur c. præced. n. 11.

- Verba autem intermedia inter duas illas clausulas, nempe inter hanc, *en mesmes especes*, & aliam & que sont esté baillées cy-dessus: cum posita sint tantum ad explicandam magis contrahentium voluntatem, non
1. alterant principalem illam dispositionem: † cum non sit inconueniens inculcari etiam verba superflua, ad tollendam dubitationem. l. qua dubitationis. 81. & ibi Decius, & alij. ff. de reg. iur.
 2. Vnde verba illa *en grosse monnoye, & sans aucuns patacs*, & verba *non moindres*, non possunt alterare principalem dispositionem, neque diminuere vim illorum verborum *en mesmes especes que sont esté cy-dessus baillées: l. nomen debitoris. 33. §. pater filia. ff. de legat. 3.* Perinde ac si quis reciperet bonum triticum, purum, & nitidum; & promitteret restituere in eadem specie tritici, & adiceret illa verba, *absque vlla siligine, vel lolio, aut auena admixta*, sanè clausula illa posterior non alteraret naturam principalis dispositionis, & promissionis certæ quantitatis tritici iam expressæ, ne apposita ad corroborandam dispositionem operentur contrarium effectum. l. legata inutiliter 14. ff. de admend. legat.
 3. Clausula verò illa, & *non moindres en bonté intrinseque, ou extrinseque*, debet intelligi copulatiuè, ne se-


quatur correctio in eodem pacto. Menoch. consil. 554. n. 15. vel ampliatiuè ad præcedentia. Crauet. conf. 326. n. 2. Rot. decis. 69. n. 5. part. 5. recent.

Cæterum, clausula illa *non moindres*, æquè respicit fauorè debitoris, ac creditoris; cum nihil aliud significet quàm identitatem specierum: vt in l. non minorem. 20. cum ibi notat. per DD. Cod. de trans. et l. non minus. aliàs, non parum. Cod. de Assessor. † vbi verba illa *non minus* explicantur, id est pariter: vt per Boër. dec. 246. n. 4. circa medium. l. non eo minus. 14. Cod. de procurator. l. non magis. 17. ff. de action. empt. l. non amplius. 26. & ibi Summarium. ff. de legat. 1. l. non magis. 22. ff. de action. rer. amot. l. non minus. 31. ff. de hered. instit. l. 2. & 3. ff. pro legat. & in c. de appellationibus 11. de appellat. vbi Franc. & alij. Et de dictione *non pluris*, est textus expressus in l. qui restituere. 68. ff. de rei vendicat. ibi *non pluris quàm res est*, id est, quanti aduersary interfuit, condemnandus est.

De clausula etiam *non minoris*, est textus in l. decem 6. ff. de fideicom. libertat. ibi, & *minoris seruus emi non potest*: & ibi, *perinde ac si testator adiecisset vt integra præstarentur*.

Et pro præmissorum confirmatione aduertendum est, magnam esse differetiam inter promissionem simpliciter factam de restituendo capitale in non minori bonitate; & eam quæ fit de restituendo in iisdem speciebus nõ minoris bonitatis: nam licet in primo casu, verba illa referantur ad identitatem bonitatis, vt mox ostensum fuit: tamen in posteriori casu res est expedita, cum partes incipiant à positiuo, & subiiciant comparatiuum negatiuè: & sic positiuum remaneat in sua natura: quia comparatiuum restringit suum positiuum. l. vbi autem. ff. de verb. obligat. in principio. Notatur per DD. in l. exigendi. Cod. de procurat. cap. cum dilecti. versio. verum. de elect. Affliet. in tract. de iure prothomis. §. 5. num. 6. ergo quando comparatiuo adiecta est negatiua, sequitur comparatiuum non restringere, sed magis propensam & enixam loquentium voluntatem exprimere: † quia negatiua magis negat, quàm affirmatiua affirmet. Gloss. in l. hoc genus. & ibi DD. ff. de condit. & demonstr. Nam inter maiorem & minorem bonitatem, nullum datur medium præter eandem bonitatem: dicitio autem illa *non minorem*, non potest significare minorem, quia esset contra verba expressa contractus: similiter non potest significare maiorem, quia hoc esset contra sensum communem; ergo necessariò debet significare eandem.

Denique aduertendum est, quod stante illa clausula *non minoris*, si dupla Hispaniæ, tempore contractus valeret decem libras, & tempore solutionis reducta esset ad octo libras, creditor cogeretur accipere duplas, ad rationem decem librarum pro qualibet, licet communiter expenderentur tantum pro octo libris, & duas libras amitteret pro qualibet dupla; cum debitor non teneatur soluere ad rationem minoris valoris tunc currentis, vigore pacti supradicti: ergo eadem ratione si pecunia augeatur, creditor non est cogendus illam recipere ad æstimationem auctam, vt par sit ratio lucri & damni, augmenti & decrementi. Viuius opin. 56. num. 46. Rot. decis. 149. num. 7. part. 2. recent. Gratian. decis. 85. num. 6. Ricc. collect. 2083. Atque ita fuit iudicatum, & Communitas soluit ad rationem specierum in contractu designatarum, non autem ad valorem illarum tempore solutionis. † Ita etiam fuit iudicatum per R. P. D. Vicegerentem Auenionis, in quadam Auenionensi Censu 17. Iunij 1641. de voto Clarissimi Domini de Ribiers viri doctri & integritate conspicui, per ambas partes electi, cuius decisionis tenor sequitur.



R. P. D.

VICEGERENTE

Auenionen. Census.

Luna 17. Iunij 1641.

ANno 1629. die 2. Maij, N. debitor vendidit D. Ioannæ de Criuel, viduæ D. Andreae Payen I. V. D. Auenionenſis annuam penſionē triginta ſcutorum ſoluendam in proba moneta non minoris bonitatis intrinſecæ, & extrinſecæ, ponderis, tituli & ligæ currentis in præſenti ciuitate tempore d. contractus; pro pretio 500. ſcutorum ſimilium receptorum in ſezenis, cum pacto quòd in caſum extinctionis fiat reſtitutio d. fortis principalis 500. ſcutorum, in iisdem & ſimilibus ſpeciebus, & ſub E A D E M bonitate intrinſeca & extrinſeca, pondere, titulo & liga currentibus tempore d. contractus.

Contigit anno 1636. quòd edicto Regio omnes monetæ ſuſceperunt augmentum in bonitate extrinſeca; & nominatim ſezeni qui tempore dicti contractus exponebantur ad rationem ſexdecim ſolidorum cum dimidio, exponuntur hodie ex edicto ad rationem viginti ſolidorum cum dimidio.

Fuit mota controuerſia ſuper validitate & iuſtitia dicti pacti & formæ ſoluendi dictæ penſionē annuam; nec non ſortem principalem in caſum extinctionis.

ET AFFIRMATIVE reſolutum fuit vtraque parte informante & de voto Spectab. D. de Ribiers I. V. D. Aſſeſſoris hinc inde nominati vel electi, ſolutionem dictæ penſionis annuæ & fortis principalis reſpectiuè, caſu illius adueniente, faciendam eſſe in monetis prædictis iuxta formam pacti ſub eadem ſcilicet bonitate intrinſecâ & extrinſecâ currenti de tempore contractus, ſoluendo nempe ſezenos ad rationem 16. ſolid. cum dimidio, ſiue monetæ in futurum creſcant vel reſpectiuè decreſcant.

FUNDAMENTVM reſolutionis fuit *Primò*, quia ad iudicandum de iuſtitia vel iniuſtitia pacti, inſpici debet tempus contractus, quo tempore pacta ſunt libera, quæ dum ſunt reciproca, ſiunt licita quamuis aliàs eſſent illicita, reciprocatio enim inducit æqualitatem Rot. in recentior. part. 2. decif. 149. numer. 7. Surd. decif. 278. num. 29. Gail. lib. 2. obf. 8. num. 2. & ſequent. & quem tangit periculum decrementi, tangere debet commodum augmenti Rot. in recent. p. 1. decif. 597. num. 2. & dicta decif. 149. part. 2. n. 7. Boër. decif. 327. num. 9. cum læſio attendi debeat de tempore contractus, l. continuus 137. ff. de verb. oblig. ibi non enim ſecundum futuri temporis ius, ſed ſecundum præſentis æſtimari debet ſtipulatio. Ita vt ſi quæ ex poſt facto contingat variatio, aut læſio, cenſeatur per accidens, & tanquã caſus fortuitus, nullius proſus ſit conſiderationis. Pinel. ad l. 2. Cod. reſc. vendit. Larrea decif. Granaten. 24. num. 9. Gail. lib. 2. obſer. 8. num. 2. & ſequent. Fab. de var. num. deb. cap. 11. fol. 836. in med. ibi nec pretium quod ſemel ſtatutum ſit: & quod debitor ipſe contractus tempore æquum putauerit, ex poſt facto videri iniquum poſſe, quod aureorum valor extrinſecus creuerit qui potuit è contrario decreſcere. Et ratio eſt, quia in materia monetali inſpici debet conuentio, à qua legem ſumere contractus aiunt DD. in cap. quanto. extra de iureiur. & in l. Paulus ff. de ſolut. & in l. cum quid ff. ſi cert. pet. Quod etiam probat text. Euangelicus Math. cap. 20. num. 13. Amice non facio tibi iniuriam

nonne denario conueniſti mecum quem textum allegant in hac materia Belletia conſil. monet. poſt tractatum Sola de monet. num. 24 & Theſaur. decif. Pedem. 174. num. 5. vnde tenorem obligationis attendendum eſſe tradit Boer. decif. 327. num. 20. & hoc aduertere debere præcticanres monet Budell de monet. cap. 3. n. 10. & ab eo totam cauſæ definitionem pendere in hac materia notat Menoch. conſ. 258. n. 1. & 2.

Quod autem in terminis pacti de ſoluendo ſpecies ſub eadem bonitate intrinſecâ & extrinſecâ, adlit reciprocatio & æqualitas; ex eo ſolo conuincitur; Quod ſi decrementum contigiffet, vel in futurum contigerit, creditor ſentiet damnum, dum tenebitur & cogi poterit à debitore, vi pacti accipere duplas in eadem bonitate extrinſecâ diei contractus, verbi gratia octo librarum, quas tamen poſito decremento ad ſex libras, poſſet tantum exponere ratione ſex librarum, niſi enim in caſu dicti decrementi acciperet duplas ad rationem octo librarum, non acciperet in eadem, ſed in diuerſa bonitate extrinſeca diei contractus, contra formam & tenorem pacti. Ergo in caſum augmenti, vt æqualitas & iuſtitia ſeruetur, lucrum conſequi debet. Rot. in recent. part. 2. decif. 149. num. 7. provt in terminis huius pacti tradit Budell. de monet. cap. 7. verſic. quod ego exaudio ſi ducatum in valore extrinſeco ſit diminutus. Sola. de monet. caſ. 39. num. 18. ibi quia ſi decreuiſſet valor & magis in ſpecie tradit Belletia dicto conſil. monet. al. poſt Sola. de monet. num. 5. vbi obiectionem proponit ex caſu diminutionis, quam ſoluit ſtante pacto prædicto ſub num. 22. Couarr. de numiſm. collat. cap. 7. §. vnic. conſul. 7. ibi quoties in contractu ob metum mutationis ſit pactum de pecunia ſub certa æſtimatione ſoluenda. & verſic. eſt & alterum exemplum ibi & tot floreni ſint ſoluendi quot tempore contractus efficiebant centum libras, tempore verò ſolutionis non efficiunt octuaginta. Ioann. de imola in l. Paulus. num. 2. in fin. ff. de ſolution. verſic. ſiue plus ſiue minus valebat tempore ſolutionis. Craueta. conſ. 47. num. 1. verſic. quod ſi valor ſcuti fuiſſet diminutus. Faber. de var. num. deb. cap. 11. fol. 834. verſic. nam ſi diminutus eſſent aurei quem citat & ſequitur Larrea decif. Granat. 23. num. 5. & decif. 24. num. 10. Idem Fab. cap. 17. fol. 837. in fin. ibi neque enim cogereſtur venditor ſupplere diminutionem. Brun. de augmen. limit. 8. num. 6. verſic. ſi contingat ducatum decreuiſſe. Duard. de cenſib. ad extra. Pij V. §. 3. queſt. 6. numer. 35. vbi reſoluit ſtante conuentione prædicta augmentum & decrementum cedere in lucrum vel damnum creditoris, nonobſtante quacumque variatione. Sola de monet. caſ. 39. num. 18. verſic. quia ſi decreuiſſet valor. & ibi imo oportuiſſet acquieſcere ſtante pacto. Kohl. exerc. legal. 19. num. 7. vbi in ſpecie noſtri pacti claris verbis concludit, ibi, etiamſi fortè ſolutionis tempore longè pluris aut minoris valituri ſint: idem tradit Scac. de commerc. §. 2. gloſſ. 5. num. 187. & 188. fol. 363. Maſtrill. decif. 7. num. 2. & 6. iuncto numer. 9. qui omnes DD. allegati loquuntur in terminis caſus noſtri quo conuentio incipit à moneta imaginaria ſoluenda in certis ſpeciebus & ſub eadem æſtimatione ſeu bonitate extrinſeca. Ergo.

Nonobſtat quòd quidam Theologi ex aduerſo voluerunt, pactum illud ſoluendi ſpecies in eadem bonitate intrinſecâ & extrinſecâ non eſſe reciprocum, niſi fuerint ſuperaddita hæc verba ſiue creſcant vel decreſcant, vel fuerit additum in eodem numero.

Quia reſpondetur *Primò* inutilem eſſe huiusmodi verborum adiectionem; cum illa verba in eadem hoc importent ex natura ſuæ ſignificationis, impoſſibile enim eſt quòd ſit eadem de tempore contractus, quin comprehen

comprehendatur sub illis verbis nonobstantia decrementi vel augmenti, aliàs enim idem non esset, aut idem esset diuersum à seipso, quod absurdum est, & in puncto quod sufficiat casum decrementi implicite fuisse comprehensum in pacto tradit Rebell. qui est ex P.P. Societatis Doctor Theologus *de obligat. iustit. lib. 11. q. 15. n. 9. ibi, atque adeo sine expressè vel implicite & num. 11. ibi quando scilicet contrahentes saltem implicite aequali periculo augendi minuendius valoris se exponendo contrahunt.* Molina Societ. Ies. tract. 2. de contract. disp. 3. 12. versic. excipe quando ex verbis.

Secundo, Quia cum, vt infra ostendetur, verba in eadem bonitate intrinseca & extrinseca identitatem numeri importent, sequitur obiectionem non procedere.

Tertio. Quia licet ad Theologos spectet determinare, quod in contractibus pacta debent esse æqualia & reciproca, ne iniustitiam vel vsuram redolcant. Tamen dum agitur de interpretatione aut significatione verborum an æqualitatem importent, nec ne: pertinet ad Iurisperitos, quorum est leges, canones, & verborum significationes noscere *l. verbum 123. in princ. ff. de verb. signif. Gratian. discip. forens. In prefat. n. 39. & ita in puncto resoluit Guillelm. Bont. tract. de vsur. qu. quolibet. n. 14. 15. & sequent. in tract. diuers. volum. 5. vbi doctissime dicit in resolutione casuum formandum esse syllogismum, & quidem determinationem maioris propositionis scilicet in contractibus debere esse æqualitatem, pertinere ad Theologos; determinationem verò minoris scilicet in hoc vel illo casu non adesse æqualitatem spectare ad Iurisperitos; Vnde in specie pacti de quo agitur doctrinam Bartoli in dicta. Paulus esse sequendam in foro conscientie tradit Rebell. dicto tractatu de oblig. iust. lib. 11. quæst. 15. numer. 12. ibi ne à communi Doctorum sententia temerè recedere videamur.*

Nec etiam aduersatur creditorem potius ad augmentum quam decrementum respexisse, quod certus esset moraliter tempore contractus fore vt duplæ tribus libris non decreuerent; provt auctæ reperiuntur: ex Less. *de iust. lib. 2. cap. 21. dub. 8. n. 49.*

Primo, Quia hoc obiectum est de foro penitentiali, non de externo, solus enim est cordium scrutator Deus, vnde alleganti istam certitudinem incumbere onus probandi tradit in puncto Gratian. *disc. for. cap. 884. num. 25. versic. nam timor huiusmodi mutationis non verificatur.* Imò dicta certitudo moralis allegata retorquetur in contrarium, scilicet nec aliquem de eo tempore fuisse moraliter certum, quod augerentur duplæ tribus libris, nemo enim est qui hoc anno 1629. & sic septem annis ante augmentum, hoc credidisset; nemo est qui de sezenis vel minimum suspicari potuisset. Vnde ex lapsu tanti temporis inter contractum & edictum præsumi ignoratiam mutationis ad effectum de quo agitur tradit in terminis Gratian. *dicta disc. for. 884. n. 27. ibi quia ignorabatur tempus mutationis.*

Et certè si creditor huiusmodi certitudinem moralem habuisset, prætulisset potius pecunias suas asseruare ad tempus augmenti, vt suæ vtilitati maiori consuleret; Ergo.

Secundo, Quia cum augmentum vel decrementum à mera Principis voluntate dependeat, nulla potest inferri maior probabilitas, quod in futurum monetæ potius augeri quam minui debeant, vnde quod Princeps potius eas tribus libris auxerit à tempore dicti contractus quam minuerit, censetur per accidens, & vt factum Principis quod casui fortuito æquiparatur nullius esse potest considerationis. Fab. *de num. debit. cap. 11. fol. 836. in med. ibi, nec pretium quod*

semel statutum sit, & quod debitor ipse contractus tempore æquum putauerit, ex post facto videri iniquum posse, quod aureorum valor extrinsecus creuerit, qui potuit è contrario decretere. Provt in similibus negotiis nullam certam regulam assignari posse notat expressè. Ioan. Fab. *in §. nos autè n. 3. Inst. de attil. tut. ibi, propter diuersos valores monetarum quæ ascendunt vel descendunt pro voto Regentium, sic à duobus annis visum est duplas ponderis trium denariorum quæ pro 10. libris & 12. solidis publicè exponebantur, voluntate Principis, mox imperato omnium detrimento ad sex libras circiter diminutas fuisse eiusdem Principis edicto.*

Tertio, Quia cum ab aliquibus annis aurei Solis valerent tantum 27. solidos vt attestatur Boër. *decis. 327. num. 10. deinde edicto Henrici II. ad 60. solidos. Edicto Ludouici XIII. anno 1614. ad 75. solidos & demum tempore dicti contractus ad 80. solidos excreuerunt.* Ex eo potius quod monetæ multum creuerint argui debebat maior descensus præsumptio, argumento ducto à solito quo res non solent in eodem statu excessus persistere, nec in similibus augmentis dari potest progressus in infinitum.

Et in effectu anno 1632. & die 16. Decemb. Rex Christianissimus edictum edidit prohibitorium ne monetæ aureæ impositam æstimationem excederent, & insuper mandauit congregari varios magistratus, & præcipuos è ciuibus Parisiensibus, ad hoc vt deliberarent quâ commodiori viâ tales monetæ ad pristinum valorem anni 1614. reduci possent. Et sic dubium potius erat decrementi quam augmenti.

Quarto, quia si prædicta obiectio subsisteret, impugnaret etiam contractus censuales conceptos in certis speciebus simpliciter verbi gratia septem scutorum auri in auro solis pro capitali centum aureorum similitum, quia respectu illorum etiam militaret eadem certitudo moralis & inuerissimilitudo paritatis descensus allegata: Quod tamen de huiusmodi pensionibus in certa specie conceptis dici non potest; cum ita semper fuerit à Rota Romana decisum vt constat ex *decis. 219. post Duard. de versib. dec. 219. n. 9. & decis. 682. num. 3. p. 4. diuers. & decis. 687. cum aliis*

Quinto, quia vt ait Nauarr. *in Comment. de Camb. num. 48.* obligatio soluendi, stante pacto prædicto, non cadit supra valorem extrinsecum, sed supra speciem illam in contractu stipulatam, ideoque per accidens est quod ascendat: vel descendat: vnde sufficere quod ex pacti taciti vel expressi verbis appareat contrahentes sese alæ decrementi vel augmenti subiecisse, tradunt Rebell. *de oblig. iust. lib. 11. q. 15. n. 11. & 12. & Molin. de contract. dicta disp. 3. 12. concl. 2. versic. excipe quando ex verbis contractus contrarium intelligeretur.* Nec enim illud pactum dicitur principaliter adhibitum animo lucrandi, sed ad vitandum periculum variationis: vt comprobatur Couarr. *d. §. vnic. cap. 7. conclu. 7. Fab. d. cap. 2. fol. 756. in princ. vers. vt dubitandum non sit quin prudens negotiator qui de eodem numero sibi reddendo cauet de periculo illo transigere voluisse videatur, siue in aperto sit imminere periculum siue in incerto.*

Sexto, Quia dum istud augmentum prouenit ex causa bellicæ necessitatis, & ideo non stabili, nec perpetuè duraturâ lege, limitantur ea quæ de paritate descensus monetarum ex aduerso deducuntur: vt expressè notauit d. Laiman. *lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 5. n. 16. & infra ostendetur versic. ultimo concurrir.*

Et super pacti prædicti iustitia ex abundanti consulti R. R. P. P. Minimi Ordinis Sancti Francisci de Paula tam morum probitate quam doctrinâ commendatissimi,

mendatissimi, ita fauore creditoris doctissimè responderunt, vt constat ex eorum scriptis Nobis ad maiorem satisfactionem exhibitis. Quibus accesserunt scripta per R. P. Ioannem Salianum Augustinianum Doctorem & in alma Vniuersitate Auen. Decanum & Regentem facultatis Theologiæ aliòsque ibi subscriptos dictæ Facultatis Doctores, & in D. Vniuersitate publicos Professores.

SECUNDO principaliter placuit distinctio Bartoli in d. l. Paulus. n. 10. versic. sed quid si fuit dictum, in fin. ff. de solut. ab omnibus DD. & à Rota Romana, quæ vim communis opinionis obtinet canonizata. Cuius Bartoli verba hæc sunt, sed si fuit dictum, depono apud te centum libras in florenis hoc pacto quod reddas in florenis sub eadem æstimatione, tunc sub eadem æstimatione debent reddi: sed si non esset dictum in eadem æstimatione, puto quod debeant reddi in æstimatione communi qua esset tempore quo debet fieri solutio. Ex hac distinctioe duos formant in hac materia casus DD. 1. est obligationis 100 librarum in florenis seu corporibus, cum pacto restituendi dictam summam in florenis sub eadem æstimatione: & hoc casu dicunt DD. promissas esse species restituendas in eodem & certo numero.

2. Casus est obligationis 100 librarum in florenis, cum pacto restituendi in florenis nullo pacto adiecto de eadem æstimatione: & isto casu dicunt iidem DD. promissas esse species restituendas sub incerto numero, ita vt in 1. casu augmentum & decrementum cedant in fauorem creditoris; in 2. verò cedant in fauorem debitoris: Hanc differentiam casuum distinctè declarat ex mente Bartoli, Io. de Immola in d. l. Paulus. n. 2. in fine, versic. nem adde dictus Bartoli, ff. de solut. Couarr. d. cap. 7. §. vnic. qui concl. 7. primum casum exprimit, conclus. vero 8. secundum constituit; Scacc. de commerc. §. 2. gloss. 5. n. 87. vbi de 1. casu & n. 188. vbi de 2. Brun. de Aug. limit. 8. n. 5. Curt. in l. cum quid n. 27. ff. si cert. petat. in tract. de monet. fol. 83. Crauet. cons. 47. n. 1. Budell. de monet. cap. 7. vbi de 1. casu. & cap. 6. vbi de 2. Kohl. exerc. legal. 19. n. 7. vbi de 1. casu. & n. 23. vbi de 1. casu. Bertazol. claus. 30. gloss. 9. num. 10. vbi de 2. casu Bartoli, & num. 11. vbi de 1. ibi nisi sit facta promissio de restituendo in eadem æstimatione & ibi quod si ista promissio de eadem æstimatione ommissa fuerit. & num. 19 vbi dicit casum esse clarum, quando est dictum quod res reddatur in eadem æstimatione. Fab. de var. num. deb. cap. 11. & 17. vbi dictum Crauetæ consilium defendit ab impij Molinæi morsibus, & ita iuxta dictum Crauetæ consilium fuisse iudicatum testatur Thesaur. de monet. p. 2. n. 57. & bene consuluisse dicit Vinius, com. opin. lib. 2. opin. 516. num. 49. Menoch. cons. 258. num. 3. vol. 3. Rebell. de oblig. iust. lib. 11. quest. 15. concl. ... vbi de 1. casu & concl. 9. vbi de 2. Larrea decif. Granat. 24. num. 9

Cum autem ex facti serie constet fuisse adiecta verba de soluendo in eadem bonitate extrinseca quæ æquivalent verbis in eadem æstimatione, sequitur decisionem versari in 1. casu Bartoli, quo fuit promissa moneta imaginaria, vt hic; cum pacto restituendi in certis speciebus nempe sezenis, sub eadem æstimatione, seu sub eadem bonitate extrinseca; & ideo iuxta dicti Bartoli doctrinam, augmentum & decrementum spectare ad creditorem.

Et licet post tot DD. quætionem in terminis resoluentes vltiori ratione non indigeat, hæc tamen subiicitur. Quia verba pacti prædicti operantur vt libræ non sint in obligatione, sed ipsa specierum corpora determinata, ita vt posito quod 100. duplæ 900. libras conficerent, idem esset, ac si capitale fuisset

constitutum, non in 900. libris sed in 100. duplis: ita tradit in terminis pacti Brun. de augm. limit. 8. num. 5. vers. 2. queritur. Budell. de monet. cap. 7. in fine, vbi stante pacto æquiparat obligationem conceptam in libris, cum obligatione concepta in moneta determinata: & magis in specie. Fab. de num. deb. cap. 11. fol. 834. in fin. ibi & consequenter, videntur aurei ipsi qui numerati sunt esse in obligatione, ac si nulla librarum mentio facta esset: & cap. 17. fol. 855. in fin. vers. sed cum pactum illud additum est, dico non libras esse in obligatione, sed aureos: & ver. atque ideo perinde constituenda omnia ac si nulla librarum mentione facta, aurei simpliciter soluti essent. Kohl. d. exerc. leg. 19. num. 7. vbi fuse Viu. com. opin. lib. 2. opin. 516. num. 49. vbi ait illam monetam imaginariam dici restrictam ad certam speciem & corpus.

Doctores autem in locis ex aduerso citatis loquuntur in 2. casu Bartoli num. 10. in fine; vbi conuentio incipit quidem à libris, & promittitur restitutio in iisdem speciebus, sed non fuerunt addita verba & sub eadem æstimatione, numeri certitudinem importantia, & hoc modo loquitur Kohl. num. 23. in loco per informantes ex aduerso citato; Contrarium enim asserit in loco pro parte dictæ D. de Payen allegato, vbi scilicet fuerunt addita verba & sub eadem æstimatione. Sic Laiman. l. 3. de instit. tract. 2. part. 1. cap. 8. asserti. 3. num. 15. ex aduerso citatus loquitur in 2. casu Bartoli & in casu concl. 8. Couarruiæ, dum scilicet in promissa specierum restitutione non fuerunt adiecta verba de eadem æstimatione, aut alia numeri certitudinem importantia, vt dictum est.

Vel loquuntur in casu quo conuentio incipit à moneta speciali æstimata per libras, putà in 100. aureis solaribus æstimatis ad tres vel quatuor libras: & hanc differentiã notat expresse Couarr. dict. §. vnic. cap. 7. conclus. 7. in medio & hoc modo loquuntur Bertazol. & Fab. cap. 2. & Kohl. dict. exerc. 19. n. 20. ex aduerso citati. Ratio autem prædictæ differentiæ est, quia dum conuentio incipit ab aureis æstimatis per libras, aurei censentur venditi pro libris, vnde libræ quia sunt pretium venditionis, solæ debentur, non aurei; quando verò conuentio incipit à libris æstimatis per aureos, & restituendis sub eadem æstimatione, libræ censentur venditæ pro aureis; vnde aurei quia sunt pretium venditionis, soli aurei debentur, ac si nulla librarum mentio facta esset: vt ait Fab. dict. cap. 11. fol. 834. in fin. versic. perinde videntur. & fol. 836. in med. versic. & quemadmodum. & c. 17. fol. 856. versic. mouet me, & versic. dicã aureos non magis æstimatos esse libris in priore conuentionis parte quàm libras aureis in posteriore. Brun. de augm. lim. 8. num. 5. versic. Respondeo quod iste est propriè casus.

Hæc autem decisio versatur in casu quo incipit conuentio à moneta imaginaria, restricta ad certas species restituendas in eadem æstimatione numerum importante; & ita loquuntur Bertazol. & Fab. cap. 11. in locis parte dictæ D. de Criuel allegatis. Vnde dicit Mastrill. decif. 7. n. 9. in fin. quod stante pacto prædicto de soluendo in eadem bonitate intrinsecã & extrinsecã, casus, iste non habet contradictorem: ibi, & vt verum fatear stante supradicto pacto casus iste non habet contradictorem, si perlegantur decisiones omnes que ex aduerso allegantur.

TERTIO fuit consideratum validam esse in iure conuentionem, de soluendis speciebus monetæ sub æstimatione currenti tempore contractus, ad vitandum scilicet periculum & metum variationis. Vnde dicunt DD. vigore dicti pacti censerì inductam super dicta variatione quasi transactionem restrictam ad

ad valorē contractus, ita tradit Budell. *de monet. c. 9. n. 6. versic. rationē subiungit*, ubi hoc argumentū Achylæum & infracto robore constans appellat Couarr. *de numism. collat. dict. conclus. 7.* ibi, *quoties ab initio fit pactum de pecunia sub certa æstimatione soluenda, ea pactio plane seruanda erit, nec mutatio numismatum contrahentibus nocebit, nec proderit*: Brun. *de augm. lim. 8. n. 1. & 5.* Duard *de censib. ad Bull. Pij V. §. 3. num. 35.* Kohl. *dict. exerc. 19. num. 7. in fine.*

Non obstat quòd æstimatio facit emptionem & taxationem. Quia stante pacto prædicto de soluendo in eadem æstimatione, fallit & limitatur prædicta regula, vt in puncto respondet Belletia *consil. Monetal. num. 20. & 21.* ita vt hoc casu libræ censeantur potius appositæ gratiâ demonstrationis, quàm taxationis, Mastrill. *decis. 7. num. 10.* Sola *de Monet. cas. 42. num. 6. 8. & 19.* Boër. *decis. 327. num. 10. & 11.* per textum expressum in *l. si inter virum. Cod. de iur. dor.* ibi *pacto interposito, vt species æstimata dori data pretiis quibus æstimata sunt, restituerentur, non pretia specierum dari, sed ipsas species debere restitui* Ita vt in dubio potius demonstrationis gratiâ censeatur. Sola, *de monet. cas. 43. num. 4. 5. & 8.* Quem sequitur Thef. *de monet. part. 2. numer. 56. limit. 3.* Fab. *dict. cap. 11. fol. 834. in fine* ibi *ac si nulla librarum mentio facta esset, & fol. 835. in medio versic. nam quod nostris placet.*

QUARTO conuincit hæc ratio desumpta ex naturâ & essentiâ ipsius pacti: siquidem certum est in iure validum esse pactum de soluendo pensionem, vel restituendo sortem principalem in eodem monetarum genere, & eodem certoque numero, vt fatentur etiam informantes ex aduerso, eoque in casu dubium non est, quin damnum & lucrum spectet ad creditorem. Fab. *d. cap. 11. fol. 834. in fine.* Et post Bartol. in *d. l. Paulus* tradit Rot. Romana in nouiss. *decis. 682. num. 3. & decis. 687.* Rot. post Duard. *de censib. decis. 219. num. 9. in fine.* Atqui pactum de soluendo species sub eadem æstimatione, seu bonitate intrinseca & extrinseca, numeri identitatem importat, & æquualet his verbis (*in eodem numero*) Fab. *de var. num. deb. cap. 11. col. 4. fol. 835. in princ.* ibi *cum eadem species restitui non possint eadem illâ æstimatione quâ & tradita & numerata sunt, quin totidem restituantur, & sic vigore pacti prædicti non solum specierum identitas, sed numeri, censetur in stipulationem deducta.* Brun. *de Augm. d. limit. 8. versic. ita vt sint restituendi in tanto numero qui comprehendant centum libras considerato tempore contractus, & magis diferrè Kohl. d. exerc. leg. 19. num. 7.* ibi *pactumque fuerit adiectum vt aurei soluuntur sub eadem æstimatione, tempore solutionis etiam præfinita summa erit in totidem aureis omninò soluenda.* Couarr. *d. cap. 7. §. unic. concl. 7. versic. est & alterum exemplum.* ibi *vt tot floreni sint soluendi, quot tempore contractus efficiebant centum libras.*

Ratio est quia cum identitas numeri specierum constet ex identitate vtriusque bonitatis, scilicet ponderis & valoris; impossibile est quòd in iisdem speciebus concurrat identitas vtriusque bonitatis de tempore contractus, quin per necesse reperiatur identitas numeri specierum inspecto contractus tempore, quod inspicere debet vi pacti.

Vnde habitâ notitiâ valoris specierum de tempore contractus facile supputare licebit numerum specierum, sic pro summa 500. scutorum recepta in sezenis facile prodit ex calculo numerus 1818. sezenorum ad rationem 16. sol. cum dimidio, pro vt exponebantur de tempore contractus, ultra tres solidos monetæ pro conficiendo complemen-

to dictæ summæ capitalis 500. scut.

AD ID quod dicebatur requiri expressam dinumerationem specierum in parte contractus pretij & mutui receptionem concernente. Satisfacit responsio sufficere implicitam vel explicitam specierum dinumerationem: ad notata per Rebell. *de oblig. iustit. lib. 11. quæst. 15. concl. 8. n. 9.* ibi *atque adeo sicut expressè vel implicite: & n. 12.* ibi *quando contrahentes saltem implicite: & per Molin. de contract. disp. 312. concl. 2. tract. 2. vers. excipe quando ex verbis contractus, aut dispositionis contrarium intelligeretur, nempe in quemcumque variationis euentum, numerum illarum monetarum illius rationis esse soluendum* ubi Couaruiam *d. n. 5.* citat sequitur.

Vel enim intelligunt certi numeri descriptionem expressis verbis requiri, & hoc esset legem imponere verbis, non rebus; vel concedunt sufficere implicitam & necessariò vi verborum æquivalentium importatam numeri expressionem, & cum prædictis sentiunt; satis enim certum dicitur quòd ex calculo aut alio modo certificatur. *l. certum. ff. si cert. pet. & l. ex sententia Cod. de sentent. que sin. cert. quant. profer.* Scacc. *de commerc. §. 7. gloss. 5. numer. 117.* & expressum dicitur quòd ab expresso resultat. *l. si ita. §. qui filio. ff. de bon. poss. sec. tab.* Ludouif. *decis. 66. num. 12.* pro vt in simili si de ipsa specie dubitaretur aliunde probari posse ad effectum augmenti, dixit Thefaur. *part. 2. de monet. numer. 19. versic. & si non appareret, & quando de ipso valore non cõstat aliunde iustificari posse* tradit Gratian. *discep. forens. 51. num. 21.* Idem enim est omninò quòd fuerit promissa solutio specierum in eodem numero, aut quòd fuerit promissa in eadem bonitate intrinseca & extrinseca, cum clarè pateat ad oculum ex prædictis identitatem vtriusque bonitatis in iisdem speciebus, numeri identitatem importare.

Et in effectu Bartolus in *d. l. Paulus. n. 10.* & eius sequaces nullam specierum dinumerationem exptimunt in casu per ipsos formato, vt videre est apud ipsū Bartolum *d. n. 10.* apud Budell. *d. cap. 7.* apud Couarr. *d. §. unic. concl. 7. vers. est & alterum exemplum* apud Kohl. *d. exerc. leg. 19. n. 7.* in quib. locis formatur casus promissionis 100. librarum in florenis vel 100. librarum in ducatis vel in aureis. Nec dicunt in tot, & sic de aliis: & tamen in d. casu propter verba *de eadem æstimatione* adiecta concludunt eundem specierum numerum deberi. Et magis in terminis ipse Io. de Imol. in *d. l. Paulus n. 7.* & Couarr. *d. concl. 7. vers. est & alterum exemplum,* & Kohl. *d. n. 7.* expressè dicunt ex mète Bartoli tot florenos vel aureos esse restituendos, quot iuxta æstimationem contractus efficiunt 100. libras colliguntque *ibidem* numerum specierum ex calculo factò ad valorem temporis contractus. Quòd si apud aliquos DD. in casibus per ipsos formatis adsit aliqua specierum dinumeratio, id potius ex contingentia casus, quàm ex necessitate factum fuit.

Accedit certissimum esse in iure numerationem nihil operari, nec attendi quid numeratum sit, sed quid in stipulatione restitui promissum sit, text. est in *l. que extrinsecus 65.* ibi *nam stipulanti denarios, eiusdè quantitatis aureos spondendo obligaberis. ff. de verb. oblig.* ubi numerantur denarij, & tamen debentur aurei ex obligatione restituendi. Vnde dixit Bartolus in *d. l. Paulus* illa verba in tot florenis nihil operari, ibi *ideo illa verba non operantur aliquid.* Brun. *de Augm. d. limit. 8. num. 4.* ibi *illa verba in tot ducatis nihil operantur.* Scacc. *de commerc. §. 2. gloss. 5. n. 185.* ibi *sicque illa verba in tot cauallois nihil penitus operantur;* Ergo sequitur non ex necessitate requiri specierum in contractu dinumerationem, pro pacti prædicti validitate

ditate & iustitia; sed tantum ex abundantia, & ad faciliorem calculum specierum tempore restitutionis faciendum; sufficitque ut in restitutionis pacto fuerit implicitè vel explicitè stipulata restitutio eiusdem certique numeri, prout in hoc casu vi verborum scilicet eiusdem bonitatis intrinsecæ & extrinsecæ, quæ identitatem & certitudinem numeri in eisdem speciebus necessariò important, ut dictum est.

Vnde non aduersantur ea quæ tradit Laiman. *de iustit. loc. cit. num. 15.* de certi vel incerti numeri expressione. Tum quia dictam assertionem limitat. *num. 16.* in casu quo augmentum non stabili nec perpetuò duratura lege factum est, prout hîc, ut infra ostendetur *versic. ex causa vero auctionis.* tum etiam quia dictum Laiman. allegantes æquiocum facere videntur in verbis ipsius; nec enim dicit quòd in parte contractus receptionem rei mutuatae concernente requiratur numeri specierum descriptio, sed tantum dicit quòd promissio solutionis siue restitutionis debiti debet continere expressionem certi numeri, hoc est quòd non sufficit promittere restitutionem in iisdem speciebus, sed ultra requiritur promissa numeri specierum restitutio. Quæ in hoc casu promissa censetur ex verbis *sub eadem æstimatione* superadditis post verba de restituendo in iisdem speciebus, ut supra firmatum est: & hoc modo etiam citatus per dictum Laiman. Couarruias *d. cap. 7. §. unic. n. 5.* distinguit casum suæ conclusionis *septimæ*, à casu *octauæ*, illudque supra fuit ostensum in secundo fundamento principali huius resolutionis.

VLTIMO concurrit æquitas resultans ex causa, & forma auctionis factæ per edictum Regium.

Ex forma quidem, quia dum omnes monetæ pari proportione simul augmentum susceperunt, prout hîc, ut constat ex tenore edicti, certum est omnium rerum pretia simul augeri, *l. 2. Cod. de vet. num. pot. lib. 11. Viu. com. op. lib. 2. opin. 516. num. 50.* Angel. in *d. l. Paulus ff. de solut. ut etiam ita contigisse notorium est: ideo solutionem fieri debere eodem numero tradit in puncto Kohl. exerc. leg. 19. num. 10.* vbi rationem ponit, quia pecunia habet relationem ad bona, & si tempore contractus dictam pecuniam non mutuasset creditor, conuertisset eam in emptionem bonorum, quæ simul cum augmento monetarum suscepissent augmentum: ita ut si non restitueretur pecunia in eodem numero, non posset modo creditor comparare prædium, quod sibi comparasset tempore mutui cum d. pecuniâ mutuata, ex quo pretia rerum fuerunt aucta cum auctione monetarum. Kohl. *loc. cit. num. 10.* Viu. *com. opin. 516. num. 50.*

Ex causa verò auctionis monetarum, quæ fuit edicto Regio facta propter bellicam necessitatem, & ideo non stabili nec perpetua lege duratura; militat in puncto limitatio adducta per dictum Laiman. *lib. 3. de iustit. tract. 3. part. 1. cap. 5. ad. d. assertionem tertiam num. 16.* vbi dicit etiam præciso pacto de soluendo in eadem æstimatione, restitutionem mutui faciendam esse in eodem numero quia (inquit) *neque Principis statuentis voluntas fuit, aut esse potuit, ut monetarum mutatio admodum notabilis, & valde discrepans ab intrinseco valore constitueretur, nisi quatenus id necessarium est ad præsens periculum pellendum, non autem cum gravi præiudicio & damno creditorum, quibus veterum obligationum ius quaesitum fuit.*

Neque dubitari posse visum est, quòd etiam ante casum restitutionis sortis, declarari possit, parte petente, quomodo fieri debeat solutio casu scilicet adueniente; ut tradit Osafch. *decis. 130. per tot. & maxime num. 13.* Scapucc. *de Saluan. lib. 1. quest. 14.* Hodier. ad *Surd. decis. 120. numer. 2. & 3. & sequ.*

Martin. *de iure cens. cap. ult. num. 145.*

Ex his satis clarè resultabat pacti prædicti validitas & iustitia circa formam restituendæ fortis principalis, prout etiam non difficebantur ex aduerso informantes, qui totam difficultatem ad pactum soluendæ pensionis restringere videbantur.

QUÆ TAMEN ex motiuis iam deductis, visa fuit cessare etiã in capite census annui, cum rationes quibus communiter approbata in sorte principali sententia nititur, peræquè in pensione procedant, & idem in vtroque casu ius exigant. Kohl. *d. exerc. leg. 19. num. 3. in fin. & magis in specie notat Duard. de censib. §. 5. qu. 7. num. 1. & 4.* Rebell. *de oblig. iustit. lib. 11. qu. 15. num. 12.* ibi in *contractu mutui, censu, cambio, pension. & ceteris.*

Vnde adstipulantur ea quæ suprædicta sunt, quòd cum identitas vtriusque bonitatis identitatem numeri importet, idem est ac si pensio fuisset concepta in certo numero, quem tempore contractus conficiebant species monetæ sub eadem bonitate intrinseca & extrinseca solutæ, ex Io. de Imol. Couarr. Brun. Kohl. aliisque *loc. cit.* & ideo stante pacto prædicto si monetæ decreuissent, creditor damnum sensisset, ergo in casum augmenti lucrum consequi debere iustissimum est. Rot. in *Recen. d. decis. 149. num. 7. p. 2.*

Et in terminis pensionis annuæ, quòd validum sit pactum de soluendo in eadem æstimatione, seu bonitate extrinseca, tradit in puncto Duard. *de censib. ad Bullam Pij V. §. 3. quest. 6. num. 35. & 36.* post Bartol. in *d. l. Paulus.* Couarr. aliisque quos ibi citat & sequitur Cens. *de censib. in nou. qu. 85. num. 42.* in illis verbis *vel pro annua responsione.* Thesaur. *de monet. p. 2. num. 65. & 66.* vbi reprobato Parisiensi concludit post multos, quos ibi citat, etiam in annuo censu licite deberi augmentum, Larrea *decis. Granatens. 24. per totam & maxime num. 10. in fin.* vbi in terminis annui redditus citat & sequitur Fab. *de numar. solut. d. cap. 11. & postea num. 11. & 18.* dicit, dum generis obligatio est restricta ad certam speciem, conuentionem seruandam; nec in annuis redditibus excessiuam esse, sed validam.

NON obstat 1. quòd ex quittantiis priuatis appareat solutionem pensionis factam fuisse in scutis sexaginta solidorum, quasi inde inducatur quædam possessio vel obseruantia interpretatiua.

Primò, quia ex dictis quittantiis nulla potest elici concludens probatio obseruantie interpretatiuæ, dum in ijs non fuit facta mentio in quibus monetis, & ad cuius temporis valorem fuerit facta solutio; vnde vel præsumitur quòd solutio facta fuerit iuxta formam & valorem contractus, vel fieri potuit quòd moneta tunc currens corresponderet valori diei contractus, ut tradit in puncto Rot apud Duard. *de censib. decis. 218. num. 6. & 7.*

Secundò, quia solutio certis annis facta solum præiudicare potest pro præteritis, & non pro futuris solutionibus *l. si certis annis. Cod. de pact. Viui. com. opin. lib. 2. opin. 516. num. 72. vers. possent.* Rot. *diuers. part. 4. decis. 683. num. 1. & 2.*

Tertio, quia non tot dantur solutiones ex quibus possit prætendi inducta præscriptio, quæ tamen necessaria est in hoc casu, ut tradit Viu. *d. com. opin. 516. numer. 67. & seqq.* Rot. *part. 4. diuers. d. decis. 683. numer. 3.* Cyriac. *controu. for. 388. numer. 17. & 22.*

Non obstat 2. censum augeri non posse ex Bulla Pij V. quod ex augmento fieri videretur.

Quia responsum fuit, inspecto contractus tempore, quod inspicere debet ex vi pacti, censum nec augeri nec minui, imò prædictum pactum apponi con-

fulunt DD. vt semper census soluatur idem, & eodem modo, inspecto contractus tempore absque metu variationis, vt supra ostensum est ex Duard. Couarr. Brun. aliisque, & in puncto Thesaur. de monet. part. 2. num. 65. vbi nominatim dicit d. augmentum in censuariis obligationibus non refragari Bullæ Pij V. & ita per Senatum fuisse decisum: Larrea d. decis. Granat. 24. num. 11. 15. & 18. vbi dicit augmentum non causare excessum in pretio redditus ab initio legitimo & taxato. Et quod per Bullam Pij V. nihil fuerit cautum circa monetarum genus in soluendis annuis pensionibus, notat expressè Duard. ad d. Bullam Pij V. §. 3. quæst. 6. num. 43.

Accedit quòd Bulla Pij V. non est in vsu in præfenti Ciuitate & Comitatu, vt constat ex regulamento desuper facto per Illustrissimum qu. D. Iosephum Ferrerium Archiepiscopum Vrbin. & Prolegatum Auenion. sub die 22. Augusti. 1609. Quod est pro rostris: prout in effectu contractus censuales quotidie fieri consueuerunt in hac patria non seruata forma dict. Bullæ Pij V.

Non obstat 3. quòd in pacto pensionis soluendæ reperiat apposita dictio (non minoris) quasi inde resultet aliqua pacti inæqualitas.

Quia illa verba (in non minori) nihil aliud significant in hoc casu quam in eadem.

PRIMO quia ex proprietate sermonis in iure verba (non minorem) idem significant quod parem & æqualem seu eandem, vt est text. in l. non minorem. & ibi Glossa in formatione casus. Cod. de transact. & ibi notant. Iason. Salycer. Bartol. & Roman. Aliique DD. Dum enim Imp. Dioclet. & Maximian. in dict. l. non minorem rescripserunt non minorem auctoritatem transactionum, quam rerum iudicatarum esse. Glossa in figuratum dict. casus nec non DD. supra citati resoluunt dict. verba non minorem in hæc parem esse auctoritatem rei iudicatae & transactionis; quoad scilicet ea de quibus in dict. lege cautum est, & Donell. in repetit. dict. l. non minorẽ declarat hæc verba dicens, eandem esse auctoritatem.

Quæ confirmantur etiam per textus claros in l. non minus 31. ff. de hered. instit. & in l. non minus 11. Cod. de Assessor. & in cap. de appellationibus. 11 ibi non minus est. ext. de appellat. in quibus locis DD. d. dictione non minus exponunt per dictione æquè aut equaliter; & Bartolus in d. l. de atate. q. 3. ff. de minorib. dicit dictione minus significare non idem, & sic non est mirum si d. dictioni minus præposita dictio negatiua non significet idẽ aut æquale. l. duabus negatiuis ff. de verb. signif.

Imò apud DD. qui materiam monetarum tractarunt, dictio (non minor) passim vsurpatur pro dictione equali vel eadem sic apud Thesaur. part. 2. num. 60. circa fin. vers. atque ideo iudicatum arbitror per Senatum Parisiensem promissa nummorum specie, eandem & non minorem deberi. Idem Thesaur. p. 2. num. 16. vers. non minorem numerum monetae stante hoc pacto, ab eo qui promissus fuerat obligationis tempore. & ibidem p. 2. num. 33. ibi ita vt non minorem summam consequatur in aurea vel argentea moneta illorum florenorum, quam fuisset consecutus tempore contractus. Sola de monet. d. cas. 19. num. 2. in fin. ibi numerum non minorem nec debitorem intellexisse de maiori.

SECUNDO quia ex communi vsu loquendi huiusmodi dictio non minoris pro dictione (eiusdem vel equalis) in commercio vsurpatur. Si quis enim à mercatore, vel artifice pretium mercis exquirat, mercator verò respondeat se non minori pretio vendere velle, quam currenti, vulgò non moins que se vendent à present, nemo est qui ex hoc modo loquen-

di non æstimet huiusmodi verba non moins negatiuè simul & comparatiuè prolata, importare pretij restrictionem ad illud quod est tempore venditionis. Itavt nec plus dare debeat emptor, quam petatum fuerit, nec minus accipere velit venditor, quam conuentum fuit.

Vnde sicut posito quòd pretium mercis tempore venditionis fuerit septem librarum, per illa verba non minoris, nec magis nec minus significatur quam pretium & æstimatio septem librarum; ita posito quòd tempore contractus, duplarum æstimatio seu bonitas extrinseca sit septem librarum, per ea verba (in non minori bonitate extrinseca eã quæ currit præfenti tempore) nihil aliud intelligi potest, quam vt duplæ soluatur ad rationem septem librarum, & sic in eadem. Cùm certum sit quòd super verborum intelligentia communis vsus loquendi attendi debeat, l. Labeo ff. de supell. legat. l. cum de lanionis. §. uem. versic. optimum ergo, ff. de fund. instr. Mantic. de tacit. lib. 22. tit. 8. num. 6. & valet argumentum in terminis monetaribus ductum à venditione mercium: prout passim DD. vtuntur. in l. vinum. & in l. cum quid. ff. si certi petat. quo argumento vtitur Duard. de censib. §. 3. quæst. 6. num. 22. & 50. Scacc. de commerc. §. 2. gloss. 25. num. 181.

TERTIO quia ea in contractu interpretatio faciendæ est, vt seruetur æqualitas, & in dubio pactum valeat. Crauet. consil. 133. num. 8. Tusch. tit. V. concl. 99. per tot. itavt semper excludatur damnus vnus ex contrahentibus, etiam si verba viderentur repugnare & impropriè inducere. Gratian. disc. for. cap. 755. num. 12. & 13. Mantic. de tacit. lib. 2. tit. 4. num. 81. & 83. vbi etiam quòd reiicitur interpretatio, quæ cadit in arbitrio vnus ex contrahentibus in detrimentum alterius: hoc enim æquitati repugnare dicit Crauet. consil. 243. num. 9. Atqui ex tenore & essentia verborum pacti de soluendo in non minori bonitate extrinseca, creditor necessariò sentiret damnus decrementi monetarum, si contigisset: ergo vt seruetur dicta æquitas, reiicienda est interpretatio debitoris, quòd in casum augmenti creditor lucrum non sentiat, ex Gratian. d. disc. for. 755. num. 12. & 13.

QUOD autem illa verba non minoris fauorem debitoris in casum decrementi respiciant, apertè demonstratur ex eo, quia si sezeni vel duplæ æstimatio & valor diminueretur, creditor teneretur & cogi posset illam accipere sub æstimatione conuentã, & non in diminutã, ne scilicet in minori ab ea quæ erat tempore contractus acciperet contra formam pacti, non sine suo damno & detrimento. Verbi gratia si de tempore contractus dupla detur ad rationem octo librarum, deinde tempore solutionis edicto Regio reducta sit ad sex libras; Sanè debitor qui vult soluere iuxta pactum, coget creditorem vt duplas accipiat in æstimatione non minori illã quæ erat die contractus, & sic licet duplæ tempore solutionis expendantur pro sex libris, creditor cogetur illas accipere ad octo libras, & ita amittere duas libras pro qualibet dupla; si enim acciperet ad rationem sex librarum prout exponuntur tempore solutionis, acciperet ad rationem minoris valoris, eo qui erat de tempore contractus, contra tenorem & vim pacti: ergo sicut in casum decrementi creditor damnus pateretur, in casum augmenti vt æqualitas seruetur toties repetita lucrum consequi debet. Rot. in recent. d. decis. 149. num. 7.

QUARTO quia dum in eodem instrumento census, apparet contrahentes circa bonitatis intrinsecæ & extrinsecæ clausulam promiscuè vsos fuisse dictis

verbis non moindre & verbis de la mesme ; sequitur quòd vna pars contractus aliam debet declarare: *cap. auditis. extr. de prescr. l. 1. ff. de reb. dub. Crauet. cons. pro gener. n. 336. Bartol. in l. si stipulatus. §. Chrysofonus. ff. de verb. oblig. Gratian. disc. for. c. 757. n. 7. & 8.* Vnde elicitur clara partium intentio quæ videtur ponere falcem ad radicem quòd per dictionem, non moindre, in hoc casu nihil aliud fuerit intellectum quàm *esgale* siue *la mesme*.

Quod euidentiùs apparet, quia si D. creditrix existimasset se maius percepturam commodum ex verbis non moindre quàm ex verbis de la mesme, ea potius adhibuisset in pacto restituendi capitalis, circa quod maius ipsius versabatur interesse: cum tamè in eo fuerint adhibita verba de la mesme non autè verba de non moindre: quod apertè conuincit clarà contrahentium mentem, à qua tota contractus substantia dependet, & in interpretatione facienda recedi non debet: ad latè tradita per Barbof. *axiom. 148. n. 1. & seqq. Budel. de monet. c. 25. n. 9.* Et certū est quòd in mutationibus monetæ inspiciendum est quid verisimilius inter contrahentes conuentū sit, & quomodo verisimiliter interrogati respondiissent. arg. Gloss. in *l. tale pactum. Cod. de pact.* vt post Calcan. *cons. 15. tradit Sol. de monet. cas. 19. n. 3.*

AVGETUR vis fundamenti prædicti ex eo quòd, vel illud quod contrahentes sub verbis (*in non minori*) intellexerunt, potuit cadere ex eorū mente, super minori vel maiori, vel æquali valore; sed non fuit intellectum de minori quia verba sunt clara (*in non minori*), nec etiā de maiori vt ostendetur, ergo de æquali. Quod autè de maiori intellectū non fuerit, patet: quia alioqui illud pactum reddi posset elusorium arbitrio debitoris, quod dicendum non est, vt expressè notat Gratian. *disc. for. 755. n. 13.* dum cogeretur à debitore creditor accipere monetas verbi gratia duplas ad rationè maioris æstimationis eā quæ erat die contractus in graue ipsius præiudicium, quod verisimile non est: vt in puncto tradit Sola *de monet. cas. 19. n. 2. versic. puto creditore intellexisse sub verbo speciei numerum non minorem, nec debitorem intellexisse de maiore ne presumatur vnus atque alter voluisse iactare suum. & n. 3. ibi quia verisimiliter interrogati sic respondiissent.*

Ergo dum ex clara contrahentium mente ex ipso contractu elicitū, dū ex sermonis proprietate, ex communi vsu loquendi, ex æquitatis & æqualitatis ratione verba *in non minori* verbis *in eadem* æquivalent, sequitur satisfactū obiectioni; ac proinde subsistere pactum tam quoad sortem principalè, quàm etiam quoad annuam pensitationem.

PRÆDICTVM verò pactū non solum validum est, vt ex hætenus deductis apparet; sed etiā quod plus est, dicitur esse de naturalibus contractus, vt ait Sola *de monet. cas. 42. n. 4.* vbi nominatim exemplum constituit in pacto restituendi in eadem bonitate intrinseca & extrinseca. Mozz. *de contract. mut. tit. de natural. n. 10. & 12. ibi nisi pacto aliud cautum sit. Io. Bolognet. cons. 11. num. 37.* quem citat & sequitur Gasp. Belleria, *consilio monetali post tract. Sola de monet. n. 26.* ibi pactum quod pecunia mutuata reddatur in eadem bonitate intrinseca, & extrinseca esse de naturalibus contractus, quod consiliū Belleriæ approbavit Senatus Siciliensis apud Mastrill. *dict. decis. 7. n. 5. 6. 9. 10.* & in casu dict. Belleriæ iuxta illius consilium ita fuisse iudicatū in Senatu Taurinensi testatur Thesaur. *de monet. part. 2. n. 57.* Et indubitabilem hanc conclusionè stante pacto prædicto tradit Brun. *de augm. concl. vlt. 16. partic. n. 2. fol. 195.* & dictū pactum non habere contradictorem declarat Mastrill. *dict. decis. 7. n. 9. in fin.* & huius pacti validitatè esse receptam tam in foro

quàm in scholis tradit Budell. *de monet. c. 3. n. 6. 7. & 13.* & de cōmuni opinione testatur Mastrill. *d. decis. 7. n. 9.* nec non Rener. Budell. *dict. c. 7. versic. & tunc communis est DD. sententia;* Et tam in foro fori, quàm in foro poli seu interno conscientie tradit vltra citatos Rebell. *de oblig. instit. lib. 1. qu. 15. concl. 8. & vltima, Molin. de contract. tract. 2. concl. 2. disp. 312. versic. excipe quando ex verbis. Megal. 2. confess. 2. instit. lib. 2. c. 7. quest. 2.* Et non repugnare Bullæ Pij V. concludit Thes. *de monet. part. 2. numer. 65. & c.* Et ita iuxta prædictum pactum fuisse iudicatum testatur Mastrill. *dict. decis. 7. in fin. versic. ex præmissis iudicauit,* in cuius decisionis casu pactum continebat expressè verba de soluendo in eadem bonitate intrinseca & extrinseca vt constat *ibid. n. 9.*

PROPTEREA non multum curandum est de decisione Dolana apud Griuellum *decis. 110.* In quâ licet ipse Griuellus sequutus fuerit opinionem Bartoli, Couarr. & Fabri. *cap. 11.* quos ibi allegat *numer. 3. 4. & 5.* Tamen præualuit in dict. Senatu Dolano contraria impij Molinæi sententia, ibi præualuit Molinæi sententia & autoritas apud Senatum nostrum quem Molinæum referre, refellere est, & dum damnata est eius memoria, condemnanda est eius opinio: maximè cum dicta doctrina Bartoli in dict. *l. Paulus* excepto dict. Molinæo reperitur ab omnibus approbata cum communi, vt nominatim testatur Rebell. *dict. lib. 11. quest. 15. n. 12. versic. præsertim cum iuxta Bartoli sententiam.* Ideo in hoc tribunali præualere debet.


Vltra quod ex seipsâ corruit & ridicula sit prædicta impij authoris & sequacium opinio, dicit enim licitum quidem esse pactum prædictum, & iuxta illud solutionem faciendam esse in iisdem speciebus, & eodem numero, sed quod plus erit propter superuentum augmentum, restituendum esse per credirorem debitori in alia proba moneta, vt videre est apud dictam *decis. 110. numer. 2. & 5.*

Sed si dicta conuentio licita sit vt ipse damnatus author fatetur, cur non seruanda: cur solutio iuxta illam facta non tenet? nec enim solutum dicitur quod non durat solutū vel statim restituitur *l. qui sic soluit 55. ff. de solut. Scacc. de cōmerc. §. 1. quest. 1. n. 211.* vel si solutum augmentum debitori restituendum sit, vt ipse dicit, cur existimat esse soluendum? cum iura non admittant huiusmodi circuitus. *l. singularia ff. si cert. petat. l. Dominus ff. de condict. indeb. Clement. audi. De Rescript.*

Ad alias obiectiones quæ fieri possent, hoc vnico satisfieri fundamento visum est; scilicet stante pacto prædicto, species & certum numerum esse in obligatione, non libras, quæ sunt tantum gratiâ demonstrationis, non taxationis vigore pacti, vt supra firmatum est.

Vel si malis inspicere debere vi pacti tempus contractus, quo inspecto nec excessum nec diminutionem, sed identitatem summæ semper resultare cum reciprocatione & æqualitate, non obstante quacumque variatione postea contingente quæ vt per accidens, & à Principis facto dependens nullius esse potest considerationis, vt supra dictum est.

Et ex his ita vtraque parte informante fuit decisum, &c.



CAPVT XIX.

Licentia capiendi pecunias sub censu annuo data Communitati à Superiori, ad rationem trium librarum pro quolibet scuto, utrùm reddat inualidum pactum in contractu census appositum de restituendo sortem in casum extinctionis, in iisdem speciebus.

S V M M A R I V M.

- 1 *Moneta imaginaria dicitur illa cuius nullus certus ceditur numerus.*
- 2 *Explicatur consil. 60. Gargiarei volum. 2. & num. 7.*
- 3 *Moneta imaginaria solam æstimationem recipit ex certis monetis ex quibus conficitur.*
- 4 *In moneta imaginaria cadit etiam distinctio bonitatis intrinseca, & extrinseca.*
- 5 *Pactum de restituendo in eadem moneta bonitate, est de naturalibus contractus census.*
- 6 *Concedens licentiam faciendi aliquem actum, censetur etiam dare facultatem ea omnia faciendi, quæ sunt de naturalibus illius actus.*
- 7 *Licentia data aliquid faciendi extenditur ad omnia annexa, & consequentia, ac dependentia illius actus.*
- 8 *Clausula quorum tenores, facit ut actus enunciatus habeatur pro inserto ad longum in rescripto.*
- 9 *Clausula in rescripto apposita per quam fit relatio ad instrumentum conficiendum, fortior est illa quæ fit ad iam confectum: quia prima relatio est vera, secunda verò ficta.*

Propositum fuit dubium utrùm procurator Communitatis, cui datum fuerat mandatum, & concessa à Superiori licentia capiendi sub censu annuo nomine Communitatis, summam 400. scutorum sexaginta solidorum pro quolibet, potuerit apponere in instrumento venditionis census pactum de restituendo eadem species, in casum extinctionis.

Pro negatiua adducitur *consil. 60. Gargiaræ lib. 2.* quod videtur punctuale, cum rationibus ibi per eum copiosius allegatis.

Sed tamen fuit conclusum, contractum & pactum in ea appositum de restituendo sortem in iisdem speciebus, in quibus procurator Communitatis pretium census receperat, validum esse: neque defectu mandati impugnari posse: aut defectu licentiæ Superioris in similibus contractibus requisita.

1. Primò, quia magna est differentia, inter licentiam restrictam ad certam monetæ speciem, & illam quæ data fuit in moneta imaginaria, qualis est illa de qua agitur: cum nec tempore licentiæ, nec tempore præsentis vlla scuta 60. solidorum cedantur. *Cens. in tract. de censib. quæst. 85. n. 15.* vnde moneta illa, dicitur imaginaria: ex traditis dicto num. 15.
2. Consilium illud Gargiaræ procedit in primo casu, in quo data fuerat licentia imponendi censum annum pro capitali 600. ducatonorum, pro redditu 45. ducatonorum: & procurator constituerat illum redditum pro 16. duplicibus Hispanis, & tribus quartis cum dimidia; sortem verò in 225. duplicibus etiam Hispaniæ, non faciendo aliquam mentionem de ducatonis, ad quas species restricta fuerat licentia, quæ in sua forma

specificæ obseruari debebat, & per æquipollens adimpleri non poterat.

Sed nos versamur in secundo casu: quia Superior non dederat licentiam restrictam ad aliquod certum genus, seu speciem monetæ argenteæ, prout in primo casu, sed respexerat duntaxat monetam imaginariam, † quæ ex aurea vel argentea confici potest; nec aliquam æstimationem ex se ipsa recipit, sed tantum mediantibus aliis monetis ex quibus conficitur: vt dicit Theaur. iun. in tract. de augment. monet. part. 1. n. 23. Brun. in eod. tract. part. 1. in 6. declaras. num. 1.

In qua moneta imaginaria cadit distinctio bonitatis 4. intrinseca & extrinseca, prout variantur monetæ ex quibus ipsa componitur. *Rot. decis. 214. n. 4.* apud Censuum, & Lotter. de re benefic. lib. 1. quæst. 39. n. 220. vsque ad 224. & sæpe superius diximus.

Vnde infertur primò quòd quando procurator Communitatis, fecit conuentionem super restitutione sortis in eadem bonitate intrinseca, & extrinseca; nihil fecit contra vel præter formam licentiæ datæ Communitati: quia licentia sub moneta imaginaria concessa comprehendebat utramque bonitatem tam intrinsecam, quàm extrinsecam: vt mox ostensum fuit.

Secunda ratio principalis, quæ sola satisfacere posset 5. dubio proposito, petitur ex eo quòd pactum de restituendo sortem in eadem bonitate intrinseca & extrinseca, est de naturalibus contractus censualis: vt dicit Gaspar. Bellet. in suo consilio monetali inserto post tractatum de monet. n. 25. Hæc enim est natura contractus, vt eodem modo & sub iisdem qualitatibus dissoluatur, quo fuit constitutus: *l. ab emptione. ff. de pactis.* † Atqui 6. quando Princeps: vel Superior concedit licentiam faciendi aliquem actum, censetur etiam concessisse ea omnia quæ sunt de natura ipsius actus. *Rosent. de feud. c. 9. concl. 19. n. 8. Surd. dec. 18. n. 4. & 5. & decis. 220. n. 29.*

In casu verò dicti consilij in dubiis allegati, non agebatur de naturalibus contractus, sed de re omninò contraria licentiæ concessæ: veluti in casu proposito, si Communitas habuisset licentiam accipiendi 400. scuta in sezenis, vel ducatonis; & procurator illa acceperat in moneta aurea: hoc casu licentia non suffragaretur: quia fuisset excessum à moneta argentea ad auream; sed in casu proposito licentia ad nullam certam monetæ speciem restricta fuit: & sic casus est omninò diuersus.

Non dicitur in illo consilio, quòd procurator monasterij contrauenisset licentiæ summi Pontificis, si acceperet 600. ducatonos, & promississet in casu restitutionis reddere eandem ducatonorum quantitatem: hoc enim casu aliter sine dubio author ille loquutus fuisset: cum pactum de restituendo sortem in iisdem speciebus sit de naturalibus contractus, & per consequens in licentia comprehensum: vt dictum est.


Tertia ratio petitur ex eo, quòd licentia Principis 8. concessa in actu principali, extenditur ad omnia consequentia annexa, & concomitantia ipsius actus; & quæ probabiliter Superior concedens credere potest interuenire debere, vel consueuisse in eodem actu. *Rosental. de feud. c. 9. concl. 19. n. 2. & in gloss. B. & C.* Vnde cum notorium sit de tempore celebrati contractus, omnia annuorum reddituum instrumenta fieri consueta sub illo pacto restituendi sortem in iisdem speciebus; tale pactum sub Principis licentia continetur; quæ circumstantia non aderat in casu consilij superius allegati.

Quarta ratio est, quia procurator Communitatis 9. fuit constitutus in eodem instrumento, & eadem conclusione, quæ cum omnibus per eum gestis fuit approbata per Superiorem, sub illa clausula, *Quorum tenores, &c.* contenta in illa licentiæ: & sic perinde est ac si totus tenor conclusionis & mandati facti per Communitatem fuisset insertus. *Barbos. de claus. cap. 127. n. 6.* Atqui

in dicto instrumento mandati, data fuit facultas procuratori contrahendi cum libera, & apponendi omnia pacta sibi bene visa: quod non fuerat factum in casu consilij in dubium allegati.

Quinta ratio petitur ex forma dicti rescripti, & licentiæ à Superiori concessæ: in qua datur facultas dicto procuratori Cômunitatis celebrandi omnia acta, & instrumenta cum obligationibus, submissiõibus, iuramentis & aliis clausulis requisitis: vnde quidquid continetur in instrumento post licentiam confecto, dicitur etiam in ipsa licentia contineri, tanquam relatum in referente. Anchar. *consil.* 7. n. 2. in fine. & tradit de Pont. in *tract. de potest. Proreg. tit. 6. de assensu Reg. n. 20. propè finem. vers. & insuper si assensus.* vbi dicit quòd propterea non sunt attendenda alia verba, quàm ea quæ continentur in instrumento post licentiam confecto: quia quidquid in illo instrumento conuentum reperitur, in ipsa quoque licentia dicitur contineri: quod indubitatum dicit n. 34. & optimè Duran. *decis.* 145. n. 19. & 20. vbi dicit quòd relatio Papæ ad instrumenta conficienda sine clausula *quorum tenores*, est fortior illà quæ habet relationem ad instrumenta iam confecta, licet contineant dictam clausulam. Quia in isto secundo casu dicitur relatio ficta, sed in primo casu (qui noster est) dicitur relatio vera, certa, indubitata, & indiuidua; & quòd licentia Superioris contineat omnia actus principalis consequutiua, bene comprobatur Cyriacus *controuers.* 189. à num. 27. ad num. 30. cum sequentibus.

Tandem hoc negotium, in quo difficultas ista fuerat propofita, transactione sopitum est.



CAPVT XX.

De tondente monetam alieni Principis quam pœnam mereatur. Quid si monetam alterius Monarchiæ quis fabricauerit, vtrum pœnam mortis mereatur. Bulla Pij V. contra Monetarios; vtrum sit obseruanda in ciuitate Auenionensi, & Comitatu Venayssino. Vtrum pœna confiscationis bonorum locum habeat in tondente monetam: Et vtrum pro vno eodémque delicto, possit pœna corporalis infligi vnà cum multa pecuniaria.

SVMMARIVM.

- 1 Tondens monetam alieni Principis non debet condemnari ad pœnam mortis.
- 2 Tondens monetam etiam proprij Principis, mortem non meretur.
- 3 Tondens monetam minus delinquit quàm fabricans.
- 4 Fabricans monetam alieni Principis de iure pœnam mortis non incurrit.
- 5 Statutum loquens de fabricante monetam, non extenditur ad radentem, seu tondentem.
- 6 Quando non constat de initio obseruationis; qui dicit constitutionem esse vsu receptam, illud probare tenetur.
- 7 Constitutio pœnalis non afficit ignorantes, nisi fuerit publicata in qualibet prouincia, nec sufficit quòd fuerit Romæ publicata.
- 8 Ad excusandum à pœna constitutionis Extrauagantis non nota, probabilis ignorantia sufficit.

- 9 Constitutio Principis generalis, continens pœnam; quoad casus non expressos recipit interpretationem à iure communi.
- 10 De iure communi nunquam proceditur ad confiscationem bonorum contra presentem, nisi in crimine hæresis, & læsæ Maiestatis.
- 11 Crimen læsæ Maiestatis non committitur aduersus Principem extraneum, in casu fabricationis monete, aut similibus.
- 12 Pro vno delicto non est duplex pœna imponenda; & si imposita fuerit pœna corporalis, non est cumulanda pecuniaria.

Qui monetam alterius quàm sui Principis tondere, aut radere ausus est, non vltimi supplicij pœnâ, sed aliâ minori Iudicis arbitrio plectendus est, ex Iul. Scarlatin. *inter consil. crimin. diuers. consil.* 115. n. 3. vol. 1. Decian. *in tract. crim. lib. 7. c. 27. n. 3.* Hyppol. de Marfil. *consil.* 71. n. 10. & 11. Grat. *consil.* 72. n. 10. & 11. part. 1. Farinac. *de crimin. læsæ Maiestatis. quest.* 115. n. 105. & 106. † Immo generaliter quòd tondens monetam etiam sui Principis, non pœnâ vltimi supplicij, sed aliâ capitali, veluti relegationis, aut simili, puniendus sit, docet Gomel. *ad l. 83. Tauri, n. 4.* vbi ad hoc allegat Bart. Cyn. Salicet & Hyppolit. & hanc communem esse Doctorum sententiam testatur Caball. *resol. crimin. cap. 101. n. 4. & 5.* Peguerra *decis.* 86. vbi ita decisum refert. Fabian. de Mont. *in tract. de empr. & vendit. quest. 5. princip. num. 7.* Lucas de Penn. *in l. fin. Cod. de vet. numism. potest. lib. 11. versic. item nota quòd nummos.* Farin. *d. quest.* 115. num. 105. vbi notandum est quòd appellatione pœnæ capitalis, non venit pœna vltimi supplicij.

Quia minus delinquit tondens monetam, quàm fabricans. Scarlatin. *d. consil.* 115. n. 3. Marfil. *d. consil.* 71. num. 11.

Et tamen ex communi sententia fabricans monetam alterius Principis, etiam Superiorem non recognoscentis, non punitur pœna mortis. Viui. *opin.* 519. n. 3. Farinac. *d. quest.* 115. n. 72. qui hanc communem esse opinionem testatur.

Vnde infertur quòd dispositio statuti Auenionensis loquentis de fabricantibus, aut cudentibus monetam alterius Principis, non potest referri ad tondentes: cum in pœnalibus non fiat extensio; quando delictum, non factâ extensione, non remanet impunitum; esto quòd mitiori pœna plecteretur: vt explicat Farin. *in fragmen. litera E. n. 144. & 149.* hoc autem casu, cessante pœnâ statuti, delictum non esset impunitum: quia restaret pœna iuris communis; ergo, &c.

Non obstat constitutio Pij V. quæ est in Bullario n. 115. qua cauetur monetam tondentes & fabricantes eadem pœnâ vltimi supplicij afficiendos esse.

Primò, quia constitutio illa nunquam fuit vsu recepta in his partibus; si autem Fiscus alleget illam esse vsu receptam, hoc tenetur probare: quia licet allegans constitutionem vsu fuisse receptam, habeat pro se iuris præsumptionem, quando constat de initio receptionis; tamen quando non constat de illo initio, onus probandi quòd fuerit vsu recepta spectat ad allegantem; & sic ad Fiscum. Menoch. *lib. 2. præsumpt. 2. num. 1. 2. 3. & 4.*

Secundò, quidquid sit de quæstione illa, vtrum constitutio Romæ publicata afficiat extra montes degentes: de qua nunc non agitur; hoc certum est, dum agitur de constitutione pœnali, illam non afficere ignorantes, quoad incursum pœnæ, nisi fuerit publicata in qualibet prouincia. Anchar. Iunior. *lib. 2. q. 59. num. 2.* vbi de communi testatur. † Et ratio est, quia ad excusandum à pœna constitutionis Extrauagantis non notæ sufficit proba

probabilis ignorantia. Puteus. *dec.* 274. *lib.* 1. *n.* 1. *in* *con-*
scit. Rot. *diuers.* *dec.* 578 *n.* 3. *part.* 1. Duard. *de censibus.*
 §. 7. *quæst.* 3. *num.* 1. *versic.* *nec obstat.* Farin. *in fragm.*
litera. C. *numer.* 658. vbi dicit quòd simile du-
 bium fuit per compositionem terminatum, ipso exi-
 stente fiscali Procuratore, & residet in hac sententia;
 (quia agebatur de grauissima pœna) quòd constitutio
 Romæ publicata non afficeret ignorantes alibi com-
 morantes. Gabriel. *consil.* 178. *num.* 27. & 54. *vo-*
lum. 2. Tusch. *litera.* L. *conclus.* 255. *num.* 18. 19. &
 20. vbi maximè hoc procedere asserit quando agitur
 de constitutione, quæ non est notoria; quamuis sit
 impressa.


9. Terriò Respondetur quòd cùm constitutio illa non
 loquatur de monetis Principum extraneorum, debet
 intelligi secundum dispositionem iuris communis;
 & sic vt locum habeat duntaxat in tondentibus mo-
 netam summi Pontificis supremi Domini, & Prin-
 cipis nostri: vt in simili tradit Marfil. *dict.* *consil.* 71.
num. 16. & in propriis terminis Iul. Scarlata. *dict.*
consil. 115. *num.* 9. vbi sic ait: *Secundò, non est locus*
pœna mortis nec statuto, aut prouisioni predictis; quo-
nam, quamuis generaliter & indistinctè loquantur,
recipiunt interpretationem à iure communi: vt intelli-
gantur de tondente monetam Papæ, non autem alic-
nam; sicut statutum de fabricante, quod est fortius.
 Atque ita docet Alexander *consil.* 104. *n.* 5. *vol.* 1.
 Quod corroboratur ex traditis per Farinac. *d. quæst.*
 115. *n.* 105. & 106.

Conclusum itaque fuit non esse locum pœnæ or-
 dinariæ, sed alteri extraordinariæ Iudicis arbitrio; &
 ita fuit obseruatum, ac reus vitam saluam habuit: ad
 pœnam tamen fustigationis fuit condemnatus, cùm
 esset confessus, & conuictus.

Verum desiderante Iudice vltra pœnam fustiga-
 tionis procedere ad confiscationem bonorum, aut
 saltem ad aliquam pœnam pecuniariam; Dixi hoc
 fieri non posse & secundum meam sententiam iudi-
 catù fuit & obseruatum. † Cùm enim non sit locus
 pœnæ ordinariæ delicti, non potest etiã confiscationi
 locus esse: quia per text. in *Authent. bona damnatorũ.*
Cod. de bonis proscriptor. & damnat. secundum iuris
 communis sanctionem nunquam procedi potest ad
 pœnam confiscationis, nisi in crimine hæresis, &
 læsæ Maiestatis humanæ. Menoch. *consil.* 1007. *num.*
 41. Farin. *quæst.* 25. *num.* 10. Guazzin. *de defension-*
ibus. reor. defens. 10. *circa annot. bon. num.* 3. cum
 ibi citatis: ita vt sententia aut decretum aliter fa-
 ctum, sit ipso iure nullum, & tanquam continens ex-
 pressum iuris errorem; & sic nunquam transeat in
 iudicatum. Farin. *dict.* *quæst.* 25. *num.* 3. Hic autem
 nullum esse crimen læsæ Maiestatis supra ostensum
 est: † non enim aduersus Principem extraneum, ille
 qui subditus non est dicitur crimen læsæ Maiestatis
 committere, Rolandus, in terminis falsæ monetæ
 fabricatæ à non subdito illius sub cuius imagine fa-
 cta fuit, *consil.* 4. *num.* 1. & 2. *vol.* 1. Clarus, in
 §. *læsæ Maiestatis. num.* 6. Gomes. *lib.* 3. *variar. res-*
sol. c. 2. *n.* 20. *versic. vnum tamen est.* Idem Roland.
consil. 15. *num.* 7. *lib.* 4. & *consil.* 1. *n.* 26. & 27. *lib.* 3.

12. Nec obstat si dicatur, quòd si non confiscationi,
 saltem alicui pœnæ pecuniariæ erga Fiscum locus esse
 debet. Quia responderetur si imponatur pœna cor-
 poris afflictiua, non posse cum ea cumulari pœnam
 pecuniariam: Non enim aut suadet ratio, aut æquitas
 patitur, pro eodem delicto duplicem pœnam cumu-
 lari. Marius. Anthon. Maceraten. *lib.* 3. *resol.* 45.
n. 9. Præsertim hoc casu, quia pœna pecuniaria ad
 meram vindictam imponeretur. Giurb, *consil.* 25.
num. 24. Farin. *de accusat. quæst.* 4. *num.* 11. Guaz-

zin. *de defens. reorum, defens.* 33. *cap.* 21. *num.* 10.
 Hic reus fuit etiam absolutus à pœna pecuniaria, sed
 fustigatus; vt dictum est.



CAPVT XXI.

Creditor qui sub annuo censu pecunias de-
 dit, ea lege vt ex illis creditor alius an-
 terior, eius qui se obligauit ad censum,
 dimitteretur; non succedit in hypothecis
 creditoris dimissi, quando illius creditum
 fuit per nouationem extinctum: maximè
 quoad census currentes, vel decurfos, si
 creditum dimissum non erat ex sui natura
 fructiferum: Et ex quibus dicatur inducta
 hoc casu nouatio. Bona fideicommissio
 supposita, vtùm pro fructibus dotis, qui
 in magnam molem excreuerunt, alienari
 possint beneficio *Authen. res quæ. Cod. com-*
munia de legat.

S V M M A R I V M.

- 1 Creditor ex cuius pecunia anterior dimissus est, succedit in hypothecis creditoris dimissi.
- 2 Qui prior est pro sorte principali, preferendus quoque est pro usuris. Intellige, vt num. 27.
- 3 Fructus non sequuntur hypothecam summæ principalis, dum agitur de legatis.
- 4 Pecunias pro solutione dotis dans ad censum, vtitur privilegio dotis, & illius anterioritatis tam pro sorte principali, quam pro censibus decurrendis. Vide n. 23.
- 5 Nouatio qua per sententiam fit, dicitur cumulatiua; non autem extinctiua.
- 6 In arbitrio amento aliud dicendum est; quia nouationem inducit extinctiuam.
- 7 Per sententiam qua lata fuit in executionem alterius sententiæ, non inducitur nouatio.
- 8 Nouatio inducitur ex actu posteriori, si sit incompatibilis cum primo.
- 9 Facilius inducitur nouatio ratione fructuum, quam respectu sortis principalis: & n. 15.
- 10 Interesse, alterius interesse, an & quomodo peti possit.
- 11 Quando inducatur nouatio si creditum conuertatur in annum censum,
- 12 Interesse quod ex statuto Aucionensi adiudicatur creditori, ad rationem septem pro quolibet centenariò, an & quando peti possit à die oppositionis factæ per debitorem.
- 13 Interesse debitum in vim, l. curabit. Cod. de action. empt. potest cedi tertio.
- 14 Nouatio inducitur, si per contractum annui census fors augeatur, aut minuat.
- 15 Nouatio inducitur quoad fructus, etiamsi non esset inducta quoad sortem.
- 16 Ampliatur vt procedat, etiã si ageretur de fructibus debitis in vim, l. curabit. Cod. de act. empt.
- 17 Cessio limitata ad summam principalem, non extenditur ad interesse.
- 18 Quando interesse non procedit immediatè ab eadem sorte principali, non habet eandem hypothecam.

19. *Fructus annuorum reddituum proprie non sunt accessory sortis; cum per se, & principaliter debeantur.*
20. *Per venditionem sub hasta primus debitor liberatur; & nouatio regulariter inducitur.*
21. *Creditor consentiens bona sui debitoris liberari sub hasta, nullâ reali pretij numeratione interueniente, censetur remisisse hypothecam sibi aliâs competentem super bonis sui debitoris.*
22. *Soluens priori creditori non succedit in eius locum, si illius hypotheca fuerit per nouationem extincta.*
23. *Dubia redditur opinio, quod bona fideicommissio supposita possint alienari pro fructibus dotis decursis.*
24. *Dans pecunias pro extinguendo debito, quod est sub cambio, non praefertur aliis creditoribus pro secundis cambiis.*
25. *Si maritus fuit negligens in exigendis dotis fructibus, non potest agere contra bona supposita fideicommissio, secundum Fusarium.*
26. *Nullâ factâ distinctione negligentia, vel diligentia, marito datur Saluanum contra bona fideicommissio supposita; ex mente Rotâ Romanae.*

VEnditis sub hasta bonis communis debitoris, lata fuit sententia graduatoria per quam duo inter ceteros collocati fuerunt creditores. Primus pro debito pecuniario cum fructibus à die oppositionis, ad rationem septem pro quolibet centenario, iuxta statutum nostrum. Secundus pro alio credito posteriorem hypothecam habente. Liberatarius bonorum accepit à tertio pecunias sub censu annuo, quas promisit impendere in solutionem crediti anterioris; prout soluit tam pro principali quam pro fructibus decursis, & maiori valore monetarum, facto per aliam secundam sententiam calculo istarum omnium summarum.

Quæsitum fuit utrum ille tertius qui pecunias dedit ad censum, præferendus sit pro censibus decursis dicto secundo creditori, cuius creditum fuit per dictam secundam sententiam liquidatum, & adiudicatum super pretio dictorum bonorum liberatorum.

1. Et quidem primo intuitu videbatur concludendum creditorem, qui pecunias dedit ea conditione ut ex illis primus creditor dimitteretur, præferendum esse tam pro sorte annui redditus, per emptorem bonorum constituti, quam pro pensionibus decursis, & in futurum maturandis: ex regula generali de qua in *l. 1. Cod. de his qui in prior. credit. loc. succed. Rot. decis. 319. num. 2. part. 4. diuers.* Cum ergo pretium census fuerit in effectu conuersum in satisfactionem creditoris, qui super bonis subhastatis sine vlla controuersa potiore habebat hypothecam; videtur illum qui pecunias mutuauit, seu dedit, præferendum esse posteriori.
2. Quæ prælatio non solum pro sorte principali; sed etiam pro fructibus census debitis, vel debendis, concedenda est: cum de iure qui prior est in sorte, prior quoque in vsuris debeat declarari. *Tusch. litera H. conclus. 129. num. 24. & sequentib. Felician. de sol. in tract. de censib. tom. 1. lib. 3. cap. 5. num. 18. Maynard. lib. 3. cap. 33. Pacif. de saluan. interdict. inspect. 3. cap. 4. num. 7. & 8. Gaitus de credito cap. 4. quest. 10. num. 1176. Barz. decis. Bonon. 108. n. 1. & sequentib.*
3. Et licet *Surd. decis. 271.* aliter sensisse videatur; tamen loquitur in legatis, in quibus verius est fructus non sequi hypothecam sortis. *Cost. de rata. quest. 60. num. 5. Vincent. de Franch. decis. 374. num. 12. The-*

faur. Itin. lib. 4. quest. 25. num. 7. Nos autem versamur in contractibus, in quibus longè diuersa ratio est: teste *Negusant. de pignor. 5. membr. 1. partis. n. 19.*

Denique quia in similibus terminis, quando quis pecunias dedit sub annuo censu, ut debitor illas conuerteret ad debitam dotis solutionem; eius hypothecam vires habere non solum pro sorte, sed etiam pro pensionibus decursis & decurrendis, cum eodem prioritatis iure, tradit *Peregrin. de fideicom. artic. 42. n. 96. Pascal. de patr. potest. part. 2. cap. 7. num. 32. 49. & 57.* vbi probat assensum Regium extendi etiam ad fructus decurrendos: & idem etiam ostendit *num. 65. & 67.* vbi respondet ad argumentum peticum ex mutatione personæ: & *num. 72.* vbi respondet ad præiudicium quod fit posterioribus creditoribus. *Francif. Milanens. decis. Sicil. 8. à num. 369. ad 380. per text. in l. Lucius. ff. qui potior. in pign. habeant. Gratian. discept. forens. cap. 43. num. 31. & sequentib. Cancer. lib. 1. variar. resolut. cap. 9. num. 176. & sequentib.* qui tamen loquitur in terminis cuiusdam constitutionis Cathalonix, secundum quam vxor percipit fructus bonorum quæ maritus possidebat. *Fontanel. de pactis nuptial. in vltima additione in fine 2. Voluminis, folio mihi 650.*

Neque videtur obstare sententia lata per quendam Indicem delegatum, per quam pretium dictæ domus subhastatæ fuit distributum inter creditores, & cuilibet ex duobus creditoribus hypothecam super domo illa habentibus fuit assignata pars illum concernens, pro rata sui crediti: quæ sententia videtur inducere nouationem, maximè interueniente noua personâ, & nouis conditionibus. † Quia respondetur 5. quod per sententiam non inducitur nouatio extinctiua prioris obligationis, sed cumulatiua. *Gratian. discept. forens. cap. 290. num. 9.* sicut & ex compromisso, *Cartar. decis. Genens. 118. n. 3. & sequentib. † Quid-* 6. quid aliud sit in arbitramento. *Gratian. discept. cap. 672. num. 11. † Maximè quia dicta sententia lata 7.* fuit in executionem præcedentis sententiæ graduatorix, quo casu nouatio non inducitur. *Idem, discept. 353. num. 3.* & ad hoc afferri possunt rationes omnes deductæ apud *Fontanel. decis. 559. & 560.* vbi fusiùs disputatur, utrum in simili casu fuerit inducta nouatio? Et pro negatiua, deinde pro affirmatiua iudicatum refert, tandemque negotium fuisse transactione sopitum.

Cæterum non obstantibus prædictis rationibus iudicatum, & executum fuit in contrarium, ad fauorem hæredum R. D. Claudij de Laurens: nempe primum illum creditorem qui super domo subhastata potior fuerat declaratus, non posse amplius uti prioribus suis hypothecis, ex multis.

Primo, quia vulgata est iuris regula, eum qui prior est tempore, potiore etiam esse in iure. *cap. qui prior. de regul. iur. in 6. l. si fundum. Cod. qui potiores in pignore habeantur.* Dicitur autem dominus de Laurens prior erat tempore: quia eius hypotheca incipiebat ab anno 1589. & pecuniæ illi debitæ conuersæ fuerunt in censum annuum per emptorem domus anno 1592. Censu verò creatus per creditorem, quæ alioqui fuisset prior super domo subhastata, fuit factus duntaxat anno 1606. & sic huius hypothecam posteriorem esse oportebat.

Secundò, quia post latam primam sententiam graduatoriam; alia secunda fuit pronunciata, per quam pretium domus subhastatæ, fuit distributum inter duos illos creditores, & cuilibet sua portio assignata, facto computo non solum summæ principalis, sed etiam totius interesse quod debebat emptor illius domus. Nam ex 830. scutis, ad quæ ascendebat

ascendebat totum pretium domus; fuit assignata priori creditori tam pro principali quam pro interesse, nec non pro maiori valore monetæ, summa scutorum 407. Secundo verò creditori in deductionem summæ maioris scuta 423. conficientia in simul dictam summam scutorum 830. Ex quibus sequitur resultare apertam debiti nouationem, inductam per secundam illam sententiã ratione incompatibilitatis.

8. † Quia stante dicta sententiã, & obligatione vltimo loco prætitã per liberatarium in fauorem illius, qui alioquin primus creditor futurus erat; inducitur nouatio. *Surd. consil. 145. num. 25. & 27. post Bald. in l. fin. num. 1. Cod. de nouat. Decius in l. pacta nouissima. Cod. de pact. Menoch. lib. 3. præsumpt. 134. num. 39. cum pluribus aliis citatis per Martium Medic. decis. 67. num. 4.*

Incompatibilitas autem in eo consistit; quòd cum tota summa, tam proueniens ex sorte, quam pro interesse debita, & pro maiori aureorum valore, fuerit redacta in censum annuum & perpetuum; petitio fructuum ex noua illa sorte prodeuntium est incompatibilis cum primis illis obligationibus, & sententiis.

9. † Quod enim dicitur per sententiã non nasci nouationem extinctiuam, sed duntaxat cumulatiuam procedere posset, si sola adesset conuersio summæ principalis in annuum redditum; sed quia etiam agitur de conuersione fructuum, seu vsurarum in sortem, oritur quoad hoc extinctiua nouatio. *l. 3. versic. si enim nouatur. & ibi Bart. num. 3. Cod. de vsur. rei iudic.*

10. Siquidem certum est interesse alterius interesse non deberi, nec exigi posse, quando tractatur de eodem debitore & creditore; licet secus sit si mutantur personæ debitoris & creditoris: puta si quis tertius soluat pro alio debitum, & interesse iam decursum: quia quoad istum tertium soluentem, quidquid soluitur tam pro principali, quam pro interesse, est vera fors. *Cens. in tract. de censib. quæst. 33. num. 8. & 9. Franch. decis. 254. num. 11. cum aliis citatis per Giurb. decis. 24. num. 25. Camill. de Medic. consil. 86. num. 8. & sequentibus.* Cum igitur solutio interesse alterius interesse non possit subsistere quoad debitorem, & primum creditorem, cum quo nulla census venditio fuit celebrata; sed duntaxat cum tertio illo qui censum emit anno 1606. sequitur quòd respectu primi illius creditoris actus promissionis annuæ præstationis, pro tota summa in qua comprehensum erat interesse, nullus est, & per consequens incompatibilis cum primæua illa obligatione & sententiã: & ideo ex eo tanquam incompatibili inducta nouatio.

Verum quidem est, quòd poterat liberatarium, primo illi creditori censum annuum vendere, conflatum ex sorte principali, & redditibus decursis, si debiti fuissent in vim contractus censualis; vt in alio loco ostendimus: maximè cum Bulla Pij V. super censibus apud nos non sit vsu recepta: sed hoc factum non fuit inter debitorem, seu liberatarium, & primum illum creditorem: ideo semper remanet argumentum desumptum ex incompatibilitate.

11. Tertio quia quotiescumque fors principalis primæ obligationis mutatur in qualitate, vel augetur in summa; vt quòd ex redimibili fiat irredimibilis; aut è contra: aut quòd fors principalis augetur, vel alio modo alteretur: tunc dicitur nouata actio, nec ille ex cuius pecunia prior redditus redimitur, subrogatur in locum prioris creditoris: vt tradit Roderic. *de annuis redditibus. lib. 2. quæst. 16. num. 56. & 57.* hoc autem verificatur in casu proposito: quia debitum antèrius erat debitum simplex, neque redactum in annuum censum, nec ex tali debito vllus annuus redditus

debeatur, cum debitum conuersum esset in pecuniam, quæ fructus non reddit: nec dicta creditrix quæ olim erat anterior, posset prætere aliud interesse sub eo prætextu quòd ageretur de dote; cum eius matrimonium mariti morte solutum esset. *Gratian. discip. 244. num. 1.* Neque interesse debitum vigore statuti Auenionensis, quo adiudicatur creditori interesse ad rationem septem pro quolibet centenariò die oppositionis formatæ per debitorem poterat præterendi; cum lis esset finita per sententiã, & transactiones; quo casu nullus potest esse locus petitioni illius interesse statutarij. Quamuis etiam multi existimant statutum illud esse nutritium peccati, & illicitum, (quod tamen non credimus, cum videntibus & scientibus Superioribus semper fuerit hucusque obseruatum, & executioni demandatum:) tamen hoc certum est † illud interesse in vim dicti statuti ad iudicari non debere, quando creditor fuit negligens in exactione sui crediti principalis, quod poterat exigere; prout in hoc casu in quo aderat res iudicata. *Lup. in tract. de vsur. comment. 1. §. 4. num. 91. colum. 4. in princip.* Ideo si creditor non adhibeat omnem diligentiam vt creditum suum consequatur, & nihilominus interesse illud statutarium exigat, incidit in crimen vsuræ. *Menoch. consil. 441. num. 29. 30. & 31.*

Non potuit etiam in casu de quo agitur haberi ratio alicuius interesse, in vim *l. curabit. Cod. de action. empt.* † Quia licet cessionario venditoris de iure detur actio ad petendum huiusmodi interesse, in casibus in quibus cedenti debebatur, ex *Cagnol. in d. l. curabit. num. 44. Surd. consil. 269. num. 5. Cancr. lib. 3. variar. resol. cap. 7. num. 12. Roderic. de ann. redit. lib. 3. quæst. 7. num. 87.* Tamen illud interesse peti non potest; nisi habita ratione ad fructus ex re vendita prouenientes. *Rot. decis. 132. num. 2. part. 4. recent.* *Cagnol. & alij in d. l. curabit.* & sic ad rationem quatuor pro quolibet centenariò, prout ad summum in his partibus ascendunt pensiones domorum. † Quamobrem ratione augmenti & alterationis tam sortis principalis, quæ fuit aucta, quam redditus qui fuit promissus ad rationem septem pro quolibet centenariò; sequitur inductam fuisse nouationem: vt notat *Galp. Roderic. de ann. redit. lib. 2. quæst. 16. num. 56. & 57. & faciunt tradita per eundem num. 53. versic. in contrarium.*

Quarto aduertendum est, quòd ratione interesse decursi, & non soluti, oportet fuisse inductam nouationem, quæ in casibus in quibus non induceretur quoad principales summas, saltem inducitur quoad repetitionem vsurarum: per text. *in l. nouatione. Cod. de nouat.* † Et quamuis textus ille loqui videatur de vsuris odiosis; tamen idem locum etiam habet in fructibus debitis in vim *d. l. curabit.* vt probat text. *in l. emptor. & ibi Bartol. ff. de nouat.* quem citat & sequitur *Surd. consil. 269. num. 18.*

Quinto, quia obligatio & cessio iurium tradenti pecunias non fuit facta ratione totius debiti, sed restricta ad certam summam: vt patet ex illis verbis *cedè ses droièts pour ladicte somme,* & sic pro summa duntaxat recepta: idcirco cum cessio iurium sit limitata ad ipsam sortem, & summam pro sorte solutam; non potest extendi ad interesse postea decursum. *Rip. in l. priuilegia. num. 15. versic. aut pro sorte. ff. de priuileg. credit.* *Barbol. ff. solut. matrim. part. 3. l. 1. num. 18. versic. sed si pignora. & versic. neque obstat.* *Surd. de aliment. tit. 9. quæst. 31. num. 73. Hering. de fideiussorib. cap. 24. num. 134.*

Sexto, quia regula quòd interesse eandem habeat hypothecam cum debito principali, tunc demum locum

cum habet, quando tale interesse procedit immediate ab eodem capitali; quod non verificatur in casu proposito: quia non agebatur de extinguendo debito, quod ex se fructiferum esset, agebatur enim de debito in diem consistente in pecunia: imò vt dictum est, in toto globo summæ de pecuniis creditis solutæ, adiecta quoque fuerunt intervfuria vigore statuti adiudicata, ex quibus non poterat præstari interesse nisi respectu illius tertij, qui pecunias dedit ad censum & sic interesse ex alio interesse debitum non procedit ex facto, seu ex iure primi creditoris; sed ex facto illius tertij qui pecunias dedit ad censum: & per consequens cum non procedat immediate à credito, & primo illo capitali, non potest habere eandem hypothecam: & ideo quia non agebatur de summis principalibus quæ iam erant solutæ, sed de prælatione quoad census debitos huic pecunias danti; bene conclusum fuit hypothecam illius non esse computandam à die primæ illius obligationis, sed à die contractus census, qui fuit tantum celebratus anno 1606. vt iam dictum est. *Surd. decis. 271. num. 11. Mastril. decis. 119. num. 11. Donat. Anthon. de Marin. variar. resol. cap. 76. num. 10.* vbi ita decisum fuisse testatur.

Et cum agatur de redditibus annuis, debitis tantum ex facto pecunias dantis ad censum, qui antea non debebantur; cessabit in illis regula, quod accessorium sequitur naturam sui principalis: quia isti redditus non dependent ex antiquo credito; cum ex eo nulli fructus debeantur; sed ex nouo contractu per istum creditorem census celebrato. † Maximè cum annui redditus debeantur per se, & principaliter, & non per modum accessorij. *Gratian. discept. 206. num. 19. & 20. Rot. diuers. decis. 687. part. 3. lib. 3. Camill. de Medic. consil. 86. num. 15.*

Septimò, quia per sententiam continentem calculationem vtriusque crediti duorum creditorum concurrentium super domo subhastata, & distributionem illius pretij inter ipsos, adiudicato credito integro anteriori, & residuo prerij assignato in partem crediti posteriori, interuenit delegatio. † Quia liberatarius fuit solus oneratus illis summis; & debitor ille, cuius bona fuerant posita sub hasta, fuit liberatus; ita vt creditum iam non fuerit amplius primi illius & antiqui debitoris, sed fuerit omninò transfusum in liberatariu: ex doctrina Bartol. in l. singularia. 13. n. 18. & 19 ff. si cert. petar. Cens. de censib. quest. 105. num. 9. *Rot. decis. 238. num. 2. & 3. post dictum tractatum.* Cum enim liberatarius fecerit debitum proprium. consentiente & acceptante primo creditore; satis dicitur nouata obligatio: ex traditis per *Surd. decis. 22. n. 5.*

21. & 6. *Francisc. Marc. decis. 1064. num. 3. part. 1.* † Nam creditor consentiens bona liberari plus & vltimò offerenti, absque numeratione pecuniæ; videtur tacite suam hypothecam, quam habebat super bonis sui debitoris, extinxisse; & eam transfuisse ad bona propria liberatarij. *Rot. decis. 284. num. 2. part. 3. recent. & faciunt tradita per Hieronym. de Leo, decis. Valent. 70. maximè num. 11. part. 1.* Et ex his concludendum est istum, qui pecunias dedit pro dimittendo primo creditore, non succedere in eius hypothecis saltem quoad census ad eius fauorem creatos, & decursos, aut decurrendos.

22. Non obstant quæ in contrarium deducta fuerunt; & primò quod dicitur de l. 1. *Cod. de his qui in prior. credit. loc. succed.* quia ille textus omissis aliis responsionibus) non procedit, quando actio primi creditoris dimissa, fuit nouata; tunc enim prioris creditoris hypotheca non transfunditur in soluentem; cum iam fuerit extincta per nouationem. *Roderic. de ann.*

redit. lib. 2. quest. 16. num. 56. quod autem nouatio interuenerit, superius abundè probatum est.

Ad secundum: Verum est quod qui prior est quoad sortem, prior etiam est in vsuris, seu interesse; quando illud interesse pendet ab eodem fonte: sed in casu isto non potest deberi interesse ex antiquo credito, sed duntaxat ex nouo contractu census: ergo ex illo duntaxat nouo contractu oritur hypotheca, non ex antiquo: vt iam demonstrauius, & probat *Anton de Marin. dict. cap. 76. num. 10.*


Ad tertium responderetur, opinionem illam Peregrini, Pascalis, & Milanensis esse valde dubiam; quam impugnat *Seraph. decis. Rota Roman. 481.* vbi quod pro fructibus dotis decursis, bona fideicommissio supposita alienari non possunt; sed duntaxat pro sorte principali. *Ricc. collect. 1437. part. 4.*

Et in similibus terminis, quod is qui dedit pecunias, vt creditum quod sub cambio debebatur, extingueretur; posterioribus creditoribus, pro sorte principali duntaxat non autem pro cambiis secundis, præferatur; tradit *Scacc. de commerc. & camb. §. 2. gloss. 5. num. 409.* qui deinde propositis difficultatibus in eadem remanet sententia *num. 417.* † & *Fusar. in tract. de subst. quest. 531. num. 43.* illam Peregrini sententiam tunc demum locum habere vult, quando creditor dotis non fuit negligens in exigendo dotem: aliàs stante negligentia, ipsi imputandum esse existimat.

Verum est tamen quod *Rota Rom.* censuit, quod non obstante distinctione illa, an maritus negligens fuerit in exigendis dotis fructibus; an verò debita diligentia vsus sit; indistinctè potest petere se immitti in possessionem bonorum fideicommissio suppositorum, in vim *Saluiani interdicti*, quod non datur ad fines alienandi proprietatem; sed vt satisfiat creditori de fructibus: vt fuit decisum coram *Coccino in Romana Fructuum dotis. 12. Maij, 1625. in recent. decis. 607. num. 7. & sequentib. part. 4. tom. 3.*

Cum igitur dicta quæstio sit admodum controuersa; alio modo responsum fuit: nempe casum propositum esse diuersum ab obiectione proposita: quia in illis casibus agebatur de debito fertili, ex quo fructus debebantur; cum tamen in casu isto agatur de debito pecuniario conflato ex sorte principali, maiori valore monetarum, & ex fructibus decursis. & in vnam summam coaceruatis, ad debitum pecuniarium redactis. Vnde in casibus in argumento notatis, facilius transmittetur in tertium soluentem, ius percipiendi fructus, quod iam erat formatum in persona creditoris, & non erat extinctum per nouationem; prout in casu de quo agitur: nec in illis casibus cessio erat limitata ad certam summam, prout hîc, dum iura ceduntur duntaxat *pour laditte somme*: & sic non extenditur ad fructus, vt supra ostensum fuit.

Et ex his post magnam contentionem fuit iudicatum extinctas, & nouatas fuisse primi illius creditoris hypothecas. Multa notatu digna circa materiam præsentis controuersie tradit *Merlin. controuers. forens. part. 2. cap. 36. per totum.*



CAPVT XXII.

Quando bona debitoris fuerunt subhastata, & liberata plus & vltimò offerenti; vtrum debitor qui vult impugnare executiones, audiatur non soluto debito liquido, & data cautione pro illiquido. Quid si debitor adhuc possideat, & executiones nondum sint consummatæ.

S V M M A R I V M.

1. *Debitorem impugnantem executiones non esse audiendum, nisi oblato debito pro quo facta fuit liberatio, multi existimant. Alij in contraria sunt sententia. num. 2.*
3. *Factum Iudicis, est factum partis; & si Index nulliter procedit, dicitur spoliare sicut pars.*
4. *Quando Index in executione nulliter processit, talis processura non potest iustificari ex nouiter deductis, etiamsi de nouo esset concedenda.*
5. *Datur actio spoliij aduersus eum qui possidet ex liberatione nulliter facta, etiam nullâ factâ debiti oblatione, in odium spoliatoris ex stilo Rota, & Curiarum Auenionensium.*
6. *Quando executio nondum est consummata, & debitor adhuc possidet, facilius audiendus est; neque tenetur offerre debitum creditori.*
7. *Explicatur doctrina Cod. Fabriani, & Surdi, circa restitutionem debiti faciendam ab eo, qui liberationem bonorum arguit nullitatis.*
8. *Quando executio est consummata, & liberatarius missus est in possessionem; is qui impugnat liberationem, tenetur restituere in primis debitum, pro quo facta fuit liberatio.*
9. *Intellige vt hoc locum habeat, si agatur ad nullitatem liberationis iudicio ordinario; secus si agatur actione spoliij: tunc enim debitor non tenetur offerre, nec soluere debitum, pro quo liberatio facta fuit.*
10. *Præterea debitor non tenetur soluere suo creditori summam, pro qua subhastata fuere bona, quando creditum non est certum, & liquidum; sed patitur aliquam dubitationem.*

1. **Q**uæstio est in vtramque partem disputabilis, vtrum peractâ subhastatione; & præsertim subsequutâ missione in possessionem, debitor agens ad nullitatem liberationis bonorum de pignore captorum, audiatur non restituto prius pretio, quo liberatio facta fuit. In qua reperiuntur plures Senatus Sabaudia decisiones, aduersus debitorem; vt non restituto pretio audiendus non sit: vt patet apud Anthon. Fabr. lib. 8. Cod. tit. de distract. pignor. definit. 4. num. 5. Vbi deciditur, si subhastatio nullitatis vitio laboret ob non seruatum statuti formam; præclusam esse viam debitori totum pretium non offerenti, impugnandæ subhastationis; si modo eam pro debito factam esse appareat: cum non tam imputari possit creditori, quod statuti formam non obseruauerit, quam debitori quod non soluerit; quandoquidem si soluisset, nullus hodie locus relinqueretur disputandi de validitate subhastationum. Idemque Author repetit d. lib. 8. tit. 17. debit. vendit. pign. imped. non posse, definit. 1. vbi dicitur debitorem non solum pignoris venditionem impedire non posse, sed nec vllum vitium venditionis obiicere, nisi soluto prius debito liquido, & datâ idoneâ satisfactione pro non liquido. Et iterum eodem lib. 8. tit. 16. definit. 20. idem concludit, si facta fuerit pignoris liberatio, & publica additio: licet debitorem illo casu citandum esse dicat; non tamen audiendum nisi prius fiat immissio in possessionem. Quod & alijs in locis repetit. Similiter Surd. consil. 39. num. 24. eiusdem est sententiæ; vt si debitor nullam dicat executionem, audiendus non sit nisi actualiter totum debitum numeret. Idem tradit Neuzanus consil. 77. numer. 2. Roland. consil. 32. numer. 16. & 17. volum. 1. Gratian. discept. forens. cap. 16. num. 38.


In contrarium verò plures DD. existimant debitorum agentem ad nullitatem subhastationis, audiendum esse, etiam non soluto debito; & creditorem opponentem de illa exceptione, aut emptorem sub eo prætextu asserentem sibi competere ius retentionis, esse repellendum: huiusque sententiæ ratio est; quia cum factum Iudicis, sit factum partis; sicut pars quæ nulliter procedit, spoliatur; ita & Index spoliare dicitur, datûrque actio spoliij si iudex nulliter ad subhastationem processerit. Ludouif. decis. 43. num. 2. decis. 105. num. 5. decis. 198. num. 2. & 362. num. 4. Ita vt talis processura non possit iustificari, & confirmari ex nouiter deductis, etiamsi de nouo esset concedenda: vt in dicta decis. 105. apud Ludouif. numer. 11. & in recent. decis. 85. numer. 4. part. 2. vbi plures aliæ decisiones allegantur; & hanc esse veriorum & in praxi receptam sententiam testatur Mangil. de subhastat. quæst. 52. num. 25. & 26.

Verissimum igitur est, & stilo Rotæ Romanæ ac Curiarum nostrarum conforme, quod etiam pignoris publicâ distractione factâ, audiendus est debitor; & si nullitas interuenerit, vti spoliatus in primis restituendus est, & repellendus creditor si prius sibi debitum solui postulet: quia subhastatio facta in vim processus nullitate laborantis, non priuar debitorem sua possessione, nec impedit manutentionem, si debitor non se habuerit pro spoliato. Rota apud Postium, decis. 319. num. 6.

Sed pro integra huius quæstionis resolutione; notandum in primis est, magnam esse differentiam inter debitorem se se opponentem, nondum perfectis & consummatis executionibus; & eum qui post perfectas executiones agit ad nullitatem subhastationum. Nam primo casu; debitor non actoris, sed rei personam sustinet: ideo facilius quam in secundo casu, in quo actor est, admitti debet ad iudicium, etiam non soluto debito; cum nondum pignoris adiudicatio facta est; quod & statuto aut stilo nostro, & iuris communis dispositioni conforme est: & tenuit idem Faber in Cod. lib. 7. tit. 20. de execut. rei iudic. definit. 26. n. 7. dicens imputandum quidem esse debitori, si debitum non offerat, dum agit ad nullitatem, sed hoc obtinere cum debitor aliquid petere vult; non, dum conuenitur: & in effectu DD. omnes supra citati loquuntur in terminis adiudicationis, & liberationis perfectæ, & consummatæ: vt videre est apud Fabrum, Surd. & alios in locis supra citatis eodem modo plures alij loquuntur, dum agitur de retractanda venditione iam facta, vt Giurb. decis. 105. num. 7. Gamma decis. 40. num. 1. & decis. 77. num. 1. & probatur per text. in l. 1. Cod. si vendit. pign. agatur in illis verbis: *dolo malo fundum venaidisse, & in l. 3. Cod. si aduers. fisc. restit. postul.* Vbi is qui vult retractare pignoris venditionem, & additionem factam, non auditur nisi prius restituto pretio. Bald. in d. l. versic. nota ex hac lege. Vbi dicit quod ille qui petit rescindi contractum, tenetur in primis restituere debitum, cuius occasione contractus fuit celebratus.

Secundo notandum est, dictam Fabri, Surdi, & aliorum sententiam locum habere, & esse veram, quando creditor conueniretur conditione indebiti, aut alio remedio ordinario; secus si debitor intentaret actionem spoliij, aut remedium reintegrandæ, propter nullitatem subhastationis, aut executionis: hoc enim casu non tenetur debitor offerre, aut soluere debitum, sed spoliatus in primis & ante omnia restituendus est. Gratian. discept. forens. cap. 734. num. 24. ita vt possessor non possit hoc casu vti remedio retentionis. Hodiern. ad Surd. decis. 46. num. 12.

10. Tertiò notandum est prædictam Fabri, & aliorum sententiam, locum habere duntaxat, quando debiti pro quo facta fuit liberatio est verum, liquidum & indubitatum; secus si sit dubium, vel turbidum: tunc enim non datur possessori retentio sub prætextu debiti non restituti. Gratian. d. cap. 734. num. 13. ubi dicit quòd creditum dicitur indubitatum, quando de eo constat per confessionem partis, vel per rem iudicatam. Rot. decis. 409. num. 5. part. 1. recent. Hodiern. ad dictam decis. 46. num. 3.



CAPVT XXIII.

Vtrum ius prælationis competens domino directo, alteri cedi, & per cessionarium subcedi possit: Et pendente lite super iure prælationis, vtrum emphyteuta possidens agere possit pro libertate domus, & exemptione à seruitute prætensa per vicinum, qui iure prælationis sibi cesso vult uti. Cessio iuris prælationis ratione venditionis proximè faciendæ, quomodo intelligi debeat. Si Dominus directus post cessionem iuris prælationis, emphyteutam ante denunciationem cessionarij inuestiuerit, vtrum cessionarius excludatur à iure prælationis. Quæ expensæ restituendæ sint per eum, qui vult exercere ius prælationis.

S V M M A R I V M.

- 1 Vtrum ius prælationis secundum iuris communis dispositionem alteri cedi queat.
- 2 Ex generali Comitatus Venayssini consuetudine, ius prælationis cedi potest.
- 3 Camera Apostolica in Comitatu Venayssino cedit ius prælationis etiã pro predys franchis. Intellige quæ de dominio directo Camera mouetur franco modo: namin merè allodialibus cessat dominium directum, & per consequens retentio feudalis.
- 4 In pluribus alijs locis consuetudo viget cedendi ius prælationis dominicale.
- 5 In Galliã licet Rex non utatur iure prælationis, illud tamen alteri cedere solet.
- 6 Cessionarius domini directi, alteri ius prælationis cedere potest.
- 7 Emptor possidens, qui intentauit iudicium pro obturatione fenestrarum, contra vicinum qui ius prælationis obtinuit à Domino directo, (cum apud nos Bulla iuris congrui non obseruetur) potest iudicium suum continuare non obstante lite mota super retentione.
- 8 Iudicium possessorium competit pro mantentione libertatis naturalis, contra prætendentem seruitutem.
- 9 Cessio iuris prælationis pro venditione proximè futura sortitur effectum, etiamsi post multos annos & non antea casus eueniat.
- 10 Inuestitus à Domino directo excludit cessionarium iuris prælationis. Limita vt numeris sequentibus.
- 11 Dispositio l. quoties. Cod. de rei vendic. locum etiã habet in iuribus incorporalibus, quæ sunt corporalibus annexa.

- 12 Dispositio l. quoties. non habet locum quando cessio fuit roborata iuramento & hypotheca bonorum.
- 13 Si conductor exegerit laudemium, Dominus excluditur à iure prælationis.
- 14 Si conductor qui alium sibi associauit, dederit inuestituram; associatus excluditur à iure prælationis.
- 15 Quamuis dominus directus cesserit ius prælationis, retinet directas actiones; ideo illi laudemium rectè soluitur, nisi internenerit vnum ex requisitis in l. 3. Cod. de nouat.
- 16 Quomodo consulere sibi debeat cessionarius iuris prælationis, ne præueniatur.
- 17 Per consensum alienationi præstitum excluditur ius prælationis.
- 18 Si duo sint eiusdem rei domini directi; potest vnus pro parte sua retinere.
- 19 Quid iuris si ageretur de pluribus domunculis vnitis.
- 20 In casibus in quibus locus est iuri prælationis, dominus, aut eius cessionarius debet restituere pretium exbursum, & in quibus casibus agi possit de laudemio restituendo.
- 21 Qui ex speciali iure non soluit laudemium, non repetit aduersus retrahere volentem.
- 22 Restitui debent canones solui.
- 23 Item expensæ instrumentorum.
- 24 Deciditur controuersia circa expensas proxenctis soluas.
- 25 Quid de expensis factis in subhastatione bonorum.
- 26 Restituuntur munera uxori venditoris data.
- 27 Item quod dicitur le pot de vin.
- 28 Item expensæ pro habendo consilio pro securitate venditionis.
- 29 Quid de meliorationibus. Remissiuè.

Varia inter Nobilem quemdam emptorem domus, & quemdam alium qui à domino directo eiusdem domus obtinuerat sibi cedi ius prælationis super eadem domo competens: propositæ fuerunt aliæ valde practicabiles controuersia.

Primò quæsitum fuit, vtrum obtineri potuerit cessio iuris prælationis à domino directo. Secundò, vtrum cessionarius iuris prælationis, ius suum alteri subcedere potuerit. Tertiò, vtrum emptor qui intentauerat contra vicinum iudicium, pro obtinenda obturatione fenestrarum, teneatur à sua actione desistere sub eo prætextu, quòd iste vicinus obtinuerat cessionem dicti iuris prælationis: & vtrum vna actio sit alteri præiudicialis. Quartò, quia ius prælationis cessum fuit cum illa clausula, pro venditione proximè faciendâ; vtrum illa verba intelligi debeant de venditione faciendâ post aliquot menses, vel annos; non autem de ea quæ facta fuit post longum temporis interuallum, puta post 39. annos. Quintò, vtrum emptor domus qui obtinuit inuestituram à vero domino directo, sit tutus aduersus cessionarium cessionarij iuris prælationis. Sextò, stante quòd adsunt duo domini directi eiusdem domus, quorum vnus inuestituram concedit, alius recusat; vtrum vnus admittatur ad retractum feudalem alio inuito. Septimò, quatenus locus esset retractui; ad quas expensas & melioramenta teneretur dominus directus, vel eius cessionarius vtens iure retentionis. Quarum quæstionum resolutio ex sequentibus conclusionibus elici poterit.

Prima conclusio: secundum iuris communis dispositionem controuersa est quæstio, vtrum ius prælationis alteri cedi possit: in qua tamen affirmatiuam tenuit Bacquet des droicts de iustice cap. 12. num. 9.

Bouuot, *en ses questions notables. tom. 2. in verbo retentione. quæst. 4.* Griuel. *decif. Dolana 45. per totam;* quam controuerſiam tractant Guid. Pap. *decif. 411.* Roſent. *de feud. cap. 9. conſul. 42. num. 7. & ſequentib.* Franc. *decif. 226.* Amedæus à Ponte *quæſt. laudem. 13.* Cyriac. Niger. *controuerſ. 254.* cuius inueſtigatio nobis non eſt neceſſaria, ſtante conſuetudine de qua in ſequenti conſiſtione.

2. Secunda igitur conſiſtione eſt, ex generali conſuetudine Comitatus Venayſſini, dominos directos ius prælationis aliis cedere poſſe, de qua conſuetudine Comitatus Venayſſini teſtatur Franciſc. Marc. *part. 2. dec. 2.* vbi idem quoque obſeruari aſſerit in vicino Auraïcenti Principatu. Idem teſtatur Dominus Ludouic. Bell. *concl. 209. n. 2.* & nos ita paſſim obſeruauimus, & obſeruari fecimus quoad bona ſita intra dictum Comitatum: Nam in Ciuitate Auenionenſi & bonis ibi ſitis, obſeruandum eſt Statutum, *lib. 1. rubric. 72. de iur. emphyteut. artic. 28.* cuius hæc ſunt verba: *Ceterum nolumus quod conductores & emproes primi laudimij, poſſint vti iure retentionis, etiamſi hoc à dominis directis expreſſè conſeſſum eſſet.*
3. Eadem autem conſuetudo cedendi iura retentionis feudalis, dominis directis competentia, locum habet etiamſi dominium directum pertineret ad R. Cameram Apoſtolicam: vt teſtis eſt Bertrand. I. C. Carpentoractenſis *conſil. 190. vol. 4.* vbi dicit hoc procedere quoad prædia franca; quod intelligendum eſt de prædiis franchis à cenſu, ſuppoſitis tamen dominio directo Cameræ, vel alterius domini: nam ſi eſſent prædia merè allodialia, & ab omni dominio directo libera, prout plurima ſunt in multis locis Comitatus; tunc ceſſaret ius prælationis feudalis, quod habet neceſſariam dependentiam à ſolo dominio directo, & fundatur in *l. fin. Cod. de iur. emphyt.* ergo vbi non eſt dominium directum, ibi ceſſat retentio feudalis.
4. Pluribus etiam in Gallia locis idem conſuetudine introductum eſt, vt ſcilicet dominus directus vti poſſit iure prælationis tam per ſe, quam per ceſſionarium: vt in Prouincia Prouinciæ refert Claper. *cauſa. 100. n. 10. q. 1.* & in aliis multis prouinciis Charond. *lib. 3. reſponſ. 22. & lib. 7. reſponſ. 198.* Cod. *decif. forenſ. lib. 4. tit. 22. decif. 111.* † & licet Rex non ſoleat vti iure prælationis, illud tamen alteri cedere poteſt, Maynard. *lib. 4. cap. 34. & lib. 8. cap. 20.* vbi explicando dictam deciſionem 411. Guidonis Papæ, dicit verum eſſe quod ius prælationis non poteſt quidem in totum cedi, & omninò abdicari & ſeparari à dominio directo; ſed tantum pro illa vice, remanente radicali poteſtate retrahendi penes dominum directum. Similiter & in Cathalonia ius iſtud prælationis alteri cedi poſſe de conſuetudine; aſſerit Cancer. *parte 1. variar. reſol. cap. 11. num. 49.*
6. Tertia conſiſtione: ſicut dominus directus ius ſuum ex conſuetudine prædicta alteri cedere poteſt; eodem modo ceſſionarius domini directi, ius iſtud ſibi ceſſum alteri concedere poteſt: probatur; quia ius ſemel ceſſum, efficitur perpetuò ceſſibile. *l. pater. §. quindecim. ff. de legat. 3.* Ita tenet Claper. dicens ita fuiſſe iudicatum *caſu. 69. quæſt. 3. in fin.*
7. Quarta conſiſtione: empor domus poſſidens vigore inueſtituræ ſibi per verum dominum directum ceſſæ, attento quod priùs intentauit iudicium poſſeſſorium pro obturatione fenestraſtium vicina domus; non poteſt retardari proſequendo iudicium manutentionis in quaſi poſſeſſione libertatis, aduerſus vicinum prætendentem ius prælationis ſibi ceſſum: quia quæſtio prælationis requirit altiorem indaginem; & cum in ſummariffimo poſſeſſorio nudum factum attenda-

tur, interim lite pendente ſuper iure prælationis valde turbido, manutentionis eſt in quaſi poſſeſſione libertatis: maximè cum vicinus dictas fenestraſtium precario nomine poſſideret † ſiquidem dantur remedia poſſeſſoria pro manutentione libertatis naturalis, aduerſus prætendentem ſeruitutem. Bald. *conſil. 414.* factum tale eſt. *lib. 2. Alexand. conſil. 92. num. 10. verſic. fortiſico. lib. 5. Tuſch. liter. V. conſul. 64. n. 1.*

Quinta conſiſtione: ceſſio iuris prælationis pro venditione proximè futura, comprehendit omnem venditionem quæ fiet primo loco, etiamſi fiat poſt longum temporis interuallum. Proximum enim dicitur id quod nihil habet à quo præcedatur, & quod nullum admittit medium inter duo diſcreta: vt poſt Bald. *conſil. 246. lib. 5.* dicit Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 161. num. 10.* Barboſ. *de dictionib. cap. 197. num. 2.*

Sexta conſiſtione: qui à domino directo fuit inueſtitus, & laudemium perſoluit eidem; præferri debet ceſſionario iuris retractus, quamuis ipſe ceſſionarius à domino directo cauſam habeat. Probatur, quia quoties duobus aliquid conceditur, ille præferendus eſt qui prius poſſeſſionem adeptus eſt. *l. quoties. Cod. de rei vendic.* ſiquidem ex illa ceſſione nullum ius in re acquiritur; ſed ſola actio perſonalis, aut in omnem euentum ſola actio ceſſionaria, quæ nullum ius tribuit; ſed ſolum actionem realem, ad conſequendum effectum illius iuris ceſſi: vt dicit Caſtrenſ. *conſil. 335. n. 5. vol. 1.* ſed ſequuta traditione & inueſtitura veri domini directi, cum reali & actuali immiſſione in poſſeſſionem, acquiritur ius reale, quod ſine dubio actione ſola ad prælationem petendam multò potentius eſt; vt deciſum teſtatur in iſtis terminis Charond. *lib. 3. reſponſ. 6.* quia licet *l. quoties. Cod. de rei vendic.* videatur tantum procedere in rebus corporalibus; † Nihilominus tamen, quia iura incorporalia ratione rei corporalis competentia, cum ipſis corporibus poſſidentur; ideo qui rei venditæ poſſeſſionem prior adeptus eſt, ei qui ius prælationis priùs obtinuit præferendus eſt: vt vltra Charond. *loc. cit.* deciſum refert Pap. *lib. 11. tit. 6. arreſt. 9.* & ibi Adden. Maynard. *lib. 1. cap. 61.*

Sed tamen aduertendum eſt iſtam rationem elidi poſſe, ſi ſupponamus in contractu ceſſionis iuris retractus adhibituſi fuiſſe iuramentum, prout ſolet adhiberi in omnibus contractibus iuncta bonorum domini directi hypotheca, tunc enim ceſſat regula dicta *l. quoties.* ex traditis per Cenſum in tract. *de cenſib. qu. 68. n. 5.* Viui. *opinion. 1029. num. 8. in fin.*

Quamuis multum facere videatur pro huius rationis confirmatione, quod dicitur de Colono, cui ius exigendi laudimia conſeſſum eſt reſeruatà domino inueſtiendi & retrahendi facultate; ſi tamen empor fuerit diligens in ſoluendo laudimium colono, vel etiam vſufructuario ad quem de iure laudimia ſpectant; dominus directus exclusus remanet iure prælationis: vt docet Ferrer. *in noua addit. ad Guid. Pap. decif. 477.* quæ additio incipit *ſed hanc quæſtionem,* in fine illius additionis, *verſic. ſed in hac cauſa.*

Item ſi duo ſint ſocij in conductione, quibus competit ius retractus feudalis; vnus autem inueſtituram ceſſerit, & laudemium receperit; non poteſt alius ſocius in dicta conductione vti iure prælationis: vt fuit deciſum in Senatu Dolano apud Griuel. *decif. 116.*

Cæterum, diuerſa eſt ratio deciſionis huius Dolanæ, cum caſu conſiſtione noſtræ. Ibi enim repellatur ſocius à iure retentionis; quia is qui laudauerat recipiendo laudemia, vel laudare & inueſtire paratum ſe dicebat, erat conductor principalis, qui à domino directo immediate ius & cauſam habebat: alius verò recusans erat ſocius, ab ipſo conductore deputatus; ideo

ideo potior declarata est illius causa, qui à principali conductore inuestituram habebat: hæc autem ratio longè abest à casu proposito.

15. Vera ergo conclusionis nostræ ratio ex eo petenda est, quòd licet Dominus cesserit alteri ius prælationis; adhuc tamen remanent apud ipsum actiones directæ: unde si non interuenerit denuntiatio, & intimatio cessionarij iuris prælationis, antequam laudimium fuerit solutum domino directo, aut interuenerit vnum ex tribus de quibus in l. 3. Cod. de nouat. solutio facta habenti actiones directas, liberat soluentem; & per consequens soluto legitimè laudemio, non est amplius de iure prælationis tractandum, saluo regressu cessionario, si aliquod interesse prætendat aduersus dominum directum cedentem: & hac ratione nititur Ferrer. ad d. quæst. 477. † Quamobrem consultius facturum esse reor cessionarium, si diligentiorum se præbeat, & cessionem suam quantò citius emptori denunciari curet: hoc enim factò, non admittetur domini inuestientis præuentio: vt notat *ibidem* Ferrerius.
16. Septima conclusio, is cui ius prælationis feudale proprio vel cello iure competit, ab hoc iure excluditur, si tacitè vel expressè alienationi consensum præbeat: ita decidit Faber. in Cod. lib. 4. tit. 42. de iur. emphyt. definit. 49. Redoan. de reb. Eccles. non alienand. quæst. 79. cap. 9. num. 24. vbi quòd in emphyteuticis scientia domini habetur pro consensu cum taciturnitate, si præsens fuerit alienationi, & non contradixerit; secus si expressè ius suum sibi saluum esse fuerit protestatus. Cald. de iur. emphyt. part. 3. de emphyt. extint. cap. 11. num. 10.
17. Octaua conclusio, si eiusdem rei duo sint domini directi, quorum vnus vult inuestire, alius verò retinere; quamuis magna sit inter DD. pugna: vera tamen resolutio est, posse illum ex duobus dominis, qui inuestire recusat, vt iure prælationis pro parte sua, si tamen emptor nolit reliquas partes vel cæteras res habere, velitque illas domino ius prælationis exercere volenti remittere; cogatur dominus omnes recipere, & totum pretium emptori restituere. Giurb. dec. 52. n. 8. versic. contrarium iuncto, versic. verum potest dominus. Grimaudet in traët. des retraicts. lib. 1. cap. 11. plures allegat Griuel. d. decis. 116. num. 2. Ludouic. Bellus consil. 136. num. 3.
18. Aduertendo tamen aliud esse, si ageretur de pluribus domunculis in vnam magnam redactis; tunc enim semper duo diuersa feuda, seu directa dominia remanent: vt notauit Giurb. loc. citat. num. 8. versic. quia non de pluribus: quia per coniunctionem plurium domuncularum non potuit fieri vnio directorum dominiorum in præiudicium domini; & hoc casu verius esse censuit Giurb. d. decis. 52. num. 20. in 5. conclusione. vnum ex pluribus dominis pro parte ad ius prælationis, seu retractus feudalis, admittendum; solutâ ratâ pretij parte, dummodo res commodam patriatur diuisionem: & hoc verum est per rationes & iura *ibidem* allegata, vbi alia ad hanc materiam concernentia in medium adducit.
19. Nona conclusio, in casibus in quibus locus est iuri prælationis, dominus directus retinens debet restituere emptori, pretium per eum exbursatum: de laudimis verò solutis non est quæstio; quia per receptionem laudimiorum, dominus se se exclusisset à iure prælationis, vt supra dictum est, huic tamen de laudimis restituendis quæstioni locus esset in casu 8. conclusionis, si vnus ex dominis pro parte sua inuestituram concessisset, alio retrahere volente: quo casu, cum emphyteuta cogere possit dominum, vt etiam partem alterius condomini directi dominio subdi-

tam retrahat; non solùm pretium, sed etiam laudimia alteri domino directo soluta restituenda sunt; sicut & in quolibet alio retractu consuetudinario vel conuentionali, pretium cum laudimis per emptorem solutis refaciendum est: per text. in l. debet 26. ff. de adilitio edito. debet enim emptor pecuniam recipere quam dedit, vel si quid accessionis nomine dederit: & in eadem l. versic. quid ergo. subiiciuntur hæc verba: *Quid ergo si vectigalis nomine datum est, quod emptorem quoque sequeretur, Dicemus hoc quoque restituendum: quia indemnis emptor discedere debet.* & per illum text. ita tenet Tiraquel. de retract. conuent. §. 6. glos. 2. num. 3. Rota Auen. decis. 26. † vbi notabilis casus deciditur, nempe cum ex statuti Auenionensis dispositione. lib. 1. rubric. 72. artic. 31. Si dominus directus requisitus de inuestiendo, retinuerit dies suos (qui sunt quadraginta ex dicto statuto) & lapsis illis diebus nihil dixerit, & postea requisitus intra diem non retinuerit, nec inuestituram concesserit; priuatur tam iure retentionis, quàm laudemio. Quæritur vtrum hoc casu ille cui competit ius reluendi, teneatur rem volens redimere non solùm pretium, sed & laudemia restituere emptori. Et deciditur ibi, quòd dominus redimens non tenetur emptori laudimia reddere: quia emptor illa non soluit. Boër. decis. 231. num. 5.


Secundò, debent restitui emptori canones emphyteutici, pro tempore præterito ante redemptionem, seu retractum persoluti: Bald. consil. 403. in princip. lib. 1. Tiraquel. loco citato, nempe de retract. conuent. §. 6. glos. 2. num. 21.

Tertiò, restitui debet emptori expensa instrumentorum per eum soluta Notariis. Chassan. in consuet. Burgund. rubric. 10. des retraicts. §. 1. verb. les frais raisonnables. num. 6. Nam licet dum tractatur de soluendo pretio, seu mercede instrumentorum, expensa pertineat ad emptorem, apud quem instrumentum remanere debet pro probatione iurium suorum: tamen quia emptor restituit instrumentum retrahenti, talis expensa ipsi restituenda est: si verò extractum non soluerit, indemnis tamen seruandus est erga Notarium: vt probatur per text. in dicta l. debet. 26. ff. de adilit. edito. ita vt emptor à quo fit retractus immunitus seruandus sit tam ratione expensæ instrumentorum, quàm eorum, quæ Notarius perere posset pro extractu tradito, vel tradendo: vt notat Tiraquel. in dicto traët. de retract. conuent. §. 6. glos. 2. num. 24.

Quartò, restitui debent emptori, à quo dominus retrahere vult, sumptus & expensæ factæ pro mediato-²⁴ribus & proxenetis. Glos. in d. l. debet. in verb. erogatum est. ff. de adilit. edito. quamuis super hoc nonnulli dubium moueant ex verbis dictæ l. debet. hoc enim ita demum deducitur, si ex voluntate venditoris datum: ceterum si quid sua sponte datum esse proponatur, non imputabitur; neque enim debet quod quis suo arbitrio dedit à venditore exigere. & per hæc verba videtur aliqua ratione Tiraquel. loco citato, quæstionem indecisam relinquere. dicto. §. 6. glos. 2. num. 22. nec non, de retract. consangu. §. 29. glos. 2. num. 8. & cogitandum relinquit num. 10. Ego tamen verissimum esse censeo, quòd etiam id quod in proxenetis expensum est, restitui debeat; cum satis dicatur ex necessaria causa solutum, quod mediatoribus & proxenetis solutum est; cum sine ipsis, vt plurimum, contractus perfectionem habere nequeant: solùm igitur procedit obiectio, si quid ultra modum legitimum, similibus personis solutum est: id autem etiam restituendum esse ultra citatos à Tiraquel. ostendit Cyriacus controuerf. 63.

15. num. 8. iuncto num. 2. versic. sed si quis ex contrahentibus. Gratian. discept. forens. cap. 343. num. 1. † Vbi etiam dicit restituendas esse expensas solutas pro subhatione bonorum qui redimuntur, si sub hasta vendita fuerint: qui tamen deinde num. 18. amplectitur eandem resolutionem per nos superius allatam; videlicet vt restituantur ea, quæ proxeneris iuxta morem & consuetudinem loci data sunt, non quæ ultra legitimum & consuetum modum; cum hæc causam habeant necessariam, & proxeneta potuisset emptorem cogere ad soluendum tale salarium: vt bene explicat *ibidem*, Gratian. num. 20. & 21. & ferè per totum illud caput.
16. Quintò restitui debent catenæ aureæ, vel munera vxori venditoris data: vt dicit Tiraquel. *de retract. consanguin. d. §. 29. glos. 2. num. 10. in fin. versic. sed si id verum sit.* maxime verò si id datum vxori fuerit, vt ratificaret quæ alioqui venditionem ratificare nolebat. Tiraquel. *ibidem* num. 11.
17. Sextò restitui debet quod Galli nuncupant, *le pot de vin*, hoc est munus quoddam quod datur illis, qui faciliorem apud Dominum, aut alium, venditionem reddiderunt. Chassan. *in consuet. Burgund. rit. 10. des retract. §. 1. in verb. les frais raisonnables, n. 5. Gaill. lib. 1. obseruat. 19. n. 10. versic. 2. requiritur.*
18. Septimò, expensæ factæ pro obtinendo consilio, pro forma & securitate venditionis. Tiraquell. *d. §. 29. glos. 4. num. 12.*

Denique restituendæ sunt per Dominum retrahere volentem omnes meliorationes necessariae; prout latè explicat Tiraquel. *de retract. conuent. §. 7. glos. 1. per tot.* & de his plura Censius, *in tract. de censib. quest. 66. num. 82. & multis sequentib.* qui in casu occurrenti adiri poterit.



CAPVT XXIV.

Si feudi concessio facta fuerit pro se, & liberis vtriusque sexus; ita tamen vt stantibus masculis, fœminæ non succedant; sed semper masculus primogenitus succedat; mortuis omnibus masculis, & feudo ad fœminam deuoluto, vtrum post eius mortem succedat masculus ex fœmina illa secundogenitus, ad exclusionem filix primogenitæ.

S V M M A R I V M.

1. Fœmina non admittuntur quandiu extant masculi, si ita loquatur inuestitura.
2. Ampliatur vt procedat in feudo alicui concesso pro se, & successoribus, tam masculis quàm fœminis: quia fœminæ admittuntur deficientibus masculis, & non aliis.
3. Si inuestitura vocaret masculos cum fœminis; uterque sexus admitteretur simul.
4. In inuestitura, in qua fœmina masculis deficientibus vocatur, masculus remotior fœminam proximiorē excludit.
5. In feudis non attenditur proximitas eius à quo vacat feudum, sed eius à quo incipit.
6. Masculus remotior ex altero latere iunctus, excludit fœminam proximiorē ex utroque latere iunctam, quando fœmine deficientibus duntaxat masculis sunt vocata.

7. Exclusio matris non præiudicat masculis ab ea descendibus, licet veniant à radice infecta.
8. Fœminâ semel admittâ ad feudum ob defectum masculorum, si postea nascantur masculi, vtrum cogatur illis feudum dimittere. Quæstio est controuersa.
9. Feudum semel effectum fœmineum, non impedit quin mortuâ fœminâ, masculi preferantur.
10. Fœmine multò magis per masculos excluduntur in feudo, ad quod ipsa masculis deficientibus vocatur, quando concurrunt masculus & fœmina paris gradus.
11. Existentibus fœminis, nullòque masculo, fœmina admittitur: sed tamen interim natura feudi obdormit, donec superueniat masculus, qui saltem succedit mortuâ fœminâ.
12. Controuersia magna est in successione feudi, quando masculi descendentes ex fœminis concurrunt cum masculis descendibus ex masculis; secus si cum ipsis fœminis ad successiōnem admitti postulent.

Insignis fuit anno 1633. & in Senatu Tholosano, concordibus omnibus Senatorum votis, decisa quæstio super successione feudi, in quo concessio facta fuerat inuestito pro se, & suis liberis vtriusque sexus; eâ tamen conditione adiectâ, vt stantibus masculis fœminæ non succederent, sed semper primogenitus masculus ab inuestito descendens ceteris præferretur: defunctis quippe masculis omnibus, à primo illo acquiretore descendentibus, sola superstes erat fœmina quæ successerat; hæc moriens vnâ reliquit fœminam ex priori matrimonio, & sic primogenitam, & masculum vnum secundogenitum quippe ex posteriori coniugio in lucem editum. Fœmina feudum ad se spectare asserbat, cum esset primogenita, vocatæ etiam fœminæ deficientibus masculis à primo acquiretore progenitis, & iam feudum fœmineum factum esset, quippe ad communem ipsorum progenitricem deuolutum. Masculus è contra, fœminas non nisi deficientibus masculis vocatas ex ipso in feudationis tenore; ideo sororem quantumuis primogenitam à feudi successione repellendam.

Ego masculi partes sustinui, & sententiam Dominorum Iudicum primæ instantiæ reuocandam dixi, 1. prout factum fuit. † Ratio est, quia licet verum sit tam ex tenore concessionis fœminas ad feudum illud admittendas, quàm ex iuris communis dispositione, deficientibus masculis, quando ita loquitur inuestitura; Alexand. *consil. 29. n. 5. lib. 1. Curtius iun. consil. 140. num. 2. Mastril. decis. 56. n. 2.* † Quod etiam locum habet 2. quando ageretur de feudo simpliciter concesso pro masculis & fœminis; tunc enim licet masculi excludant fœminas tamen deficientibus masculis admittuntur fœminæ. Clar. *in §. feud. quest. 73. n. 4.* † Nisi 3. fuisset facta concessio pro masculis cum fœminis: tunc enim coniunctim admitterentur: sed si pro masculis & fœminis; fœminæ veniunt ordine successiuo post masculos: vt *ibidem* Clarus ostendit.

Atqui tempore obitus matris quæ vltimo loco feudum obtinebat, aderat masculus iste quamuis secundogenitus, qui propterea ex natura feudi & ex pacto inuestituræ præferendus erat omnibus aliis fœminis, seu per virilem, seu per fœmineum sexum descendentibus, quantumuis gradu proximioribus, etiam propriæ matri; prout consuluere Calderinus, & alij sexdecim DD. apud Bald. *consil. 137. per totum. volum. 2.* † Quia in 5. feudis non attenditur proximitas respectu personæ illius à qua vacat feudum; sed respectu proximitatis illius à qua pactum & conuentio feudi inceptit.

Atqui attentâ conuentione, masculus iste quamuis esset descendens ex fœmina, tamen verè erat masculus descendens à primo acquiretore; & propterea quamuis illi proximior fuisset mater, & soror istius masculi esset primogenita; tamen primogenitura ista non erat attendenda respectu matris defunctæ, quæ feudum vltimo loco possidebat, ob deficientiam masculorum, sed respectu primi acquiretoris qui masculos præferri semper fœminis pactus est, & primogenituram masculinam excludere fœmineam: quod euidenter probatur per text. in cap. 1. de eo qui sibi & hered. suis. in vrb. foudor. vbi dicitur quod si vassallus pro se & heredibus suis masculis, & illis deficientibus, pro fœminis inuestituram acceperit, non succedit fœmina in feudo donec superest masculus descendens à primo inuestito, siue descendat per lineam masculinam, siue per fœmininâ: per quem textum valde motus fuit Senatus, nec non Domini Consulentes in Ciuitate Tho-

6. losæ pro masculo. † Idem tenuit apertè Rosent. in tract. de feud. cap. 7. cõcl. 39. n. 2. vbi in fortiori casu existimat masculum remotiorem ex fœmina descendentem, excludere fœminam proximiorẽ; quamuis masculus ex altero tantum latere iunctus esset, fœmina ex vtroque: & ita ad fauorem masculi remotioris à fœmina descendentis fuit iudicatum; vt eleganter testatur Peregrin. tract. de fideicom. art. 27. n. 5.

7. Tantâque est in simili inuestitura fœminatum exclusio, vt quamuis mater repellatur per masculos, illius tamen exclusio masculis ab illa descendentibus præiudicare non possit; licet à radice infecta descendant; quia filius non vocatur tanquam matris personam representans, sed ex persona, & iure proprio tanquam à stipite, seu à primo acquiretore descendens. Idem Peregrin. in propriis terminis consil. 5. n. 40. vol. 1. Denique pro masculis ex fœmina descendentibus, stat vera & communis Doctorum sententia, quam vltra citatos sequuntur Curt. iun. Socin. vterque, Ruin. & plures alij quos citat & sequitur Mart. de success. legal. part. 1. q. 4. art. 2. n. 14. & sequentib. Gratian. discept. forens. cap. 999. per totum.


8. Quod adeo verum est, vt multi DD. existimauerint in casu nostro fœminam semel ad feudi successionem admissam, ob defectum masculorum excludi per masculum postea natum; asserentes naturam feudalem dormire donec nascatur masculus, qui illam à somno suscitaret: quos citat & sequitur Mart. loco proxime citato. & Peregr. consil. 17. n. 4. vol. 1. Idem Marta consil. 6. num. 42. & 43. Quia tamen hæc quæstio est extra casus propositi fines, & est inter DD. controuersa; sufficit videre de ea tractâtes Molin. & ibi Addent. lib. 3. de primogen. c. 10. maxime n. 25. Rot. Roman. dec. 155. n. 6. & 7. part. 1. recent. Fachin. lib. 7. controu. iuris c. 41.

9. Quidquid ergo sit de hac quæstione, illud tamen certum est, quod feudum semel acquisitum per vnâ fœminam non debetur aliis fœminis, si masculus superueniat; quidquid aliqui DD. in contrarium dixerint: vt ostendit Rot. d. decis. 155. n. 8. part. 1. recent.

Et sane quomodo potest fœmina se primogenitam esse prætere, si propter masculi existentiam à successione repellatur: vnde ea videtur fuisse contrahentium mens vt cæteris partibus fœminæ primogenitæ præferantur, hoc est inter fœminas succedere volentes: similiter inter masculos, primogeniti secundogenitos excluderent, conseruatâ semper masculorum erga fœminas prælatione: si enim hæc non fieret interpretatio, sequeretur masculis existentibus, fœminas contra expressam conuentionem admitti, quod dicendum non est: Tiraquel. de primogen. quæst. 10. num. 18. & 19. Ferrer. ad Guid. Pap. decis. 506. Ioan. le Cirier, in tract. de primogen. quæst. 22. lib. 1. Rosental. qui plu-

res alios congerit in d. tract. de feud. cap. 7. conclus. 41. n. 14. † Quod indubitatum esse dicit, quando illi qui concurrunt sunt in eodẽ gradu, veluti frater vel soror.

Dum ergo fœmina ad feudum ob defectum masculorum admissa est, non fuit extincta natura feudi ex pacto & prouidentia; sed obdormiuit donec masculus superueniret, qui saltem extinctâ fœminâ quæ vltimo loco possidebat, omnes alias fœminas, siue proximiores siue remotiores etiam primogenitas excludit: per text. rotundum in d. cap. 1. de eo qui sibi & heredibus suis, & ibi Glos. & communiter DD. Card. Mantic. de coniect. vlt. volunt. lib. 8. tit. 18. num. 5. versic. sed si feudum. & pro hac sententiâ 32. Doctores allegat Rosent. in d. tract. de feud. cap. 7. conclus. 40. num. 10. & in glossa. K. eandemque simpliciter sequitur Peregrin. de fideicom. art. 27. num. 1. in princip. dicens hoc esse manifestum & conforme voluntati disponentium. Quod vel ex eo, præsertim in feudo de quo agebatur, constituendum erat; quia concessum fuerat pro liberis, & liberorum liberis vtriusque sexus in infinitum, ita quod primogenitus filius ex dictis descendentibus, & semper antiquior ex dictis masculis succederet in infinitum, & quod deficientibus prædictis masculis succederet filia antiquior, quæ tunc erit superstes: adeo vt videns sit primi acquiretoris intentio, quod nunquam succedant fœminæ masculis extantibus, sed masculi fœminis in infinitum, quandiu aliquis illorum extiterit, præferantur in vtroque sexu, id est siue masculi ex masculis, siue ex fœminis descendant: quod etiam si non fuisset dictum, adhuc masculus superueniens præferendus esset fœminæ cuiuscumque in mutuo concursu: iuxta text. expressum in d. cap. 1. de eo qui sibi vel heredib. † Et licet magna sit inter DD. controuersia, quando concurrunt masculi descendentes ex masculis, cum masculis descendentibus ex fœminis: tamen quando masculus descendens ex fœmina, concurrat cum fœminâ, res est extra controuersiam, & sine dubio masculus fœminam excludit: vt vnanimi consensu dicunt DD. supra citati, nec non Menoch. consil. 976. num. 19. vbi plures allegat & ita fuit iudicatum super feudo de Montefargues, pro Nobili Petro de Tieloy, contra Nob. Catherinam de Corelon eius sororem vterinam, descendentes à Nob. & Celeberrimo I. C. Domino Perrineto de Parpalia, per Senatum Tholosanum: vt ad me scripsit dictus Dominus de Tieloy qui dictum feudum in vim dicti Senatusconsulti obtinuit. Scripseram pro eo die 18. Maij, anni 1633.



C A P V T X X V.

De validitate transactionis factæ inter quandam Communitatem, & Officiales Reuerendæ Cameræ Apostolicæ, super dominio directo quarundam paludum & terrarum ad pascua destinatarum, ad quem de iure huiusmodi terræ pertineant; quando videlicet spectent ad Dominum seu Baronem, & quando ad Communitatem, & de præscriptione immemoriali contra Cameram completa ante publicationem Bullæ in Cœna Domini.

S V M M A R I V M.

1 Procurator Principis, inconsulto Principe transigere non potest.

2 Procu

2. *Procurator Fisci transigere potest, sed non procurator Cæsaris.*
3. *Princeps cum suis subditis per Procuratorem suum contrahendo, æquè obligatur ac quilibet priuatus.*
4. *Principes Ecclesiastici maiori obligatione tenentur ad suorum contractuum obseruationem.*
5. *Qui prohibetur alienare, potest nihilominus transigere, si transactio non fiat dimittendo, sed acquirendo.*
6. *Negatiua dominij probatur per inspectionem inuentarij facti de omnibus iuribus Principis.*
7. *Prædia omnia, & præsertim rustica habent pro se præsumptionem libertatis.*
8. *In Comitatu Venayssino ex consuetudine prædia franca in emphyteusim concedi possunt.*
9. *Emphyteusis natura non alteratur, quamuis soluantur canon æquiualens fructibus.*
10. *Dominium habere fundatam intentionem in terris heremis & incultis.*
11. *Intellige nisi Communitatis habitatores soliti essent illis terris uti, & in ea sua animalia immittere ad pascendum.*
12. *Officiales qui Principi terras heremas ad pascua destinatas Camera vnire nituntur, male faciunt.*
13. *Que alienari prohibentur, præscribi non possunt.*
14. *Limita nisi agatur de præscriptione 30. vel 40. annorum; tunc enim possunt talia bona præscribi.*
15. *Præscriptio immemorialis nec in expressa, nec in tacita alienationis prohibitione comprehenditur.*
16. *Etiã iura supremo Principi reseruata præscribi possunt; veluti ius cudendi monetam, creandi Notarios, vectigalia imponendi & similia.*
17. *Præscriptio, cessante Bulla in Cœna Domini, datur contra Romanam Ecclesiam; non tamen quoad ius superioritatis, quod est impræscribibile.*
18. *Merum & mixtum imperium præscriptione acquiri potest.*
19. *Communitas ius vendendi pascua præscriptione acquirere potest.*
20. *Bulla in Cœna Domini aduersus Romanam Ecclesiam præscribi prohibet.*
21. *Quo tempore coeperit hæc Bulla publicari.*
22. *Explicatur consilium 103. Domini Lud. Belli,*

Officiales R. Camera Apostolicæ instabant ad nullitatem trãfractionis aliã anno 1600. initæ inter ipsos & Communitatem, super concessione in emphyteusim cuiusdam magnæ paludis, sub annuo canone centum salmatarum grani, ob defectum solemnitatum & potestatis; cum iura Camera sint inalienabilia tam de iure, quam ex constitutionibus Apostolicis; imo & impræscriptibilia. Pro Communitate tamen sustinebam transactionem fuisse validam, prout in effectu post maximam huius negotij discussionem, fuit in vrbe reuocata sententia in prima instantia contra Communitatem lata, & ordinatum transactionem debere fortiri effectum: in vim cuius hodiè ipsa pacificè fruitur effectu dictæ transactionis.

Siquidem à tanto tempore, cuius non erat apud homines initij memoria, Communitas magnam illam paludem possederat tanquam liberam, immunem ab omni iugo, & onere seruitutis; nec aliquem dominium directum recognouerat: vnde licitè potuit illam in totum, vel in parte concedere in emphyteu-

sim, iuxta antiquissimam consuetudinem patriæ Comitatus Venayssini. Quamobrem malè & iniuste Dominus Iudex Camera spoliauerat Communitatè sua possessione, quæ coram Auditore Legati appellationem introduxerat, & super ea fuerat subsecuta transactio dicto anno 1600. per Legatum causâ cognitâ auctorifata; & per triginta & amplius annos obseruata: facta quippè fuerat interueniente Domino Thesaurario Camera, nec non Domino Aduocato & Procuratore Fiscali, qui ex inueterata consuetudine omnia Camera negotia solent pertractare, & gesta per eos maximè adhibitâ Legati, aut Vicelegati approbatione, valida & legitima reputantur: † & sic seruata dispositione *l. nulli. 13. ff. de transact.* per quam nulli Procuratorum Principis inconsulto Principe transigere licet. Quod *ibi* Glossa intelligit, vt non liceat transigere dimittendo, secùs si transigat retinendo. Quamquam lex illa loquatur de Procuratore Cæsaris, nos autem de procuratore Fiscali, inter quos magna est differentia: quemadmodum inter se differunt patrimonium Fiscali, & patrimonium Cæsaris; prout ostendit in tract. de preuent. iudicial. cap. 23. num. 1. & sequentibus. † Procurator Cæsaris, quem ille veluti priuatus quidam homo constituit, transigere non potest: & de eo intelligendus est textus in *l. 1. ff. de offic. Procur. Cæsaris.* Aliud est in Procuratore Fiscali qui transigere potest, quia habet mandatum cum libera: vt docet Iaf. in *l. Præses provincie. num. 11. Cod. de transact.* & in *l. 1. in quinto notabili. num. 3. ff. de offic. procur. Cæs.* & in *l. procurator. num. 2. Cod. de edend.* Sequitur Anton. de Padilla in *d. l. Præses. num. 5.* † Princeps ergo cum subditis per suum Procuratorem contrahendo, eodem modo obligatur ad obseruantiam sui contractus, quo quilibet priuatus: *cap. 1. & ibi DD. de probat. fusè Vasquius lib. 1. controuers. cap. 5. num. 1. & 2.* vbi plures allegat, & testatur ita communiter teneri per DD. & Pereg. *de iure fiscali, lib. 1. tit. 3. numer. 44. & 45.* Tusch. in verb. *Princeps, conclus. 690.* † vbi hoc maximè in Principibus Ecclesiasticis locum habere vult, cum Ecclesia sit cultrix iustitiæ.

Et res difficultate caret, cum transactio per Procuratorem facta fuerit acquirendo, non dimittendo: quia Communitas erat in possessione dominij directi simul & vtilis, paludis & terrarum herbidarû de quibus agitur: & tamen transtulit in Camera directum dominium per illam transactionem, cum iuribus percipiendi nouè partes ex vndecim partibus cum quarta parte vnus vndecimæ pretij (ad quam partem 11. cum quarta vndecimæ laudimium ascendebat;) cum tamen totum pertineret ad Communitatem.

Et præterea canon emphyteuticus qui debebatur Communitati vt Dominæ directæ, fuit reductus ad modum annui redditus, & sic Camera dominium directum acquisiuit. † Valida ergo est transactio facta per modum acquisitionis; vt per *Glof. in d. l. nulli 13. ff. de transactionibus.* adinstat rerum aliarum Ecclesiarum, super quibus transigi potest acquirendo. Rebuf. in *compend. alienat. rer. Eccles. n. 21.* Quarant. in *summa Bullar. in verb. alienatio rerû Ecclesie. n. 43. versic. duodecimo limita.* Padil. in *d. l. Præses. n. 21. Cod. de transact.* vbi in specie agit de Procuratore Principis.


Supradicta corroborantur ex eo, quod in antiquissimo inuentario iurium Principis factò dum Comitatus Tholosani Comitatu Venayssino dominantur; ius istud dominij directi descriptum non reperitur: † qui modus probandi negatiuam per inspectionem scripturæ à iure approbatus est. *Hercul. de probanda negatiu. n. 167. & 176. Surd. decis. 300. n. 11.* † Maximè cum omnia prædia præsertim rustica præsumptione pro se habeant libertatis. *Menoch. consil. 395. n. 5. & 6.*

- Constabat etiam Communitatem vti dominam directam paludum, ab antiquissimo tempore solitam fuisse concedere in emphyteusim, seu vt loquuntur
8. Nostrates ad nouum accapitum dictas paludes. † Quod in Comitatu asserit factitatum Bertrand. qui in Ciuitate Carpentoractensi scripsit *consil. i. 29. vol. 3. prior & consil. 89. eodem volum.* vbi testatur de hac consuetudine dandi in emphyteusim prædia franca.
 9. Nec alterari poterat natura emphyteuseos ex eo, quòd in emphyteusim fuerunt concessa sub canone annuo æquiualente fructibus; hoc enim non obstante talis contractus remanet emphyteuticus, cum partes eum sic nominauerint. Gratian. *discept. forens. cap. 460. num. 50.* Theaur. iun. *lib. 4. quest. forens. 45. num. 2.* Surd. *decis. 198. num. 20.* Valasc. *de iur. emphyt. quest. 11. num. 3.*
- Constabat etiam de dominio directo Communitati competenti ante illam transactionem, ex antiquissimis documentis, ab anno 1482. & de eiusdem dominio vtili ab anno 1300. quæ nûc sigillatim exprimere superfluum esset.
10. Nam quamuis multi DD. asserant dominum habere fundatam intentionem in terris paludosis, heremis, & incultis, vt in fauorem Archiepiscopatus Auenionensis ratione paludum loci Nouarum, cuius Dominus Archiepiscopus Auenionensis est dominus iurisdictionalis, scripsit Dominus Ludouic. Bellus
 11. *consil. 103. num. 1. & per totum.* † Hoc tamen locum non habet, quando agitur de bonis per Vniuersitatem possessis, & in quibus habitatores soliti sunt mittere animalia sua ad depascendum; aut aliàs, Communitas actus possessorios in illis facere consuevit: nam in talibus bonis ipsa vniuersitas, & non dominus fundatam habet intentionem. Pereg. *de iur. fisc. lib. 4. tit. 3. de bonis vacantibus. num. 29.* Cancr. *lib. 3. variar. resol. cap. 4. num. 59.* Menoch. *lib. 1. præsumpt. 100. num. 7. & 8.* Vbi dicit constare de possessione, quando prædia fuere culta à particularibus.
 12. † Vnde infert malè agere Officiales Principis, qui prædia ciuitatum & oppidorum, quæ communia appellantur, Camerae appropriare nituntur. Cùm enim prædia illa ab hominum Vniuersitate possideantur, *l. in tantum. §. Vniuersitatis. ff. de rer. diuis.* ex quo in pascuis animalia mittere consueuerunt, propria Vniuersitatis, non autem Principis esse præsumuntur. Idem tradit Honded. *consil. 84. num. 2. & 5. volum. 2.*
 13. Non obstat quòd opponitur bona & iura Camerae Apostolicæ non posse alienari, nec per consequens præscribi ex Tiraquel. *de retract. consang. §. 1. glos. 9. num. 248.* Quia vltra quòd regula illa multos habet
 14. contradictores; † ad illam variæ limitationes dantur: vt per eundem Tiraquel. *num. 250. & sequentib.* Inter cæteras, quòd prohibita alienari non prohibentur præscribi spatio 30. vel 40. annorum. Alex. *consil. 59. num. 2. volum. 3.* & tradunt omnes in *l. filiusfamilias. §. diui. ff. de legat. 1.* Roland. *consil. 3. volum. primò num. 86. Odd. in tract. de prohib. alien. quest. 19. num. 85.* vbi plures allegat. Multò igitur magis id locum habebit in præscriptione immemoriali, de qua
 15. supra actum est: † quæ non solum in tacita, sed nec in expressa alienationis prohibitionem comprehenditur. Tusch. *liter. T. conclus. 40. num. 39. & 88.* quia habens possessionem immemoriam, potest allegare quemcumque meliorem titulum. Gratian. *discept. 871. num. 19.* Rot. *decis. 677. num. 4. & decis. 11. num. 4.*
 16. *part. 1. recent.* † Vbi ampliatur hoc procedere in iis etiam, quæ supremo Principi reseruata sunt: quia in his præsumitur Principis licentia, seu concessio, ex lapsu tanti temporis: veluti si agatur de Regalibus, vectigalibus, de iure creandi Notarios, vel monetam

fabricandi. Pereg. *de iur. fisc. lib. 6. tit. 8. num. 14. & sequentibus.* † Etiam si agatur contra Fiscum Romanæ Ecclesiæ. Pereg. *ibidem num. 41.* Gratian. *d. cap. 871. num. 36.* Ius superioritatis & obedientiæ impræscriptibile esse non negamus; † sed alia iura Principis præscriptioni subiacerent contendimus: vt de mero & mixto imperio tradit Pereg. *de iur. fisc. lib. 1. tit. 2. num. 64. & sequentib.* † Ergo in vim talis præscriptionis ius est Communitati quæsitum; vt prædia illa herbida vendere possit, & de illis aut illorum fructibus ad libitum disponere. Vincent. de Franch. *decis. 197.*

Non obstat præterea si dicatur, ex Bulla in *Cæna Domini*, nullam vnquam aduersus Romanam Ecclesiam currere posse præscriptionem. Gratian. *discept. forens. c. 52. n. 6.* † Quia Bulla in *Cæna Domini* publicari cœpit tempore Martini, V. circa annum Domini 1420. quo tempore iam erat finita præscriptio immemorialis Communitatis, quæ cœperat ab anno 1300. vt constabat ex actis, & ex antiquissimis testiū depositionibus factis anno 1461. de cuius Bullæ initio testatur Iacob. de Grassis, *in illius interpret. lib. 4. c. 18. n. 3.*

Casus verò de quo in *d. consilio 103. Dom. Ludouic. Belli*, est omninò diuersus à casu proposito: quia ibi supponebatur pro fundamento quòd Dominus Archiepiscopus habet dominium directum vniuersale totius territorij Nouarum, quod non verificatur in casu proposito. Item, non constabat quòd Communitas à tempore immemoriali esset in possessione paludum, nec facta fuerat vlla transactio, prout in casu proposito: idcirco iudicatum fuit in Vrbe in fauorem Communitatis, & ita fuit executum pro Communitate Paternarum aduersus Cameram.



CAPVT. XXVI.

De immunitate Patri duodecim liberorum concessa: quomodò intelligatur, & in quibus casibus locum habeat.

S V M M A R I V M.

- 1 Pater duodecim liberos legitimos habens, fruitur privilegio immunitatis: siue pater sit Decurio, siue non.
- 2 Immunitas patri duodecim liberorum conceditur, tam quoad munera patrimonialia, quam mixta.
- 3 Immunitas non solum pro bonis quæstis, sed etiam pro quærendis in futurum patri concedenda est ob numerum 12. liberorum.
- 4 Amplia vt procedat, etiam si talia bona iam essent descripta in catastro Communitatis.
- 5 Immunitas ob duodecim liberos comprehendit tam onera ordinaria, quam extraordinaria.
- 6 Immunitas ob 12. liberos comprehendit exemptionem ab oneribus, causâ belli, pestis, & aliis ob vtilitatem publicam factis.
- 7 Favorabilior est exemptio quæ a lege conceditur illâ, quæ ex Principis rescripto datur.
- 8 Exemptio concessa ob numerum duodecim liberorum, non comprehendit onera iam imposita.
- 9 Quando peraquatio generalis debitorum Communitatis facta fuit, exemptio postea superueniens ob numerum 12. liberorum non suffragatur quoad illa debita, etiam si duntaxat factum fuerit mespartimentum (vt loquuntur) generale, & nondum illius facta distributio.

10 Exemptio ob numerum 12. liberorum non comprehendit onera merè realia, aliis quam Communitatibus debita; veluti laudimia, decimas, & similia.


Requiritus pro parte cuiusdam Communitatis, vt resolutiue dicerem, qua ratione, & quibus in casibus concedenda esset immunitas Patri duodecim liberos superstitis habenti: Respondi per conclusiones sequentes.

1. Prima conclusio. Certum est in iure patrem duodecim liberos legitimos viuentes habentem, frui priuilegio immunitatis. *l. si quis Decurio.* & ibi Gloss. & DD. *Cod. de Decurionibus, lib. 10.* quæ lex licet de Decurionibus loquatur; tamen locum etiam habet in patre non Decurione. *Osalc. consil. 60. per totum. Borell. consil. 28. n. 10.*
2. Secunda Conclusio. Immunitas illa patri duodecim liberorum competens, locum habere debet etiam in muneribus patrimonialibus, & mixtis; secundum communem opinionem, de qua *Viuius opinio. 603.* cum pluribus per eum citatis, quidquid in contrarium dixerit *Fachin. lib. 3. quæst. controuers. cap. 49.* quia illius opinio in iudiciis non recipitur, & contra eum verior est sententia, quam tenet *Aretin. in §. 1. num. 4. Institut. de excusat. tutor. Pascal. de patria potest. p. 4. c. 4. n. 26. Thesaur. decis. 267. n. 13.*
3. Tertia Conclusio. Pater duodecim liberorum immunitate frui debet, non solum pro bonis quæ possidebat eo tempore, quo duodecim filius illi natus est; sed etiam pro bonis postea acquisitis, & in futurum acquirendis. *Menoch. consil. 486. in fine in 4. dubitat. Ricc. in addit. ad Vicent. de Franch. decis. 259. Sola de iur. Emphyt. Decreti licet. part. 3. gloss. 2. numer. 19. Osalc. decis. 136. num. 1. † Quod ampliatur vt procedat, etiam si talia bona iam reperirentur descripta in catastro Communitatis. *Osalc. ibidem n. 2. Sola d. num. 19.**
5. Quarta Conclusio. Prædicta exemptio ob numerum 12. liberorum concessa, non solum comprehendit onera extraordinaria; sed etiam ordinaria non obstante distinctione *Caualcanti, decis. 14. n. 29. p. 3.* quæ non obseruatur; imò contra illam iudicatur in supremis Tribunalibus: vt testis est *Pascal. de patr. potest. part. 4. cap. 4. num. 26.*
6. Quinta Conclusio. Quamuis magna sit cõtrouersia, vtùm exemptio ob numerum 12. liberorum comprehendat expensas belli & pestis, reparationis murorum, aut aliàs vtilitates publicas; nonnullis existimantibus numerum 12. liberorum, parentem ab huiusmodi onerum præstatione non eximere: verior tamè opinio, & magis communiter recepta est sententia, patrem duodecim liberos habentem ab omnibus illis oneribus liberandum esse, quam tenent *Roland. consil. 52. n. 27. volum. 2. Natra consil. 539 in fin. n. 5.* & ita congregatis aulis fuit iudicatum in Senatu Pedemontano teste *Thesaur. filio, in addit. ad decis. 267. litera H & lib. 1. quæst. forens. 93. n. 2.*
7. Ratio est, quia magna est differètia inter exemptionem à collectis, quæ cõceditur ex Principis rescripto; & illam quæ conceditur à lege: nam in primo casu, strictior fieri debet interpretatio; nec præsumendum est Principem ad onera futura respectum habuisse; quæ consideratio locum habere non potest in exemptione legali; quia lex est dogma virorum prudentium, & illius proprium est præscribere normam futuris negotiis. *l. leges. Cod. de legibus, & prospicere etiam casus raro contingentes. l. antiqui. ff. si cert. petat. Roland. & Pascal. locis supra cit. & vtilitas publica, æquè versatur in liberorum procreatione & educatione, ac in*

aliis casibus, in quibus pater cogi posset ad contribuendum publicis functionibus.

Sexta Conclusio. Numerus duodecim liberorum non eximit patrem à præstatione onerum ià impositorum, & indicatorum eo tempore, quo priuilegium acquisiuit. Hæc enim generalis est regula, exemptionem quamcũque onera antea imposita & indicta minimè comprehendere. *l. semper. §. hoc circa. ff. de iur. immunit. Io. de Plat. in l. negotiantes. Cod. de excusat. muner. lib. 10. Nouar. qq. forens. p. 1. q. 75. n. 6.* qui ita in pluribus Tribunalibus iudicatum fuisse testatur, *Bellon. iun. consil. 69. n. 30. & multis seqq. Ricc. ad decis. Vincent. de Franch. 259. versic. & dictum beneficium immunitatis. Sola, in d. tit. de iur. Emphyt. Decret. licet p. 3. gloss. 2. n. 21.* Collectæ siquidem iam impositæ sunt distributæ, & indicatæ occasione debitorum per Communitates longo tempore ante exemptionem contractorum. † Quod maximè procedit ratione bonorum acquisitionum post confectionem peræquationis, seu (vt vulgò loquuntur) mespartimèti debitorum Communitatis facti, & distributi, pro quibus iam bona reperiebantur obligata & hypothecata: immò sufficit factum esse mespartimentum generale; quamuis distributio illius nondum sit facta: vt dicit *Sola, d. n. 21.*

Septima Conclusio. Prædicta exemptio non comprehendit onera merè realia, aliis quam ipsi Communitati debita, aut alio nomine quam onerum publicorum: qualia sunt laudimia, canones emphyteutici, decimæ, & similia, à quibus liberorum numerum non excusare certum & indubitatum est. *Menoch. consil. 297. num. 19. Cauagnol. ad constit. Montis ferrati, decret. 72. q. 12. num. 12. & 13. Thesaur. ad decis. patris 277. in fin. Petra in addit. ad Grammat. decis. 54. num. 6.*



CAPVT XXVII.

De minore agente conditione indebiti, quando mater tutrix plus soluit paternis creditoribus, quàm illius facultates paterentur: vtùm sit in electione ipsius, an malit agere contra matrem, an verò quod ultra facultates paternas solutum est, ab ipsis creditoribus repetere.

S V M M A R I V M.

1. *Indebitum dicitur non solum id quod non debebatur; sed etiam si deberetur, si tamen ultra vires hereditatis solutum fuit.*
2. *Si hæres plus promiserit quàm vires hereditatis patiantur, dicitur plus debito promisisse.*
3. *Hæres qui erat timidus, non factò calculo hereditatis soluit, repetitionem habet.*
4. *Soluens per errorem iuris, aut facti, repetit indebitè solutum.*
5. *Error iuris in minore præsumitur.*
6. *Si tutor soluerit indebitum nomine pupilli, pupillus ipse conditionem habet.*
7. *Ampliatur vt procedat, siue solutio facta fuerit de pecuniis tutoris, siue de pecuniis ipsius pupilli.*
8. *Non est nouum vt vnus indebitum soluat, & alius indebitè solutum repetat.*
9. *Non solum hæres, sed etiam creditores hereditarij repetere possunt, quod plus debito, id est, ultra vires hereditarias solutum est.*

- 10 *Hæredi post restitutam hereditatem datur repetitio si non sufficienter retinuerit pro suis creditis, & detractionibus.*
- 11 *Hæres ex beneficio Inuentarij, potest onus repetitionis relinquere prioribus creditoribus aduersus posteriores quibus solutum est.*
- 12 *Intellige concedi repetitionem, & conditionem indebiti in supradictis casibus, quando solutio facta fuit bona fide.*
- 13 *Virum pupillus possit intentare conditionem indebiti aduersus creditores, quando tutor fuit in culpa; an verò prius contra tutorem agere teneatur; adhibitâ distinctione explicatur.*
- 14 *Decisio Giurb. e. num. 46. quomodo sit intelligenda, & in quibus casibus locum habeat.*

Tutrix liberorum patris hæredum nomine, patris creditoribus plurimas pecuniarum summas exsoluerat, iuribus quæ pupillis aduersus hereditatem illam competebant per tales solutiones exhaustis, & ad nihilum fermè redactis: Respondi pupillum non teneri aduersus matrem malè soluentem agere; sed posse conditionem indebiti aduersus creditores, quibus solutum fuerat, experiri. † Indebitum quippè dicitur non solum quod omninò debitum non est; sed etiam quod per hæredes ultra vires hereditarias fuit exsolutum, aut in præiudicium æris alieni.

1. *l. si vniuersæ. Cod. de legat. l. 1. §. si is qui quadraginta, versic. neminem. ff. ad Trebel.* † Et si hæres plus promiserit, quàm vires hereditatis patiantur iusto errore ductus; indebiti promissi conditionem habet. *l. si is qui plus. 31. ff. de condiçt. indeb.* † Multò magis si non promiserit, sed soluerit per errorem. Phanuc. *in tract. de inuent. quæst. 242. num. 141.* & Monticul. *quæst. 235. num. 189.* vbi loquuntur de hærede, qui poterat calculum inire, & solutionem differre; quod tamen non fecit, sed soluit, cum esset persona timida, & lites expauescens: asserentes nihil planè illi imputandum esse, quòd facilis fuerit soluendo; quia scienti & solerti lex posita fuit, non imprudenti & ignaro: † Et generaliter indubitatum est conditionem indebiti dari, si per iustum errorem facta fuerit solutio; siue talis error in facto, siue in iure consistat; quamuis etiam conditioni indebiti fuisset renunciatum cum iuramento. Decius, *consil. 350. n. 5.* Gratian. *discep. forens. 652. n. 27.* † Error autem iuris in minore probabilis est quia præsumitur. Menoch. *presumpt. 23. n. 19. lib. 6.* In muliere verò tutrice non est dubitandum quin præsumatur error facti, maximè alieni; nempe valoris bonorum hereditariorum, ex quo oritur soluti repetitio; præsertim cum agatur de damno vitando. Rot. Rom. *decis. 167. n. 13. p. 1. recent.*

6. Et quamuis non modica videatur difficultas, respectu matris quæ soluit de pecuniis propriis; tamen respectu pupilli res videtur extra dubium proposita, per text. expressum *in l. cum indebitum. 57. ff. de condiçt. indeb.* cuius hæc sunt verba: *Cum indebitum impuberis nomine tutor numerauerit, impuberis condiçtio est.* † Et *ibidem* Gloss. quam *ibi* communiter DD. approbant, dicit hoc habere locum, siue solutio facta fuerit ex pecuniis pupilli, siue ipsius tutoris: quia tutor hanc pecuniam in redditione rationum tutelæ compensat & factum tutoris dicitur factum pupilli; adeo ut actio competat vero domino, non autem personam illius representanti, ne officium suum sit illi damnosum. DD. *in l. si procurator;* & nominatim Alexand. *num. 3. Bart. num. 13. Angel. in princip. ff. de condiçt. indebit.* † Nec est nouum quòd per vnum fiat solutio, & alteri competat repetitio. *l. nec nouum est. 5. ff. eodem titul. de condiçt. indebit.* Alexand. *in*

l. 2. §. si quid. ff. eodem titul. † Et ideo quòd solutum est ultra vires hereditatis, si postea æs alienum emergat quòd hereditatem absorbeat, repeti potest, vel ab ipso hærede, vel à creditoribus hereditariis. Castrenf. *in d. §. si quid. num. 8. & sequentib.* † Vnde etiam hæredi post restitutam hereditatem datur condiçtio, & repetitio, si non retinuerit quantitatem sibi debitam, cum ignoraret tot adesse debita in hereditate. Gratian. *discep. forens. cap. 203. num. 19. & sequentib. & cap. 193. n. 37. 38. & 39.*

Potest etiam pupillus, patris hæres, si ipse creditor non sit, nec indigeat repetitione aduersus eos quibus solutum est, vt se eximat ab aliis creditoribus anterioribus, onus itud ex beneficio inuentarij relinquere dictis creditoribus, qui si velint aduersus posteriores quibus solutum est experiri cogentur. Castrenf. *in d. l. 2. §. si quid. ff. de condiçt. indeb. n. 8.* & alij supra citati, & probat text. *in d. §. si quid. lbi vel post multum temporis emerferit as alienum. cum l. seq.*


Supradicta omnia intelligenda sunt de solutione bona fide facta, & cum probabili ignorantia; si credimus Rotæ, *decis. 169. n. 1. p. 6. recent.*

Sed quid iuris, si tutrix sit in aliqua culpa, veluti si non confecerit inuentarium; vtrum pupillus maior factus teneatur agere contra tutricem, vel eius bona, an verò habeat electionem agendi contra ipsam, aut contra creditores quibus solutum est

Quæstio ista resoluenda est adhibitâ distinctione; aut enim minor intentat remedium restitutionis in integrum, ex capite minoris ætatis; & hoc casu datur illi electio agendi contra creditores, vel contra tutorem, per text. *in l. etiam. 3. & l. final. Cod. si tutor vel curat. interuen. & in §. si pupillus. in Authent. de hered. & falcid. l. si is qui Reipublica, & ibidem Gloss. ff. ex quib. caus. maior in integ. restit.*

Aut verò minor remedium restitutionis in integrum intentat ex clausula generali *si qua mihi iusta causa, &c.* Et tunc, tenetur agere contra tutorem, si sit soluendo. Ratio differentiæ est, quia restitutio ex capite minoris ætatis fundatur in priuilegio intuitu personæ concessio; quæ verò ex clausula illa generali competit, sola nititur æquitate; porro æquitas cessat, quando minor agendo contra tutorem indemnitas seruari potest; cessat ergo & hæc restitutio in sola æquitate fundata: atque ita distinguunt DD. post Bart. *in l. si infanti. n. 12. Cod. de iur. deliber. & in l. qui duos. ff. de reb. dubiis.* Hodier. ad Surd. *decis. 4. n. 46.* Odd. *de restit. in integ. quæst. 68. artic. 3. num. 37.* Rebus. *in constit. Reg. tit. de restitution. glos. 1. artic. 2. num. 22. & 24.* Thesaur. *decis. 103. n. 9. versic. & ultra id quod.* Ioseph. Ludouic. *decis. 55. n. 15. & 16.*

Et secundum hanc distinctionem explicanda videntur ea, quæ in contrarium tradit Giurb. *decis. 1. n. 46.* cum pluribus DD. per eum citatis: Aliàs contra eum esset communis opinio, de qua testatur Hodiern. ad *d. decis. 4. num. 46.*



CAPVT XXVIII.

Quando bona debitoris in incantu publico vni ex creditoribus liberantur, vtrum necessariò præcedere debeat æstimatio; & an liberatio nullâ præuiâ æstimatione facta, sit inualida.

S V M M A R I V M.

1. *Æstimationem præcedere debere quando nulli alij*

- alij licitatores concurrunt, & adiudicatio fit ipsi creditori, nonnulli existimant.*
- 2 *Contrarium tamen verius est, & tenet liberatio, si debitor non probet læsionem ultra dimidium iusti pretij.*
 - 3 *Creditor licitando non debet esse deterioris conditionis, quam quilibet extraneus.*
 - 4 *Explicatur text. in l. si quos. Cod. de rescind. vendit.*
 - 5 *Æstimatio solemnis & iudicialis non debet præcedere subhastationem, & liberationem factam creditori; sed sufficit quod Iudex se informet extraiudicialiter ne fiat fraus.*
 - 6 *Textum in d. l. si quos. procedere ex speciali favore Fiscus verius est.*
 - 7 *Datio in solutum pignoris ipsimet creditori extraiudicialiter facta, non valet nisi sub vera æstimatione facta fuerit; secus si iudicialiter, & in incantu publico.*
 - 8 *Liberatio facta creditori, nullâ præviâ æstimatione, valida potissimum est; si debitor non probauerit in ea adesse læsionem in magno excessu.*
 - 9 *Quando creditor non procedit aduersus debitorem per viam subhastationis, sed per viam impetrationis domini; æstimationem præcedere debere pro forma nonnulli existimant: & ad hanc sententiam Rota Romana inclinavit.*
 - 10 *Contrarium tamen nouissimè Senatus Neapolitanus iudicauit; nempe nec isto casu necessarium esse, vt præcedat æstimatio.*

Quando bona debitoris de pignore capta, ipsimet creditori in concursu aliorum licitantium, aut etiam nullo alio emptore seu licitatore, tanquam plus offerenti vel tanquam soli offerenti liberantur, & in publico incantu adiudicantur, non sine ratione dubitatum fuit sæpe numero, vtrum dictam adiudicationem præcedere debeat iudicialis æstimatio formiter & legitime facta; & vtrum liberatio nulla sit, si dicta æstimatio non præcesserit; & an lapso tempore consueto ad redimendum per stilum Comitatus Venayssini concessio, quod est quadraginta dierum, audiendus sit debitor petens bona liberata æstimari, & creditorem ad solutionem maioris valoris compelli sub eo prætextu, quod bona illa viliori pretio distracta fuisse prætendit.

1. Si liberatio pignorum seu bonorum sub hasta positorum fieret tertio, & extraneo emptori non esset de æstimatione quærendum: † sed dum fit in fauorem ipsius creditoris, præsertim nullo alio concurrente licitatore, tali casu pro validitate liberationis æstimationem præcedere debere concludit Mangil. in tract. de subhastat. quest. 154. vbi dicit quod quando nullus alius præter creditorem comparuit licitator, tunc ad fraudes evitandas adiudicatio illi fieri non potest, nisi præviâ æstimatione, sine qua de iustitia pretij constare non potest, & locus est fraudibus; quidquid aliud esse dicat quando alij concurrerent licitatores; tunc enim nullam aliam necessariam esse æstimationem dicit.

2. Contraria tamen sententia verior est, vt nullis etiam concurrentibus aliis licitatoribus, liberatio ipsimet creditori facta, sit valida; quamuis nulla præcesserit bonorum liberatorum & adiudicatorum æstimatio; adeo vt si debitor prætendat læsionem in pretio interuenisse, onus hoc probandi ipsi incumbat; nec sufficiat quamcumque læsionem probare, sed requiratur quod per debitorem probetur læsio ultra dimi-

dium iusti pretij. Addent. ad Ludouif. decis. 12. † 3. vbi dicunt non debere creditorem esse deterioris conditionis quam quilibet extraneus, & quod opinio Surd. consil. 256. sub num. 6. dicentis hoc procedere quamuis nullus alius reperitur emptor, verior est; & huius rei veritas solidâ ratione comprobatur; quia nulla lege cauetur quod subhastationem æstimatio præcedere debeat. † Nam text. in l. si quos Cod. de rescind. vendit. debet intelligi de venditione quæ fit ad instantiam Fiscus, in qua hoc speciale est, vt præcedere debeat æstimatio.

Sed tamen subistendum est: quia multi DD. contrarium tenent, nempe Fiscum nihil in hoc habere speciale: ideo ad aliam responsionem recurrendum est: † nempe quod illa l. si quos, non vult æstimationem fieri iudicialiter per peritos, sed sufficere quod Iudex ex officio se informet de valore rei sub hasta positæ etiam extraiudicialiter, ne fraus fiat in pretio; sed res iuxta congruum valorem liberetur: de qua informatione quamuis in actis non appareat, tamen à Iudice facta præsumitur. Rot. decis. 463. num. 3. part. 3. recent. vbi hoc maximè locum habere dicitur, quando nulla adest fraudis suspicio: quod probatur ex verbis dict. l. si quos. in illis verbis: *sub nomine subhastationis publica locus fraudibus relinquatur.* † Quamquam verior etiam sit dict. l. si quos. interpretatio, vt locum habeat, dum agitur de venditione pro functionibus fiscalibus iure quodam speciali; quod bene explicat Rot. apud Burat. decis. 96. num. 5. vbi dicitur verba dict. l. si quos. esse clara; cum loquantur duntaxat de venditione, quæ fit per publicum exactorem. † Et licet ibidem Addentes, dicant verius esse, quod adiudicatio sit nulla quando fit ipsi creditori nulla præcedente æstimatione; intelligi tamen debet de adiudicatione quæ fit creditori extra incantum publicum; secus si præcedat publica subhastatio: quia tunc non agitur de pignore iudiciali, vel prætorio, in solutum creditori dando; sed de venditione facta creditori tanquam tertio, vel plus offerenti. Gratian. disp. ep. forens. 706. numer. 6. & cap. 7. numer. 23. & 24. & cap. 545. vbi dicit Rotam tenere hanc opinionem, quod nulla præcedere de necessitate debeat æstimatio præterquam in subhastationibus quæ fiunt pro exactione publicarum functionum.


Supradicta multò magis procedunt, quando debitor non probat magnum adesse excessum, inter pretium iustum, & pretium liberationis: Gratian. dict. cap. 706. numer. 5. Mangil. ipse in dict. tract. de subhast. quest. 18. num. 5. & 11. & quest. 19. num. 3. adeo vt de dicta læsione considerabili constare debeat. Gratian. dict. cap. 545. numer. 26. vbi dicit æstimationem esse potius de consilio quam de præcepto: Eandem sententiam sequitur Rota apud Coccin. decis. 109. numer. 14. vbi dicit necessariam esse æstimationem in datione in solutum, sed non in liberatione facta in publico incantu: cum creditor ad licitationem admittendus sit, alio nihil offerente; vel offerente quidem, sed minus offerente: vt ibidem dicitur numer. 12. & apud Posti. in tract. de manutent. decis. 109. numer. 7. & sequentibus. Anton. Nigger. in tract. de pign. iudic. cap. 5. numer. 18. & 19. qui etiam numer. 15. distinguit, vt supra numer. 8. vtrum constet, an non, de magno excessu infra legitimum pretium. Surd. consil. 39. numer. 26. vbi dicit ad hoc vt venditio sub hasta creditori facta rescindatur, probandam esse læsionem ultra dimidium iusti pretij.

Et hæc sententia bene probatur per text. in l. fin. 9. Cod. de iur. domin. impetr. in fine ibi vt quod Iudex super hoc statuerit in æstimatione pignoris obtineat. qui

qui textus loquitur in difficilioribus terminis, nempe quando creditor, non per solemnem subhaftationem, sed per viam impetrationis dominij bona sui debitoris sibi adiudicari, & in solutum dari obtinet: quo casu licet Rota Romana in *decisionibus superius allegatis*, inclinet in illam sententiam, vt æstimatio ad iudicationem præcedere debeat; veluti in *dict. decis. 109. numer. 7. & sequentibus*. apud Post. in *tract. de manutent.* † Tamen fuit nouissimè decisum in Senatu Neapolitano, nec in casu adiudicationis per viam impetrationis dominij; & dationis in solutum, necessarium esse quòd præcedat æstimatio: reuocatæque fuit sententia quæ contra hanc opinionem lata fuerat, dum pars grauata ad Senatum per viam restitutionis in integrum recurrisset: teste Sanfelicio *decis. 118. parte 1.*

Concludendum ergo est, æstimationis præcedentis defectum, non reddere nullam subhaftationem, quamuis bona sub hasta posita ipsimet creditori vel soli offerenti, vel in concursu aliarum oblationum plus & vltimò offerenti, liberata fuerint: & talem stilum ego vidi obseruari in Comitatu Venaisino.

Idque potissimum locum habet, quando lapsum est tempus quadraginta dierum, aut aliud quod secundum consuetudines locorum datur debitori, ad redimenda bona liberata.



CAPVT XXIX.

Quibus in casibus ille, ex cuius pecunia creditor anterior dimissus est, succedat in ius creditoris dimissi; siue solutio fiat à secundo creditore, siue ab emptore, siue pactum subrogationis interuenerit, siue non; & siue cessio facta fuerit iurium, siue non: & alij plures casus subrogationis, & subingressionis in locum hypothecarum creditoris dimissi, explicantur.

S V M M A R I V M.

- 1 *Creditor posterior intentans remedium iuris offerendi, & soluens anteriori creditori, in illius locum succedit, etiam absque cessione iurium.*
- 2 *Ius offerendi ad effectum succedendi in ius anterioris creditoris, non competit creditori Chirographario, aut alteri hypothecam non habenti.*
- 3 *Extraneus si pro debitore, nomine illius soluerit, & tanquam gestor negotiorum debitoris, non succedit in ius creditoris cui solutum est: secus si proprio nomine, & ad propriam vtilitatem, & animo sibi acquirendi soluat.*
- 4 *Extraneus simpliciter soluens pro alio, censetur nomine illius & tanquam eius negotiorum gestor soluisse.*
- 5 *Tertius pignoris possessor soluens videtur iure exceptionis aduersus creditores posteriores si anterioribus soluerit, etiam nullam obtenta iurium cessione.*
- 6 *Quando ipse debitor soluit de pecuniis proprijs, non est de subingessione quarendum.*

- 7 *Emptor soluens de pretio rei empta, non potest obtinere cessionem iurium à creditore.*
- 8 *Limita nisi præcesserit conuentio de cedendis iuribus, & succedendo in locum creditoris dimissi; tunc enim cessio erit valida.*
- 9 *Item limita, si emptor nolit agere contra alios, sed duntaxat se defendere aduersus creditores; tunc non est opus cessione iurium.*
- 10 *Si solutio fiat per ipsum debitorem de pecuniis tertijs, iste tertius non succedit in ius creditoris, sine cessione; aut nisi adsit pactum subrogationis, & pecunia in effectu in solutionem anterioris debiti conuertantur, & hoc notificatum fuerit creditori.*
- 11 *Creditor si velit potest in actu solutionis contradicere subrogationi prætensa per eum, de cuius pecuniis fit solutio.*
- 12 *Subrogatio in ius anterioris sine pacto expresso, & scientia creditoris inducitur, siue voluntaria siue necessaria fiat solutio, in casibus in quibus creditor potest cogi ad cedendum iura sua.*
- 13 *Ficta cessio iurium non potest induci, nisi fictio habeat fundamentum aliquod reale.*
- 14 *Fictio non potest inducere consensum in ignorante; veluti in furioso, & similibus.*
- 15 *Textus in l. pater filium. 36. ff. de legat. 2. & in l. si pupillorum. §. fin. ff. de reb. eorum qui sub tut. non tangunt materiam subingressionis.*
- 16 *Subrogatio in ius alterius potest esse valida quoad vendentem; sed non in præiudicium tertij; nisi requisita concurrant.*
- 17 *Subrogatio in ius alterius creditoris potest contingere quoad actiones personales, vel quoad hypothecariam, vel tantum quoad ius excipiendi.*
- 18 *In actione personali non est opus cessione iurium.*
- 19 *Aliud est emptorem esse securum, aliud succedere in ius hypothecarum.*
- 20 *Textus in d.l. pater filium. & dict. l. si pupillorum. solum respiciunt securitatem emptoris, non subrogationem ad fines agendi.*
- 21 *Aliud est creditorem secundum soluere, aliud tertium penitus extraneum, ad effectum succedendi in ius hypothecarum.*
- 22 *Versio pecuniarum probatur coniecturis.*
- 23 *Diuersitas specierum moneta non nocet omnino probationi versionis pecuniarum in causam promissam.*

Qui mille aureos ab alio sub annuo censu eâ conditione receperat, vt pecunia hæc in vnus ex anterioribus eius creditoribus solutionem conuerteretur, & dans pecunias in iure & hypothecis illius creditoris subrogatus esset, soluit quidem suo creditori prout promiserat; sed dixit se de proprijs pecunijs soluere; nec de subrogatione quidquam dixit, minúsque cessionem iurium danti pecunias fieri procurauit; quin potius sibi ipsi iura dicti creditoris cedi fecit, vt contra alios indemnitatem consequi posset. Qui pecunias ad censum dederat in concursu creditorum cæteris præferri volebat tanquam succedens in ius anterioris illius creditoris dimissi. Contra verò, posteriores creditores, illum à sua præteritione repellendum dicebant, quòd nec cessionem iurium obtinuisset, nec solutio de eius pecunijs facta diceretur, nec alia requisita interuenissent sine quibus soluens in ius creditoris dimissi succedere non potest. Res fuit in iudicium deducta, & acriter disputata;

putata; sed tamen posteriores creditores obtinuerunt: & is qui pecunias dederat ad censum, non iuxta ordinem hypothecarum creditoris dimissi, sed iuxta sui contractus censualis tempus & gradum, & sic post alios collocatus fuit.

Pro cuius rei explicatione, cum materiam difficilem & subtilem contineat, vt omnis tollatur ambiguitas & confusio, procedemus per sequentes conclusiones, iuxta casuum varietatem.

1. Prima conclusio. Quando creditor habens posteriorem hypothecam, intentat remedium iuris offerendi contra anteriorem creditorem, & illius creditum soluit aut in casum recusationis legitime deponit; is qui sic soluit vel deponit, succedit in ius & locum anterioris illius creditoris, etiam absque vlla cessione iurium, aut aliqua conuentione de succedendo in ius ipsius; idque ex potestate legis, absque alio ministerio vel facto creditoris anterioris: vt dicunt Salic. & alij in l. 1. Cod. de his qui in prior. cred. loc. succed. Bart. in l. 1. Cod. qui prior. in pign. hab. & hoc bene & vtiliter explicat Negusant. 3. memb. 5. partis, de pignor. pari. 1. num. 10.
2. Dixi posteriorem habens hypothecam. Quia hoc ius offerendi non competit creditori chirographario, aut alteri qui hypothecam non haberet: hic enim licet tanquam quilibet extraneus possit pro debitore soluere, vt notauit Pacific. de Saluian. interdict. inspect. 5. cap. vnic. numer. 13. Non tamen ex tali solutione consequitur successione & subrogationem in ius & hypothecas eius cui fit solutio, nisi volente ipso creditore qui recipit solutionem, vel nisi creditor iste chirographarius possideret; quo casu non tanquam creditor, sed vt possessor consideratur. Negusant. de pignor. 3. membr. 5. partis, part. 1. num. 6. Mantic. de tacit. conuent. lib. 11. tit. 28. n. 26. Intelligendo iuxta declarationes quas affert Morot. in tract. de iur. offerend. num. 41. & seqq.
3. Secunda Conclusio. Si solutio crediti fiat ab extraneo, nomine debitoris, veluti si extraneus tanquam negotiorum gestor debitoris, aut alius eiusdem nomine creditorem anteriorem dimittat, non succedit in ius & locum creditoris quem dimisit; sed sola illi remanet actio personalis negotiorum gestorum aduersus debitorem, cuius nomine solutio facta fuit, nisi iurium cessionem obtinuerit à creditore.
Si verò extraneus ipse proprio nomine soluerit, nempe emendo creditum seu nomen alterius ad sui vtilitatem; tunc succedit in ius creditoris, cuius nomen emit absque alia iurium cessione.
Hæc distinctio habetur apud Bart. in l. aristo. n. 2. ff. qua res pign. oblig. poss. Negusant. de pignor. dict. part. 5. membr. 3. num. 42. in princip. & in versic. limitatur. Mantic. de tacit. conuent. lib. 11. tit. 28. num. 14. Gratian. discept. forens. cap. 117. num. 7.
4. Sed si simpliciter solutio fiat per istum extraneum, non exprimendo vtrum nomine proprio, aut nomine debitoris soluat, & sic in dubio præsumitur solutionem fuisse factam nomine debitoris ab ipso soluente, tanquam negotiorum gestore. l. soluendo. ff. de negot. gest. Rip. in l. si ventri. §. fin. num. 1. ff. de priuileg. cred. Surd. consil. 183. num. 17. in fin.
5. Tertia Conclusio. Quando iste extraneus soluens possidet pignus, potest se tueri aduersus creditores posteriores in vim solutionis factæ anteriori; non quidem iure actionis, sed iure exceptionis si ab illis conueniatur; etiam si iura & actiones sibi cedi non curauerit; cum cessio iurium non sit necessaria ad excipiendum. Ioan. Bapt. Cost. de facti scient. centur. 2. distinct. 73. n. 8. Thesaur. Iun. lib. 2. quæst. forens.

30. num. 1. Gratian. discept. forens. 269. Vincent. de Franch. decis. 134. Cancer. part. 2. cap. 6. numer. 44. versic. item limita. & ita decum testatur Gratian. decis. 66. numer. 8. & sequentibus. Mantic. de tacit. conuent. lib. 11. tit. 29. per totum, & decis. 69. num. 3. Burat. decis. 485. n. 6.

Quarta Conclusio. Quando ipsemet debitor soluit de pecuniis propriis, non est quarendum de subingressione, & successione in ius creditoris, cui fuit facta solutio; cum debitor proprium extinguat debitum: ergo extincto debito extinguitur etiam hypotheca. Gloss. in l. 1. Cod. de hi qui in priorum cred. loc. succed. & in dict. l. aristo. Seraph. decis. 485. n. 1. Rota, decis. 94. num. 15. pari. 1. recent.

Idem dicendum est, quando emptor soluit de pretio rei emptæ creditoribus anterioribus venditoris; tunc enim quamuis cessionem iurium à creditore cui solutum est obtinuerit; cessio tamen illa non potest illi suffragari; cum non soluat de pecuniis propriis, sed de pecuniis venditoris, nempe de pretio quod spectat ad venditorem: vnde succedit regula præsentis conclusionis; quod cum debitor ipse soluere videatur, debitum fuit extinctum; & per consequens non est de subingressione tractandum. Ludouic. decis. 68. n. 5. & decis. 75. n. 3. Addent. ad Burat. decis. 420. n. 7.

Fallit si in instrumento venditionis fuerit conuentum, quod soluens succedat in ius & hypothecas anterioris creditoris, & quod sibi fiat cessio iurium: hoc enim casu valida est cessio facta emptori; quamuis soluat de pretio: tunc enim ad vtilitatem propriam, & vt sibi ius acquirat soluisse videtur, & quasi nomen emptoris acquisiuisse: & ita concludit Addit. ad Burat. dict. decis. 420. num. 8. allegans ad hoc Rotæ Romanæ decisionem.

Item fallit, si iste emptor velit vt iuribus anteriorum creditorum per viam exceptionis, & retentionis; cum hoc casu non esse necessariam iurium cessionem superius ostenderimus; & ita quoque concludunt Addent. ad Burat. dict. decis. 420. num. 9.

Quinta Conclusio. Si solutio fiat per ipsum debitorem, de pecuniis tamen tertij tradentis, & mutuantis etiam ea lege & pacto conuentione, quod pecunie impenderentur in solutionem istius creditoris anterioris; ex hoc tamen solo, is qui pecunias dedit non succedit in ius, locum & hypothecas creditoris dimissi, sed sequentia copulatiue interuenire debent, vt fiat hæc subrogatio. Primum quod interueniat pactum de succedendo in ius & hypothecas creditoris, cui soluitur; per quod pactum oritur quædam tacita cessio iurium creditoris dimissi. Secundò, quod pecunie capiantur ea lege, vt primo illi creditori tradantur. Tertio, quod in effectu subsequatur solutio, & traditio pecuniarum eidem creditori, Cod. Fabri. lib. 8. titul. 9. defini. 3. Afin. d. execut. §. 7. cap. 55. num. 4. Quartum additur, vt notificatum fuerit creditori dimisso, pecuniam hoc pacto apposito fuisse debitori traditam, & sub eodem pacto numeratam creditori: aliàs si ei nihil dicatur non censeretur creditor huic pacto consentire, nec soluens succedit in eius locum: vt bene declarat Salicet. in d. l. aristo. n. 3. versic. quod satis puto. Rot. decis. 319. 320. 293. (quæ est omnium vltima) n. 5. & 7. part. 4. diuers. Gratian. discept. forens. c. 670. n. 10. Scacc. de commerc. §. 2. glos. 5. num. 416. Addent. ad Burat. dict. decis. 420. n. 5. versic. verum hoc habet locum. Giurb. decis. 87. numer. 5. vbi dicit hoc habere locum propter voluntatem creditoris, qui solutionem recipiens pacto consentit; scientia autem creditoris satis probata censetur, si in actu receptionis pecuniarum de pacto inito cum debitore, super subrogatione hypothecarum mentio fiat

fiat. Anton. de Amat. *resolut.* 7. *numer.* 27. *in fin.*

11. † Itaque creditor cui fit solutio potest, si velit, contradicere huic subrogationi hypothecarum, cum non teneatur illas cedere extraneo soluenti. Camil. de Medic. *consil.* 165. *numer.* 28. 29. & 34. per text. *in l. nulla. Cod. de solut.* quamvis contrarium teneat Ferdinand. Arias de Mesa, *lib. 1. variar. resolut. cap. 2. num.* 5.

12. Verum circa prædictam conclusionem, plures aliàs à quodam erudito viro, excitatæ fuere difficultates: & in primis fuit oppositum prædicta vera esse, si agatur de causa voluntaria; secus si de causa necessaria, veluti pro dissolviendo are alieno; tunc enim ratione necessitatis dimissionis, seu præcisæ solutionis debiti antiquioris, videtur non esse necessariam cessionem iurium expressam, neque tacitam; quia licitum videretur debitori subrogare illum, qui pecunias tradit in locum eius cui soluitur: de quo est textus expressus *in l. pater filium. 36. in princip. ff. de legat. 3. & in l. si pupillorum. §. final. ff. de reb. eorum qui sub tuel. sunt*, & ad hoc allegatur etiam auctoritas Baldi, *in l. sancimus ult. §. et si præfatam. num. 7. Cod. de iur. deliber.* & Gabriel. *consil.* 118. *n. 5. volum. 1.* Molin. *de primog. lib. 1. cap. 10. n. 26. versic. sed quamvis.* Peregr. *de fideicom. artic. 40. n. 31.* Gaspar. Roderic. *de annuis reddit. lib. 2. q. 16. num. 50. & sequentibus*: quibus addo eundem Roderic. *lib. 1. q. 14. n. 20. & 21.* quem sequitur Antonin. de Amato, *d. resolut. 7. n. 16.* Ferdinand. Arias de Mesa, *lib. 1. variar. resolut. cap. 2. num. 5.* & pro confirmatione huius sententiæ citantur Balduin. *in l. fin. §. et si præfatam. Cod. de iur. deliber. numer. 7.* Molin. *de primog. lib. 1. cap. 10. numer. 25.* Peregr. *de fideicom. artic. 40. numer. 31.* Iacob. de Ardizon. *de feud. cap. 116. versic. sed pone.* Moneira, *de commutat. ult. volunt. cap. 9. numer. 131.* Ioan. Blanch. *in epitom. feud. lib. 2. tit. quib. mod. & in quib. casib. feud. amittatur.* Fufar. *de substitut. quest. 541. numer. 11. & 21.* Afflict. *in tit. de prohib. feud. alienat. per Federic. numer. 18.* Marant. *de multiplic. alienat. prohib. numer. 298.* Paris. de Put. *de feud. redintegrat. cap. 253. numer. 10.* Marin. Freccia, *de subfeud. lib. 2. quest. 32. numer. 1. versic. & sic videtur.* P. Molin. *de iustit. & iur. q. 642.*

Ex quibus apparet hanc quæstionem esse subtilem, & difficilem; sed ego, saluo cuiuslibet melius sentientis iudicio, existimo adhibendam esse verissimam, vt arbitror, distinctionem, & duos casus esse considerandos. Primus est quando tertius, de cuius pecunia soluitur, cogere potest creditorem vt sibi iura cedat etiam inuitum: & hoc casu dico, quod etiam si ipse creditor ignoraret pactum subrogationis inuitum inter debitorem, & eum qui pecunias tradit; subrogatio inducitur potestate legis, non solum quoad actionem personalem, sed etiam quoad hypothecariam: quia tunc lex operatur secundum suam intentionem, & potestate legis fit subrogatio in ius creditoris dimissi, illo etiam ignorante: quia quod potest fieri illo inuito, multò magis illo ignorante. *l. qui potest. 26. ff. de reg. iur.* quo argumento vtitur Faber, *in Cod. lib. 8. tit. 9. definit. 4. in gloss. n. 1.*

13. Secundus casus est, quando creditor inuitus tertio illi iura sua cedere cogi non potest; & hoc casu non video quomodo potestate legis inducatur ficta cessio contra voluntatem creditoris; vt cogatur inuitus & ignorans pati subrogationem, ad quam non nisi

14. sciens & volens adstringi potest: † Cum fictio in tacito consensu fundata, non possit fingere consensum in ignorante, absque aliquo fundamento consensus à parte rei; nec vnquam admittatur fictio, contra ipsam legis dispositionem, quæ inuito creditore ces-

sionem non admittit: ex traditis per Giurb. *decis. 85. numer. 4.* vnde non potest fingi consensus in ignorante, sicut de consensu furiosi dicit Barbof. *in l. 2. §. final. numer. 23. ff. solut. matrimon.* Cost. *de retrotract. regul. 4. ad cap. 2. numer. 1.* cum tamen præcipuum contrariæ opinionis fundamentum in ficto consensu consistere videatur. Et supradicta resolutio est de mente Camil. de Medic. *consil. 165. n. 28. & seqq.* Giurb. *decis. 87. n. 5.*

Neque aduersantur pro maiori parte DD. in contrarium citati: quia vel non loquuntur de subrogatione in actione hypothecaria, sed tantum in personali: vel non loquuntur de iure agendi, sed de iure excipiendi; quo casu non est necessaria cessio: vt diximus *n. 9.* vel loquuntur in terminis aliarum conclusionum superius adductarum.

Bald. *in l. final. §. & si præfatam. num. 7. Cod. de iur. deliber.* loquitur de exceptione, non de actione; nempe de emptore conuento per creditores: iuxta tradita supra, *n. 9.*

Molin. *de primog.* non loquitur de creditoribus, sed tantum de substitutis, quorum non interest habere hunc vel alium creditorem.

Peregrinus verò & Iacob. de Ardizon. & Monet. ac Ioan. Blanch. loquuntur duntaxat de validitate alienationis, sed non tractant de præiudicio creditorum.

Idem dicendum est de Fufar. *dicta q. 541. n. 11.* qui non agit de præiudicio creditorum.

Dum verò *n. 21.* dicit euentem poni in locum creditoris cui soluitur, non obstat nostræ conclusioni: quia potest poni in eius locum quoad actiones personales, etiam cum priuilegio ipsius actionis personalis: vt dicit Surd. *consil. 444. ferè per totum*: vel procedere potest, ad hoc vt emptor per viam exceptionis repellat creditorem agentem; vt sæpe diximus: sed nihil ibi dicitur de tertio, de cuius pecunia solutio facta est, subrogando in ius hypothecæ sine cessione, aut consensu creditoris, cui solutum est.

Eadem responsio datur ad Afflict. Marant. & Parid. de Put. supra citatos: quia non loquuntur in nostris terminis, nec de tertio pecunias dante, ad hoc vt succedat in præiudicium aliorum creditorum, per viam actionis in hypothecaria.

Martin. Freccia *in loco supra citato*, se refert ad *l. Aristo. ff. que res pig. oblig. poss. & numer. 2. versic. nec refert.* loquitur in terminis cessionis iurium; non autem tacitæ subrogationis inuito, vel ignorante creditore dimisso, faciendæ.

P. Molin. *dicta q. 642.* solum agit de validitate alienationis, & solum mutanti seu illi tertio, de cuius pecunia solutio facta est, dat actionem negotiorum gestorum; nisi obtinuerit cessionem iurium: atque ita potius pro nostra sententia allegandus erat.

De Doctoribus Gallis, non est in hac quæstione curandum: quia propter ordinationem Regiam latam an. 1609. subrogatio in hypothecas ipso iure fit in fauorem eius, ex cuius pecunia soluitur, etiam absque cessione iurium: vt testatur Mornac. *ad l. potior. 11. §. si paratus, ff. qui potior. in pign. habeantur.*

Et præterea diximus dicta iura in contrarium allegata esse extra casum nostrum: quia materia. *d. l. pater filium. & d. l. si pupillorum.* non respiciunt casum subingressionis in ius & hypothecas creditoris; vt bene aduertunt Adden. ad Molin. *de primog. d. lib. 1. c. 10. num. 26.* Vbi propterea dicitur ad effectum subingressionis, debere illa concurrere quæ requiruntur per Gloss. *in d. l. Aristo.*

Sed tamen pro maiori dictarum legum intelligentia, 16. notandum est primò, quod in dictis iuribus agitur duntaxat de validitate alienationis, quæ facta fuit sine

sine decreto in bonis minorum, vel contra testatoris prohibitionē in bonis fideicommissō suppositis, quæ propterea erat inualida vt pote facta cōtra expressam legis vel hominis prohibitionē: sed tamen ibi dicitur talem alienationē sustineri, cum pretiū fuerit conuersum in vtilitatem minoris, vel fideicommissi; & ille qui emit sit subrogatus quoad minorem, & quoad substitutos respectiue in locum creditoris, cui solutum est.

Sed in dictis iuribus nulla fit mentio aliorum creditorum, neque subrogationis concedendæ in præiudicium tertij non interuenientis, vel actum illū ignorantis: nam cum de tertij creditoris præiudicio agitur ad fines subingressionis, tali casu vel cessio iurium interuenire debet, vel requisita à Glof. in d. l. *Aristo*; vt nominatim dicit Barbof. in l. *post dotem*. 41. num. 65. ff. *solut. matrim.*

17. Præterea, quod dicitur soluentem succedere in locum illius cui solutio facta fuit, tribus modis intelligi potest: Primò, quòd succedat & subrogetur in actione personali competente creditori dimisso. Secundò, quòd succedat in actione hypothecaria. Tertio, quòd succedat quoad ius excipiendi, seu retinēdi.

18. In actione personali succeditur sine cessione, sicuti & in iure excipiendi, quod emptori possidenti datur; sed in hypothecaria concurrere debent requisita, de quibus supra actum est; & de qua actione hypothecaria nulla fit mentio in dict. l. *pater filium*, nec in dict. l. *si pupillorum*. & hos tres casus bene distinguit. Gratian. *discept. forens. cap. 269. num. 1. & multis sequentib.*

19. Hoc igitur volunt dictæ leges euentem bona alienari prohibita pro dissoluendo ære alieno necessario, securum esse, neque ratione prohibitionis alienationis molestari posse, si pretium impenderit in solutionem creditoris minoris, vel respectiue hæreditatis vinculo fideicommissi suppositæ; & se posse tueri si conueniatur: iuxta text. in l. *cum prior. ff. de distract. pignor.* dummodò constet illam eandemque pecuniam, exolutam fuisse illi creditori: vt probauimus supra, in 3. *conclus. n. 5.* Et ideo dispositio dictorum iurium loquentium de emptore, non est trahenda ad extraneum, qui non possidet, nec excipit; sed agit contra alios creditores posteriores.


20. Præmissa verò confirmantur ex verbis d. l. *pater filium*, vbi solum disputatur vtrum emptio fuerit valida, vel vtrum pignus rectè contractum fuerit super re prohibita alienari; in illis verbis: *Pignus rectè contractum esset.* Item dum dicitur; *An emptores bene emerint.* Quæ verba ibi explicat Alberic. *bene emerint*, id est *securè*, & *ab eis non possit reuocari*: & sic patet quòd ibi agebatur duntaxat de securitate emptionis factæ contra prohibitionem testatoris, non autem de prælatione inter creditores: & probatur ex traditis per Odd. in *tract. de prohibit. alienat. q. 33. n. 50.* Immodò Glof. in d. l. *pater filium*, in verb. *rectè contractum*, dicit secundum qui soluit, esse loco primi cui soluitur, referendo se ad text. in l. 1. & 2. *Cod. de his qui in priorū creditor. locum succed.* quasi velit textum illum quoad subingressionem intelligendum, & explicandum esse, vt procedat suppositis habilibus iuxta d. l. 1. & 2. eademq; ratione in d. l. *pupillorum. §. fin.* dicitur ius prioris creditoris ad sequentem transire: quod Glof. *ibid. in verb. in prioris.* intelligit iuxta text. in d. l. 1. & 2. sicuti & Bald. in d. l. *si pupillorū. §. obligauerit finali.* & Cumanus *ibid.* declarat textū illum locum habere, non per viam actionis, sed per viā exceptionis; nisi quando agitur de secundo creditore, qui succedit ipso iure virtute legis in locū anterioris, cui soluit; absque vllā iurium cessione: sicut explicatum est 21. superius in 1. *concl. num. 1.* † Sed hîc nos agimus

de debitore solvente de pecuniis extranei; qui casus longè diuersus est. Quare dictum text. ita intelligit Barbof. d. l. *post dotem. 41. numer. 61.* vt quando non agitur de secundo creditore hypothecario, sed de debitore solvente de pecuniis extranei, ad hoc vt locus sit subingressioni, debeant concurrere omnia requisita per Glof. in d. l. *Aristo.*

Hoc vltimo loco adnotandum duxi, quòd dum agitur de illo requisito, vtrum eadem pecuniæ datæ debitori fuerint conuersæ in solutionem crediti, pro quo datæ fuerunt; admittuntur probationes coniecturales, veluti ex vicinitate actuum, & similes de quibus Gratian. *discept. forens. cap. 897. per totum.*

22. Notandum etiam est, quòd licet identitas specierum monetæ multum proficit ad arguendam implicationem, & conuersionem illarum pecuniarum in causam, pro qua datæ fuerunt; & in satisfactionem illius creditoris, cui solutum est; tamen nec diuersitas specierum monetæ nocebit danti pecunias, si aliæ concurrant coniecturæ conuersionis; cum sæpe occurrat vt quis vnā monetam, à mutuante acceptam, conuertat in alias species monetæ; veluti propter lucrum cambij, aut propter aliquam aliam causam; & tamen eadem sit moneta per subrogationem: vt in istis terminis docet Cyriac. Niger, *controuers. 415. num. 63.* iuxta decis. Rotæ post tract. *Censij; de censib. decis. 218.*

In casu proposito fuit lata sententia, per quam fuit declaratum; illum, qui pecunias debitori tradiderat, sub pacto soluendi anteriori creditori cum subrogatione in ius & hypotecas illius, non succedere in dictis hypotecis; sed iuxta ordinem sui contractus, non autem creditoris dimissi collocandū, & graduandum esse: quia pactum subrogationis non deuenerat ad notitiam creditoris. A qua sententia cum fuisset appellatum; tamen iste tradens pecunias modico accepto transegit. Et aliàs quæstio ipsa subrogationis fuit acerrimè disputata in præsentī Ciuitate, tandemque in Curia Sancti Petri fuit iudicatum contra subrogationem die 31. Iulij, 1631. in causa discussionis bonorum Iacobi Romani contra D. Bezard.



CAPVT XXX.

Vtrum mulier possit alienare bona super quibus, marito ad inopiam vergente, consignata fuit: Et vtrum talis alienatio iuramenti vinculo confirmetur. Quid si lis nondum fuerit super consignatione dotis præparata; & quibus remediis alienatio huiusmodi valida reddi queat.

S V M M A R I V M.

1. Quando mulier fuit assicurata super bonis mariti, non potest illa vendere.
2. Renunciatio alimentorum qua sequeretur per alienationem bonorum, super quibus mulier fuit consignata, non valet in præiudicium mariti & liberorum, qui ex illis bonis alimenta consequi debent.
3. Alienatio bonorum super quibus vxor consignata est, adeo nulla est, vt nec iuramento confirmetur.
4. Iuramentum nihil operatur in iis, qua non pendent à potestate iurantis.

- 5 *Dominium fundi dotalis constante matrimonio spectat ad maritum, non obstante consignatione dotis uxoris.*
- 6 *Actio uxori competens pro petenda dotis consignatione, alienari non potest, quamvis nondum fuerit intentata.*
- 7 *Alienatio bonorum super quibus uxor fuit consignata quibus remedijs valida reddi possit.*
- 8 *Alienatio fundi dotalis pro alimentis, aut alia necessitate liberorum, valida est.*
- 9 *Item pro excarcerando filio, aut cum liberando à lite criminali.*
- 10 *Valida est alienatio fundi dotalis pro filio à carceribus liberando, quamvis nondum esset carceratus, sed tamen de proximo timeretur carceratio.*
- 11 *Uxor potest se obligare tam pro excarceratione filij, quam mariti.*
- 12 *Limita nisi per talem obligationem, mulier reperiretur læsa ultra medietatem dotis.*
- 13 *Alimentis futuris cum decreto Pratoris, & pro euidenti utilitate renuntiari potest.*
- 14 *Mulier potest se ultra dotis medietatem obligare interueniente Principis rescripto, & adhibitâ causâ cognitione per Commissarium à Principe deputandum.*

MAter, quæ viro vergente ad inopiam super eius bonis fuerat collocata, filium à lite criminali & à bonorum propter contumaciam confiscatione liberare desiderans, quæsiuit utrùm hac de causa bona super quibus consignata est, alienare vel pignori obligare possit? Cui per sequentes conclusiones respondendum censui.

1. Prima Conclusio. Quando mulier pro securitate dotis super mariti sui bonis fuit consignata, seu assecurata, & in illorum possessionem immissa, non potest illa vendere, neque venditioni illorum consentire; cum teneatur illa seruare ut ex fructibus, seu redditibus illorum non solum ipsa mulier, sed etiam maritus & liberi ali possint. text. est expressus in *l. ubi adhuc. 29. versic. ita tamen. Cod. de iur. dot.* Cuius hæc sunt verba, *Ita tamen ut eadem mulier nullam habeat licentiam eas res alienandi, viuentis marito, & matrimonio inter eos constituto; sed fructibus earum ad sustentationem tam sui, quam mariti, filiorumque si quos habet abutatur:* Atque ita tenet Bart. in *l. si constante 25. num. 91. versic. item uxor. ff. solut. matrim.* Fontanel. *de pact. nuptialibus claus. 7. glos. 2. part. 3. num. 44. folio mihi 431.* † Et cum consignatio dotis fiat ad effectum, ut mulier, liberi, ac maritus ali possint; non valebit alienatio alimentorum futurorum, maximè in præiudicium tertij. Galerat. in *tract. de renuntiat. Centuria 1. renuntiat. 50. num. 5.* cum ibi citatis, & ita decisum fuit in Rota Romana 14 Iunij 1641. provt in decisione in fine huius capituli inserta.
3. Secunda Conclusio. Alienatio vel obligatio bonorum super quibus mulier consignata fuit, adeo nulla est; ut nec etiam iuramenti robore confirmetur: quia iuramentum nihil potest operari, stante præiudicio filiorum quibus alimenta debentur. Iaf. in *dicta l. si constante. in secunda lectura, num. 234. in fine. ff. solut. matrim.* Surd. *consil. 269. num. 12. post med. & de aliment. quest. 1. num. 19. tit. 1.* vbi dicitur; † quod iuramentum nihil operatur in iis, quæ non pendent à potestate iurantis: ut quia contractus reproberetur fauore tertij; & *ead. tit. 1. quest. 32. num. 10.* Atque ita decisum fuit in Rota Romana coram Eminentissimo Card. Panzirolo, in *vna Romana Saluiani Interdicti 14. Iunij 1641.* † Quod maximè procedit quando agitur

de fundo dotali; quia illius dominium constante matrimonio spectat ad maritum: ut dicit Bald. *consil. 53. n. 3. volum. 5.* & tradit Ioan. Castagn. in *tract. de benefic. deducto ne egeat. quest. 1. num. 71. & 73.* vbi dicit mulierem non solum non posse alienare ista bona, sed etiam teneri cauere de illa conseruando, cum agatur de præiudicio mariti & liberorum.

Tertia Conclusio. Sicut alienari aut obligari non possunt bona, super quibus mulier fuit consignata, seu assecurata pro dotibus suis; ita nec actio mulieri competens pro dotis assecuratione cedi aut alienari potest: & ideo cum supponeretur actionem pro dotis securitate iam fuisse intentatam, Dixi illam alienari non posse aut obligari, in damnum & præiudicium mariti, & liberorum, qui ex fructibus bonorum consignatorum alimenta consequi debent: ut notauit Salicet. in *l. unic. Cod. de privileg. dot. num. 3.* Iafon. in *dicta l. si constante. num. 231. & sequentibus. maximè num. 234. in secunda lectura.* Surd. *dicto consil. 269. num. 12.* Barbof. in *dicta. l. si constante. 25. num. 33. in princip. ff. solut. matrim.*

Quarta Conclusio. Mulieris obligatio quantumuis dotis consignationem obtinuerit, valida reddi potest, concurrentibus sequentibus circumstantiis. Primò, quod pecuniæ ex obligatione provenientes effectualiter impendantur pro liberatione filij à causa criminali. Secundò, quod per talem obligationem, aliâque iam præstitas, mulier non remaneat indotata, saltem vsque ad medietatem suæ dotis. Tertio, quod in tali obligatione seu alienatione interueniat rescriptum Superioris, & decretum Iudicis cum causæ cognitione adhibitum, cum consensu & obligatione iurata mariti, & liberorum. † Nam licet alienatio fundi dotalis de iure non subsistat; quando tamen agitur de redimendo aliquem ex liberis, aut illum ab aliqua necessitate liberando, talis obligatio sustinetur. *l. quamuis. cum l. sequenti. ff. solut. matrim. l. si pro aliquo. §. 1. ff. ad Velleian.* quæ licet loquatur de patre; eadem tamen ratio militat in filio, argumento *l. si paternam. Cod. ad Velleian.* † Quod procedit non solum in causa civili propter debitum; sed etiam in causa criminali propter delictum: nulla etiam factâ distinctione, utrum culpa filij interuenerit, an non: Surd. *consil. 367. num. 14.* Thefaur. *decis. 223. num. 7.* † Ampliatur, quamuis nondum in effectu subsequuta fuerit carceratio, sed sufficit quod illa timeatur. Hering. *de fideiuss. cap. 7. num. 417.* Surd. *dicto consil. 367. num. 14.* sequitur Hodiern. ad Surd. *decis. 86. num. 9. & 12.*


Et quamuis DD. per eum allegati loquantur de marito, fortius tamen procedunt in filio: ut notauit idem Hodiern. ad *dictam decis. 86. n. 2. & 3.* & probatur in *l. mutus. 76. §. manente. ibi, aut ut egentem virum, fratrem, sororemve sustineat. ff. de iur. dot. & in d. l. quamuis. 21. ff. solut. matrim.* in illis verbis; *ut liberis egenibus, aut fratribus, aut parentibus consuleret.* per quæ verba ita tenet Cyriac. Niger, *controu. 216. n. 23. & 24. vol. 2.*

Sed ista ut dictum est procedunt; dummodo mulier non remaneat indotata; ita quod oportet ipsi saltem medietatem suæ dotis remanere saluam, ut illam super bonis mariti, vel releuatorum consequi possit. Cyriac. *loc. citat. num. 19. & 20.* Hodiern. *dicta decis. 86. num. 15. versic. sed omnia prædicta.* vbi dicit quod licet mulier se obligauerit pro excarcerando marito; tamen obligatio illa rescinditur si mulier remaneat indotata, ita quod saltem dotis medietatem consequi nequeat: quia tunc dicitur enormissimè læsa; & ideo secundum requisitum quod mulier non remaneat indotata, non sine ratione adiectum fuit.

13. Tertium verò requisitum duo continet membra : alterum concernit rescriptum Superioris; alterum verò mariti, & liberorum consensum : quia licet futuris alimentis regulariter renunciari non possit; tamen valida redditur talis renunciatio interueniente iuramento, cum decreto Prætoris : idque potissimum quando obligatio cedit in vtilitatem renunciantis: fuscè Surd. *de aliment. tit. 8. priuileg. 56. n. 50. & sequent. iuncto n. 63. & seqq.* † Rescriptum verò Superioris tantæ est efficaciam, vt etiam mulieris obligatio vltra medietatem dotis sustineatur, si oblato Principi rescripto, Commissarius per eum deputatus adhibita cognitione causæ obligationi auctoritatem præstiterit, vt censuit Cyriac. *controuerf. 216. num. 22.*

in l. si constante. numer. 91. versic. item vxor. & ibi Iaf. in 2. lect. numer. 235. ff. solut. matrim. Sali- cet. in l. unica, numer. 3. Cod. de priuileg. dot. Fontanel. de pactis nuptial. claus. 7. glos. 2. part. 3. numer. 44. adeo vt in isto casu, nec iuramentum quicquam operetur, stante filiorum præiudicio circa alimenta, Iaf. in dict. l. si constante. numer. 234. vers. idem tenet. ff. solut. matrim. Curt. senior. conf. 57. numer. 1. vers. contrariam sententiam, & num. 3. vsque ad finem Surd. conf. 269. numer. 12. post medium, & de alimentis, quæst. 1. num. 19. & quæst. 32. num. 10.

Non obstat quò ipsa Angela poterat esse cauta pro consecutione suæ dotis in multiplico faciendo ex parte pretij domus : Quia cum illud requireret longum temporis spacium, interim tam ipsa, quàm filij remansissent alimentis priuati, contra dispositionem dict. l. vbi adhuc, quæ vult non solum quò dos collocetur in tuto, sed etiam quò deferuiat pro oneribus matrimonij, vt per Fontanel. *de pact. nuptial. dict. claus. 7. gloss. 2. part. 3. num. 66. Rot. decis. 472. n. 1. part. 1. diuers. & decis. 292. n. 2. part. 1. recent.*



Romana Saluiani Interdicti
coram

R. P. D. PANZIROLO,

Veneris, 14. Iunij 1641.

Domini recedendo à decisis sub die 20. Aprilis anni proximè præteriti Responderunt esse locum Egidianæ, stante validitate, ac iustitia sententiæ latæ ab A. C. ad fauorem DD. Cecilie, & Victorie de Amodeis pro restitutione dotis maternæ in remedio Saluiani; Cùm benè remaneant probata extrema necessaria ad effectum obtinendi in huiusmodi interdicto, nimirum creditum cum hypotheca, vt per DD. *in l. 1. ff. de Saluiano interd. & in l. 1. Cod. de precar. Roland. conf. 14. num. 1. lib. 1. Gabr. conf. 46. n. 1. lib. 1. Rot. diuers. decis. 44. n. 4. part. 1. Possessio debitoris tempore hypothecæ, Aret. in §. item seruiana, in fin. sub n. 30. inst. de actionibus. Rol. d. conf. 14. n. 13. lib. 1. Pacif. de Saluian. inspect. 1. c. 5. n. 3. & demum bona possideri per reum conuentum. Negul. de pignorib. in 3. membro. 8. par. n. 15. Put. decis. 207. num. 2. lib. 1. Afflict. decis. 383. num. 6. Rot. diuers. decis. 674. num. 4. lib. 3. part. 3. cum aliis adductis in decis. Greg. 491. num. 6. cum tamen vt intret Egidiana, satis sit quò sententia notorium grauamen non contineat, vt per Buratum *decis. 441. n. 1. & decis. 457. n. 10.**

Neque refragatur quò eadem mulier donec compleretur multiplicum pro sua indemnitate fuerit assecurata in annuis scutis 70. super fructibus, & emolumentis officij Commissariatus aquæ Salonis. Quia dicta assecuratio non habuit effectum, quod satis iustificatur ex instrumento celebrato de anno 1626. in quo P. Paulus maritus, & Fuluius filius expressis verbis confitentur Angelam nihil habuisse ex dicta assignatione, proindeque voluerunt illam satisfieri non solum de rata dotis scut. 1500. sed etiam de illius fructibus.

Minus obstat quò de eodem anno 1626. Angela fuerint assignati pro satisfactione suorum iurium dotalium fructus census creati cum Marchione Francisco Tarquinij filio de pecuniis multiplicatis ex parte pretij domus, ac dictum instrumentum cum expressa renunciatione omnium aliarum assignationum ad ipsius fauorem antea factarum postea de anno 1634. cum solemnitatibus Statutariis eadem Angela approbauerit, & renunciationem ratificauerit, Tum quia non constat ipsam fuisse certificaratam de nullitate præcedentis renunciationis, cum obseruatas solemnitates Statuti potuerit credere eam esse validam, & ideo subsequuta ratificatio, & approbatio fuit etiam nulla vt emanata ex falsa causa; nam Angela si sciuisset renunciationem fuisse nullam, eam non ratificasset, nec censum approbasset. Reuerendiss. Vergellen. *decis. 64. num. 9. vers. non obstat si dicatur, & decis. 373. numer. 3. & seq.* Tum etiam quia cum dicta mulier in dispositiua instrumenti declarauerit præmissa facere *citra præiudicium suorum iurium dotalium*, ista protestatio operatur quò ipsa in tantum censeatur ratificasse renunciationem, & approbasse censum creatum ex multiplico, in quantum iura dotalia remanebant salua; dum verò non docetur *de censu exigibili*, clarè patet, quò illa non sunt salua, & per consequens ratificatio, & approbatio habetur pro non facta. Put. *decis. 34. lib. 2. in nou. Rota post Pacif. de Saluian. decis. 146. numer. 2. & sequentib. Gratian. disceptat. 980. numer. 7. & 8.*


Siquidem omisso secundo extremo, quod hinc inde admittitur, creditum DD. Cecilie, & Victorie cum hypotheca probatur ex publico instrumento dotis Angelæ matris, quod facit rem claram, & manifestam, Bart. *in l. 1. num. 8. Iaf. num. 10. ff. de nou. oper. nunciat. Bald. in l. interesse. Cod. de solut. Dec. conf. 36. num. 2. Seraph. decis. 1134. num. 2. Rot. decis. 513. num. 1. & 2. part. 4. recent.* Nec non ex instrumento venditionis domus, super qua fuit intentatum Saluianum, clarè patet quòd fuit in bonis debitoris.

Nec visum fuit obstare quòd Angela de anno 1605. consenserit venditioni prædictæ domus factæ per P. Paulum virum Marchioni Tarquinio Santacrucio, & renunciauerit cuicumque hypothecæ sibi super eadem domo competenti. Quia cum Angela vsque ab anno 1602. ob vergentiam viri ad inopiam fuerit immissa per sententiam A. C. in possessionem domus, de qua agitur, pro securitate suæ dotis, non potuit illius venditioni consentire, cum teneretur eam seruare, vt ex fructibus, seu pensionibus possent alimentari ipsa, maritus, & filij: iuxta text. *in l. vbi adhuc, & ibi comm. DD. Cod. de iure dotium. Bart.*

Præterquam quod, cum Tarquinus emptor acceptauerit mandatum irreuocabile de faciendo *Inuestimento tuto* pecuniarum suprascripti multiplici, vt ex illo satisfaceret Angelæ, & illud non fuerit exequutus, dum census fuit à Francisco illius hærede impositus super domo subiecta anteriori

hypothecæ pro tanta summa, quæ excedit illius valorem. Itaut census non possit dici bene cautus: idcirco remanet obligatus ad damna, & interesse per textum in l. si tibi mandauero. 22. §. sicut. ff. mandati. l. ad comparandas. Cod. eod. tit. Parif. cons. 91. n. 10. lib. 1. Surd. decis. 304. num. 4. Rota Ianuen. decis. 9. num. 5. Pro quibus stante hypotheca inducta ex illius obligatione competit Saluianum contra eandem domum tanquam de bonis hæreditariis ipsius emptoris, saltè pro adimplemento in instrumento venditionis conuento circa inuestimentum tutum.

Et ita vtraque parte, &c.



CAPVT XXXI.

De Remissione mercedis conductori facienda: Quando ad hunc effectum contractus locationis, vel venditionis sit censendus: Quale damnum sit probandum per eum, qui agit ad remissionem mercedis. Pactum de facienda remissione mercedis, quid operetur ultra ius commune. Exceptio remissionis mercedis, vtrum retardet executionem obligationis Cameralis, vel possessionem Domini in recipienda mercede locationis. De casuum fortuitorum renunciatione, & de iniustitia pacti, quo Conductor obligatur ad mercedis solutionem, etiam in casum non fruitionis rerum locatarum: & alia multa circa hanc materiam notatu digna.

S V M M A R I V M.

- 1 In contractu venditionis non est locus remissioni mercedis, sed rescissioni ex capite laesionis.
- 2 In dubio contractus locationis censendus est, quem partes ita nominarunt.
- 3 In dubio interpretatio capienda est contra debitorem qui apertius legem dicere potuit.
- 4 Si contractus sit locationis in effectu, non est attendenda denominatio partium illum venditionis contractum nominantium; & è contra.
- 5 Pretij distributio per tempora arguit esse contractum locationis.
- 6 Intellige vt procedat, quando distributio est vniiformis, secus si difformis.
- 7 Non potest conductor agere ad mercedis remissionem, nisi damnum sit intolerabile.
- 8 Quod dicatur damnum intolerabile in materia locationis.
- 9 Refellitur cautela aliquorum volentium colonum liberari, offerendo locatori omnes fructus.
- 10 Dicta cautela non est etiam admittenda, quamuis locatio pro vno anno duntaxat facta fuerit.
- 11 Pactum de faciendi remissionem mercedis, debet aliquid operari ultra ius commune.
- 12 Limita nisi huic pacto adiecta esset clausula pro vt de iure, aut quid simile.
- 13 Verba pacti hoc casu sunt attendenda.
- 14 Stante pacto remissionis, illi locus est etiam pro modico damno.
- 15 Neque hoc casu fit compensatio anni utilis cum damno.
- 16 Item stante illo pacto, non imputatur conductori quod prauiderit sterilitatem ex natura rei, vel qualitate temporis futuram.
- 17 Si fuerit conuentum fieri remissionem pro quocunque damno notabili, quomodo intelligatur.
- 18 Exceptio remissionis mercedis non fundata in pacto contractus, non retardat executionem obligationis Cameralis.
- 19 Fallit, si lesio incontinenti probetur, & esset notoria.
- 20 Sed Auenioni, circa hoc videtur obstare dispositio statuti.
- 21 Nulla tali existente conuentione Locator lite pendente manutenendus est in quasi possessione exigendi.
- 22 Etiam talis manutentio conceditur pendente causa appellationis.
- 23 Exceptio remissionis mercedis, si oriatur ex pacto apposito in eodem contractu locationis, retardatur executio & solutio.
- 24 Remissio cessante pacto non potest peti in ultimo anno locationis.
- 25 Renunciatio casuum fortuitorum in instrumento locationis fieri potest.
- 26 Renunciari potest casibus fortuitis etiam raro contingentibus.
- 27 Pactum de soluendo mercedem, non obstante non fruitione, est nullum; & contra substantiam locationis.
- 28 Locator tenetur procurare conductori fruitionem, & omnia impedimenta remouere.
- 29 Ciuitas potest impositionem seu gabellam facere in ingressu portarum, pro solutione suorum debitorum.
- 30 Prohibitio commercij infert non fruitionem gabellarum.
- 31 Gabellarum vsus amittitur si plures persone moriantur.
- 32 Non potest dari cautela, vt renunciatur lesioni contingenti in substantia, rei locata.
- 33 Omnis actio qua competit respectu rei, tollitur re perempta.
- 34 Quando damnum conductoris est notorium, cessat priuilegium Cameralis obligationis.
- 35 Lesionis cuiuscumque intolerabilis renunciatio non valet, si sit nimis ampla.
- 36 Pactum est iniustum de soluendo mercedem, non obstante non fruitione proveniente ex facto locatoris; siue factum illud fuerit iustum, siue iniustum.
- 37 Vtrum locator teneatur ad totale interesse erga conductorem facto locatoris impeditum.
- 38 Conductor facto locatoris impeditus, aduersus ipsum agere potest pro quocumque damno, etiam non intolerabili.
- 39 Iudex dicitur spoliare locatorem eum condemnando ad soluendam mercedem, si re conducta frui non potuit.
- 40 Qua sit differentia inter sterilitatem, & non fruitionem, quoad remissionem mercedis.
- 41 Conductor soluens post non fruitionem habet actionem ex conducto.
- 42 Imò & indebiti conductionem.
- 43 Datur hoc casu repetitio licet damnum potuerit prauideri.

- 44 Si conductori data fuerit lista, tenetur locator, si ipse non fruatur rebus descriptis in ea.
- 45 Locans rem alienam etiam ignoranter, tenetur ad totale interesse.
- 46 Datur actio doli contra locatorem, si in lista descripserit res indebitas.
- 47 Locator tenetur conductorem de omnibus impedimentis monere.
- 48 Olinetis locatis demortuis, deficit substantia locationis.
- 49 Contractus locationis intelligi debet rebus sic stantibus.

Circa materiam remissionis mercedis plurimæ sæpius oriuntur difficultates, quarum resolutio sequentibus conclusionibus continetur.

1. Prima igitur conclusio est, attendendam in primis esse naturam contractus, vtrum videlicet sit venditionis, an verò locationis. Dum enim de venditione agitur, non est de mercedis remissione, aut solutione agendum; sed de pretij solutione aut rescissione ex capite læsionis enormissimæ. *Surd. decis. 326. num. 1.* quia periculum post contractum perfectum superueniens spectat ad emptorem. *l. 1. Cod. de pericul. & commod. rei vendit.*
2. Secunda Conclusio. In dubio contractum locationis censendum esse illum, quem partes ita nominarunt: aut si promiscuè verbum locationis & venditionis fructum vsurpauerint. *Boër. decis. 249. num. ult. versic. quartus casus est. Menoch. lib. 3. præsumpt. 104. num. 43. & 44. Surd. dict. decis. 326. num. 9.*
3. Maximè, quia in dubio interpretatio capi debet contra creditorem, qui in contractu legem apertius dicere poterat. *Surd. consil. 339. num. 20.*
4. Tertia Conclusio. Quamuis partes expressè contractum venditionis nominauerint; si tamen in effectu sit locatio, mercedis remissioni locus erit: quia non verborum cortex, sed effectus inspiciendus est.
5. † Vnde si pretium distributum sit in singulos annos, vel in semestria, aut alia diuisa tempora; non venditio sed locatio erit, non obstante partium denominatione, & mercedis remissioni locus erit: & ex professo docet *Menoch. dict. lib. 3. præsumpt. 104. num. 1. 2. & 6.* licet ipse contrarium teneat, quando partes vtuntur verbo emptionis; sed tamen in foro & in iudiciis à communi opinione non esse recedendum existimat: quam etiam sequuntur *Caroc. de loc. part. 3. in tit. de locat. vectig. quest. 9. fol. mihi 805. & part. 1. quest. 65. tit. de similitudine locationis. fol. mihi 267. Surd. d. decis. 326. n. 12.*
6. Quod tamen intelligendum est vt procedat quando distributio in diuersa tempora solutioni pretij destinata, fuit vniformis: nam si esset difformis, conclusio non haberet locum: quia requiritur vniformitas in tempore. *Boss. in tit. de remiss. merced. publi. num. 5. in fine,* vnde si solutio sit promissa æqualiter, aut vniformiter eiusdem summæ pro quolibet trimestri, vel pro quolibet anno, & sic de cæteris, erit contractus locationis: secus si esset diuersa summa promissa in terminis constitutis: quia tunc appareret solutiones fuisse diuisas, gratiâ facilioris præstationis, & non pro patientia quæ præstatur, cum non appareat ratio quare plus solui debeat pro patientia vnus trimestris, quàm alterius: & ita docet *Rip. in tract. de pest. tit. de priuileg. contract. causa pest. numer. 64. Caroc. dicto tit. de locat. vectig. quest. 9. numer. 8. versic. declaratur hæc conclusio.*

Quarta conclusio. Non potest conductor agere ad mercedis remissionem, nisi probet se damnum intolerabile passum fuisse. *Couar. pract. quest. 30. c. 30.* plures allegat *Barbos. in c. propter sterilitatem. n. 3. de locat.*

Quale autem dicatur damnum intolerabile, quatuor opiniones recenset *Gomes. lib. 2. variar. resol. capit. 3. de locat. numer. 18.* Sed meliùs explicat vno verbo *Couar. dict. capit. 30. & post eum, Ripol. variar. resol. capit. 12. numer. 28. & sequentibus.* vt tunc dicatur damnum intolerabile, quando colonus tam paucos colligit fructus, vt deductis expensis non sufficiant ad soluendum dimidium pretium locationis: vel quando colonus non percipit dimidiam partem fructuum, qui ex illo fundo colligi possent. *Infinos allegat Barbos. in cap. 3. n. 3. de locat.*

Non tamen approbo cautelam per *Ripol. allatam ibidem numer. 220.* (qui dicit colonum liberari à solutione pensionis, si offerat Domino omnes fructus per eum in illo anno perceptos: quia oblati illis fructibus, debet illi fieri remissio mercedis.) Ratio est, quia si locatio facta fuerit pro pluribus annis, non debet haberi respectus ad vnus anni sterilitatem; sed vbertas aliorum cum huius sterilitate compensari debet. *l. si vno 17. ff. locat. dict. capit. propter sterilitatem. eodem tit. l. licet. 8. Cod. eod. tit. †* Si verò locatio facta fuerit pro vno anno, nec isto casu audiendus est conductor fructus offerens locatori: quia contingere potest quòd conductor damnum passus fuisset, sed tamen damnum illud non esset adeo magnum, vt remissio fieri debuisset; quæ vt dictum est non debet fieri nisi supposito damno intolerabili. *l. si merces. ff. vis maior. ff. locat. Mantic. de tacit. conuent. lib. 5. tit. 8. numer. 30. & tamen offerendo fructus Domino, conductor secundum illam opinionem liberaretur, etiamsi damnum non esset adeo magnum: quod non est dicendum.*

Quinta Conclusio. Si inter locatorem & conductorem factum fuerit pactum de facienda mercedis remissione in casum sterilitatis, pactum illud magnos operatur effectus. Ratio est, quia debet aliquid operari præter dispositionem iuris communis: vt post *Angel. in l. adem. in fin. ff. locat. tenet Mantic. dict. lib. 5. tit. 8. numer. 19. Peregr. consil. 98. numer. 2. & 8. volum. 1. Cyriac. controuers. 151. numer. 12.*

Vnde in casum contingentia dicebam pro quodam conductore generali bonorum omnium cuiusdam Baronis, quòd stante pacto de faciendo remissionem mercedis, casu quo aliquod ex membris dictorum bonorum peste vel bello affligeretur, dicto conductore pro reliquis obligato remanente ad omnes alios casus fortuitos; dominus tenebatur diminuere mercedem conductori, tam ad ratam fructuum perceptorum, quàm ad ratam pensionis soluendæ; quamuis damnum non esset intolerabile, nec habitata ratione ad vniuersam locationem; sed pro rata membrorum quæ peste afflicta fuerunt. † Quia licet non debeat fieri remissio mercedis nisi iuxta dispositionem iuris communis, quando fuit conuentum quòd fieret debita remissio, vel quòd fieret secundum ius, vel cum clausula *provt de iure*: *Mantic. de tacit. conuent. lib. 5. tit. 8. numer. 22. †* Tamen si simpliciter dictum fuerit quòd fieret remissio in casum sterilitatis, iuxta amplitudinem aut restrictionem pacti regulabitur petitio, seu adiudicatio remissionis: & ideo in casu proposito, fiet reditus diminutio pro rata membrorum vniuersalis locationis, in quibus pestis viguit: vt post *Salicet. & alios ostendit*

14. Boss. *de remis. mercedis. num. 48.* † Etiam si damnum esset modicum. Angel. *consil. 312. incipiente, Pro- ut patet ex themate. num. 1.* quia sic lex contractus disponit, & conuentio licita est & honesta: ergo seruanda. *l. 1. §. si conuenerit. ff. de posit.* † Neque hoc casu inspiciendum est, utrum sterilitas compensari possit cum fructibus prouenientibus illo anno in aliis membris, aut etiam annis sequentibus, in quibus contingeret uertitas: sed quocumque modo fieri debet reductio mercedis: ut optime per Angel. *de consil. 312. n. 2.* Ruyn. *consil. 81. volum. 1.* Cyriac. *controuers. 151. n. 21.* Surd. *consil. 34. n. 30.* † Præterea dictum pactum hoc operatur, ut non sit imputandum conductori, qui sciebat bona locata supposita esse periculo, ueluti pestis, inundationis, & similibus: Coccin. *decis. 422. num. 4.* qui in effectu totam resolutionem huius questionis, reducit ad uerba pacti: ut notat *ibidem n. 12. versic. & propterea.*
17. Et si dictum fuerit deberi diminutionem, & remissionem pro quocumque damno notabili: debet intelligi de quocumque damno considerabili; quamuis non esset intolerabile. Mantj. *de tacit. conuention. d. lib. 5. titul. 8. numer. 22.* Supradicta copiose comprobatur Surd. *consil. 383. per totum. maximè num. 12.*
18. Sexta Conclusio. Exceptio remissionis mercedis in sola iuris dispositione, non autem in pacto contractus fundata, regulariter non retardat executionem obligationis Cameralis. Rota apud Zachiam, *post tractat. de obligat. Camer. decis. 41. numer. 1.* † Fallit si læsio intolerabilis esset notoria, aut incontinenti de ea constare posset; sicut de omni exceptione, quæ incontinenti probari potest, tradit idem
20. Zach. *in dicto tractat. quest. 18. numer. 11.* † Existimo tamen hoc non posse praticari in ista Ciuitate Auenionensi: quia statutum dat pignorato, uel executionem passo, dilationes congruas ad deducendum, & postea probandum causas suæ oppositionis, aduersus executionem & obligationem: ut habetur *lib. 2. rubric. 21. art. 1.*
21. Sed quid dicendum, si locator dicat conductori se esse in possessione exigendi; & ideo non obstante re- ductione mercedis petita per conductorem, ipsum cogendum esse ad solutionem interim, sine præiudicio iurium suorum. Respondetur nulla inter partes existente conuentione de faciendo remissionem mercedis, dominum esse lite pendente manutenendum aduersus conductorem, in quasi possessione exigendi. Postius *de manuten. obseruat. 10. n. 72.* Rota apud eundem, *decis. 181. n. 9.*
22. Quod procedit etiam si conductor haberet pro se unam sententiam; semper enim debet Dominus manuteneri, donec lætæ fuerint tres conformes. Caualer. *decis. 228. n. 3. & 4.* exceptio siquidem requirens altiore indagine non admittitur in iudicio possessorio. Postius *in dicto tract. obseruat. 42. n. 67.*
23. Sed si in eodem locationis instrumento, conuentum esset de facienda remissione mercedis, in casum damni uel sterilitatis, tunc existimo istam exceptionem esse admittendam, etiam ad effectum retardandi solutionem; cum ortum habeat eodem tempore, quo actio producta fuit. Rota apud Posti. *in d. tractat. decis. 215. n. 6.* & oriatur ex eodem instrumento, ex quo producitur actio. Atque ita intelligenda est, *decisio Rota 42. n. 8. & 9. post tract. Zach. de obligat. Cameral. ut explicat Zach. quest. 17. num. 61. & decis. 8. num. 1.*
24. Supradicta multo magis procedunt, si controuersia non moueatur in ultimo anno locationis. Regulariter enim (cessante pacto) remissio peti nequit per con- ductorem, nisi in ultimo anno suæ locationis, cum de læsione constare non possit, nisi toto tempore elapso. Rot. *decis. 225. n. 4. p. 4. diuersorum. Caualer. d. cis. 28. n. 50. p. 2.* totius enim temporis ratio haberi debet. Coccin. *decis. 11.*
- Septima Conclusio. Renunciatio casuum fortui- torum facta per conductores, ualida est; & impedit quominus ad mercedis remissionem agere queant. Sebastian. Medic. *de casib. fortuit. part. 1. quest. 15. numer. 1.* probatur per text. in *l. si quis fundum. in princip. & ibi DD. ff. locat. l. licet. Cod. eod. tit. Pinel. ad l. 2. Cod. de rescind. uendit. p. 1. num. 26.*
- Adeo ut renunciari possit casibus raro contingen- tibus. Ratio est, quia hæc & similia pacta sunt contra accidentalialia contractus, non contra substantiam. Surd. *consil. 61. n. 7.* Rimin. *iun. consil. 262. n. 23. & 24.* ubi dicit hunc esse quasi contractum assecurationis. Gaill. *lib. 2. obseruat. 23. n. 17.*
- Octaua Conclusio. Pactum quantumuis genera- libus & prægnantissimis clausulis munitum, ac iura- mento roboratum, quo conductores etiam in casum non fruitionis aut substantiæ locationis deficientis obligantur ad solutionem mercedis, non est obliga- torium; cum iniustitiam, & iniquitatem contineat & præterea sit contra substantiam contractus locationis, in quo locator non solum tenetur præstare conti- nuam patientiam conductori; sed etiam efficere ut ipse, durante toto conductionis tempore, fruitionem obtineat rerum in locatione contentarum. Surd. *d. decis. 326. num. 17. & consil. 400. num. 7.* † Et omnia impedi- menta remouere tenetur, per quæ conductor frui nequeat. *l. ex conducto. in princip. ff. locat.* Surd. *d. consil. 400. num. 8.* Addent. ad Ludouif. *decis. 235. num. 4.* unde pactum in contrarium factum, nullum est & inualidum Menoch. *consil. 671. numer. 17.* tan- quam contrarium substantiæ locationis, & per con- sequens inualidum. *l. pacta conuenta. ff. de contrab. empr.* Reducendum itaque est illud pactum ad termi- nos, & ad regulam iuris communis. Menoch. *con- sil. 27. num. 52. & d. consil. 671. n. 18.* Alciat. *consil. 49. num. 10. lib. 8.*
- Vnde cum conductores gabellarum Ciuitatis Aue- nionensis, (cuius ius est, interueniente Superiorum decreto, & autoritate, locandi gabellas seu im- positiones quæ fiunt in ingressu portarum, eximendo eos qui de iure exemptionem habent: ut dixit Menoch. *consil. 1201. numer. 68. & 69.*) cum in in- strumento locationis apposuissent pacta amplissima, quibus inter cætera conductores renunciabant re- missioni mercedis, non obstante quacumque pro- hibitione commercij; Dixi hoc non impedire quo- minus mercedem sibi remitti postulerent ob non fruitionem, & commercij prohibitionem, occasio- ne pestis uel suspicionis illius: † Hæc enim com- mercij prohibitio concludit per necesse non gau- dentiam gabellarum. Mastrill. *decis. 299. num. 111.* Burat. *decis. 398. numer. 2. versic. nam persona.* Ma- ximè quia dictam fuerat ipsos teneri non obstan- te quacumque quantumuis extraordinaria morta- litate, cum tamen diminutis notabiliter personis, † diminuatur per consequens usus & fruitio ga- bellarum conductarum, quarum substantia ex per- sonis & earum negotiatione dependet. Surd. *con- sil. 339. numer. 30. in fine;* † Et ideo bene Ma- strill. *d. decis. 299. numer. 68.* dixit nullas dari aut excogitari posse in huiusmodi contractibus cautelas, uel conuentionis formam, sub qua casibus ita insolitis renunciatur; cum læsionem in substantia rei contineant enormissimam. Gratian. *de gabellariis loquens discept. forens. cap. 195. numer. 7. & 8.* impossibile enim est pacta

- facta ista verbis etiam amplissimis concepta, extendi ad casum, in quo rei locatæ substantia deficiat. *Surd. d. decis. 326. num. 55. Menoch. consil. 855. num. 23.* reditus quippe debetur propter fructus : ergo illis non perceptis, non debetur. *l. ex conducto in princip. & l. si fundus. ff. locat.* Et hoc casu tollitur omnis obligatio conductoris. *Mantic. decis. 166. num. 2. & 3. Rota, decis. 323. num. 2. part. 4. recent. tom. 1. repetita apud Burat. decis. 210. Gratian. discept. 557. num. 63. & num. 61. & 62. & discept. 534. num. 39. & sequentib. Menoch. d. consil. 27. num. 47. Gomez. lib. 2. variar. resol. cap. 3. n. 18. versic. cuius rei ratio esse potest.* subiungens ; † Quod omnis actio vel obligatio quæ competit respectu certæ rei, tollitur re perempta. *l. 1. in fin. Cod. de iur. emphyt. Salicet. in l. licet. Cod. de locat. col. 1. in 2. opposit. Mantio. de tacit. conuent. lib. 5. tit. 8. num. 20. in fine.* † Quod adeo verum est, vt nec aduersus firmarios gabellarum locus fuisset priuilegio obligationis Cameralis; quia supponebatur damnum esse notorium, & incontinenti probari posse. *Rotæ apud Zach. de obligat. Cameral. decis. 105. num. 6. Gratian. discept. forens. cap. 534. num. 42. & 43.*
33. Addatur quod in instrumento locationis continebatur enormissimæ, & intolerabilis cuiuscumque læsionis renunciatio; quam licet nonnulli de iure sustineri posse crediderint; in contrarium tamen est veritas, cum talis renunciatio iniustitiam contineat, cui, sicut dolo futuro, renunciari non potest. *l. si superstitie. in fin. Cod. de dolo.* Atque ita determinat *Couarru. lib. 2. variar. resol. cap. 4. num. 5.* & plures allegat & sequitur *Galerat. in tract. de renunciat. centur. 2. cap. 2. num. 24. & 25.* quem vnum instar omnium allegasse sufficiat.
34. Sed ulterius protendebatur etiam iniustitia pacti: quia firmarij promittebant integram soluere mercedem, quamuis usufrui impedirentur proprio facto Dominorum Consuluum, seu Ciuitatis, in illis verbis; *tant à l'instance de la ville, que autrement.* aduersus cuius pacti claram iniustitiam exclamant omnes DD. *Surd. de decis. 326. num. 56. Menoch. consil. 55. num. 13. Castill. controuers. lib. 3. cap. 3. num. 56, 57. & 66.* vbi hoc ampliat, siue factum locatoris, quo conductor impeditur in sua fruitione, iustum sit; siue iniustum: plures ad hoc allegans Doctores, & nominatim *Alexand. consil. 84. lib. 6.* sicuti & *Barbosa in collect. ad l. licet. Cod. de locat. num. 17. Mantic. dicto lib. 5. de tacit. conuent. titulo 8. num. 17. Peguer. decis. 214. numer. 16.*
35. Solùm quærunt hoc casu DD. vtrum locator teneatur ad totale interesse; an verò pro rata damni duntaxat? Et quidam distinguunt vtrum factum locatoris fuerit iustum, vel iniustum: Primo casu, concludunt solùm locum esse remissioni mercedis. Secundo casu, locum esse præstationi totius interesse, quod conductor passus fuit. Ita distinguit *Mastril. dicto lib. 3. cap. 3. numer. 45. Mantic. decis. 166. numer. 2.*
36. Alij distinguunt vtrum locator potuerit remouere impedimentum, an non; primo casu, volunt peti posse totale interesse: secundo verò, agi solùm posse ad remissionem mercedis: omnes tamen conueniunt, conductorem hoc casu agere posse contra locatorem pro quocumque damno, etiam non intolerabili. *Castill. dicto lib. 3. cap. 3. num. 39. & 57. Peguer. dicta decis. 214. num. 15. Surd. decis. 326. numer. 65. Mastrill. decis. 299. num. 73. & 74. & meliùs num. 124. rationem reddens num. 126.* quia alioquin locator ex sua culpa vtilitatem consequeretur; & hanc opinionem dicit esse receptam, & secundum illam sæpe fuisse iudicatum. † Vnde *Seraph.*

decis. 995. num. 1. dicit Iudicem qui condemnat conductorem ad soluendam mercedem, quando non potuit frui re locata, dici illum spoliare.

Prædictamque differentiam inter sterilitatem, & non fruitionem, bene agnouit *Mantic. de tacit. conuent. dicto lib. 5. tit. 8. num. 33. & 38.* videlicet quia in casu sterilitatis agitur ad remissionem mercedis, si adsit damnum intolerabile; sed in casu non fruitionis, conductor totum interesse percipere debet, pro rata damni per eum passi: cui addo *Mozz. in tract. de locat. cap. de accidentalib. locat. numer. 18.* vbi dicit fieri remissionem pro rata, si conductor re conductæ frui non potuerit, etiam pro minima parte; & stante pacto & promissione facta de omnibus damnis, interesse & expensis, teneatur sine dubio locator ad totale interesse, etiam si habuisset iustam causam litigandi. *Cyriac. Niget. lib. 2. controuers. 274. numer. 6. & sequentib. † Ampliatur vt hoc procedat, non obstantibus solutionibus per conductores factis, pro quibus datur ipsis repetitio non quidem conditione indebiti, sed actione ex conducto. Gratian. discept. forens. 376. num. 21. & sequentib. † Immo dum impediti fuerunt usufrui re conductæ; verius est ipsis competere conditionem indebiti. Gratian. dicto cap. 376. num. 30. † Ampliatur secundo vt procedat, siue damnum tempore conductionis potuerit, siue non potuerit præuideri. Gratian. discept. forens. cap. 195. num. 2. vbi de conductore agente ex capite non fruitionis.*


An autem hoc casu remissio fieri debeat ad ratam redditus, an verò ad ratam fructuum, & sic ad proportionem lucri cessantis? quæstio est altioris indaginis; quam tamen *Surd. consil. 383.* determinat in fauorem conductoris, vt totale interesse debeat.

Consideratum etiam fuit, quod lista seu descriptio data fuerat conductoribus illarum rerum, quæ obnoxia erant solutioni gabellæ; quarum tamen exemptione multi particulares potiti fuerunt: veluti circa aurum & argentum rade, vulgò *Argent de billon,* & similia: † Et tamen tenebantur locatores facere, vt conductores illis omnibus cum effectu fruerentur, quæ in tariffa descripta erant: *Mangil. de euiction. quest. 149. num. 1. & 6. † Et locans rem alienam siue scienter, siue ignoranter, teneatur ad totale interesse: ibidem num. 24. Caroc. de locat. part. 2. cap. 80. num. 13. in paruis. † Et datur actio doli conductoribus, si illis tradita fuerit lista rerum, quibus frui non potuerunt. Rota, decis. 148. part. 3. recent. quamuis in casu illius decisionis contrarium fuerit decisum; quia lista fuerat lacerata: quod probatur ex *Surd. decis. 64. num. 28. 29. & 30. † locator enim perinde ac venditor teneatur secum contrahentem admonere de omnibus rei qualitatibus, quæ pretium diminuere possunt. dicta decis. 148. numer. 3. per textum in l. Iulianus. §. si venditor. & versiculo per contrarium. & §. idem Iulianus. ff. de action. empt.**

Et propterea ob supradictam considerationem non fruitionis, Dixi aliàs locum esse remissioni mercedis; ex eo quod locata fuerant oliueta, quibus ex hyemis intemperie maximum damnum illatum est, adeo vt omnes propemodum arbores demortuæ fuerint: quia videlicet defecit rei locatæ substantia ex *Mantic. de tacit. conuent. lib. 5. tit. 8. num. 33. & 38.* & probatur per text. in *l. arboribus. §. 8. ff. de contrahen. empt.* cuius textus dispositio extendenda est ad locationem. *Cost. de facti scientia & ignor. regul. 1. numer. 4. Mastrill. decis. 229. num. 113. Surd. consil. 400. num. 26. & 27. † Et contractus locationis (sicut & alij) intel-*

ligi debet rebus sic stantibus. Masstrill. ibidem num. 87. post Anchar. consil. 402. Crauet. consil. 95. num. 3. Alciat. consil. 49. num. 5. lib. 8.

Et in effectu conductores gabellarum obtinuerunt à Ciuitate Auenionensi congruam mercedis remissionem, ex prædictis fundamentis: & iterum conductores monetæ Pontificiæ Auenionensis, ob non fructuonem patacorum ex ære confectorum: item conductores decimarum cuiusdam Capituli, & aliis multis in causis ita obtinui, & exequi feci.



CAPVT XXXII.

Exactores Communitatum, an & quando possint cedere iura Communitatis mutantibus pecunias, pro solutione debitorum eiusdem: Et vtrum cessio iurium facta emptoribus bonorum, soluentibus de pretio ipsorum; producat non solum liberationem; sed etiam subrogationem in ius Communitatis. Et vtrum creditor qui curauit bona sui debitoris vendi sub hasta, non interueniente reali pretij numeratione, sed habita fide de pretio, amittat anterioritatem hypothecarum, quas habebat super bonis primi debitoris.

S V M M A R I V M.

- 1 Cedere iura possunt omnes, quibus à lege prohibitum non est.
- 2 Omnis actio siue directa, siue utilis cedi potest.
- 3 Exactor cui Communitas remisit suas actiones tam utiles, quàm directas: potest illas alteri soluenti, cedere si exigat ad suam utilitatem.
- 4 Exactor ad quem pertinet utilitas & damnum exactoris, dicitur potius veluti emptor exactoris, & censetur procurator in rem suam.
- 5 Quis dicatur procurator in rem suam.
- 6 Exactoribus competunt omnia priuilegia Communitatum circa exactorem.
- 7 Concesso alicui mandato, omnia consequutina mandati concessa censentur.
- 8 Simplex exactor sine speciali mandato iurium cessionem facere non potest.
- 9 Cessio iurium facta tertio emptori soluenti de pretio bonorum venditorum, non valet tanquam cessio, sed habet tantum vim liberationis.
- 10 Constitutio census nulla est, si pretium non fuerit translatum in venditorem census.
- 11 Nemo potest acquirere cessionem iurium aduersus illum, quem inuitum liberauit.
- 12 Cessio facta soluenti de pretio bonorum venditorum valida est; quando solutio facta fuit nomine, & tanquam de pecuniis emptoris, qui voluit sibi iura acquirere, precedente pacto subrogationis & cessionis faciendæ.
- 13 Soluens debitum alienum cum protestatione sibi ipsi acquirendi, etiamsi soluat de pretio bonorum emptorum, sibi acquirit iura mediante iurium cessione.

- 14 Translatio pecunia facta in alium, non potest operari ultra partium intentionem.
- 15 Solutio facta anteriori creditori sub qualitate cessionis iurium, non inducit plenam liberationem, sed tantum conditionalem: ita vt superuenientibus molestiis, perinde sit ac si liberatio facta non fuisset.
- 16 Pecunia censetur tradita debitori, & breui manu eius creditori, celeritate coniungendarum actionum.
- 17 Soluens præsumitur soluere de pecuniis propriis in casu dubio, sed non in casu claro.
- 18 Soluens pro alio sine mandato, habet actionem personalem, si non fuerit prohibitus ab eo cuius nomine soluit.
- 19 Soluens exactori Communitatis, acquirit ipso iure actionem personalem.
- 20 Emptor soluens de pecuniis propriis cum expressa declaratione, quod vult emere nomen creditoris, & sibi acquirere; potest validè impetrare cessionem iurium in sui fauorem.
- 21 Liberatio bonorum sub hasta publica, nulla est, si non fiat in pecunia numerata.
- 22 Si creditor vendi faciens sub hasta, consentiat liberatario fidem haberi de pretio, oritur tacita delegatio, & liberatur debitor cuius bona subhastata sunt.
- 23 Liberatio bonorum habitâ fide de pretio, est valida, si creditor consentiat in actu liberationis; ita vt obligatio debitoris extincta remaneat.
- 24 Si plures sint creditores, omnium requiritur consensus, vt liberatio habitâ fide de pretio valida sit.
- 25 Venditio iudicialis pignorum habitâ fide de pretio fieri potest, quando qualitas pignorum id suadet.
- 26 Si liberatio & subhastatio sit nulla, remanent iura creditorum illasa: quia titulus reducitur ad non titulum.
- 27 Delegatio non inducitur per subhastationem, quando creditor expressè protestatur saluas sibi, & illas suas actiones remanere.
- 28 Creditor non est in culpa, subhastari faciens absque numeratione pecunia, si id fiat pro utilitate creditorum.
- 29 Idem si liberatarius esset soluendo tempore liberationis. Idem si omnes creditores consentiant liberationem fieri habitâ fide de pretio.

Stephanus annum redditum Francisco vendiderat eâ lege, vt pretium census huiusmodi impenderetur pro medietate pro collectis bonorum ipsius venditoris, pro alia medietate pro collectis bonorum Nicolai, quibus se oneratum esse Stephanus asseruit: subsequutâ solutione per Franciscum exactori, pro vtriusque collectæ solutione facta, cum cessione iurium per exactorem concessa; de cessionis validitate fuit dubitatum.

Primò igitur quæsitum fuit, vtrum exactor, Communitatis nomine, ius habeat cedendi actiones & hypothecas Communitatis, si ei ab ipsa specialis facultas data non fuerit.

Secundò, vtrum solutio illa facta censetur de pecuniis debitoris, & ita liberationem quidem patriat, sed non iurium cessionem validam.

Tertio, vtrum Franciscus præiudicauerit suis hypothecis, acceptando in debitorem quemdam liberatarium bonorum, aliàs ad dictos Stephanum & Nicolaum spectantium, qui loco pretij sibi assumpserat onus soluendi, & extinguendi censum illum annuum Francisco debitum.

Ad primam quæstionem Dixi, exactorem in casu proposito, iura Communitatis cedere potuisse, ex multis facti circumstantiis.

1. Primò, ex regula generali quòd cessio iurium omnibus illis permittitur, quibus à iure non reperitur prohibita. Oliban. *de actionib. part. 2. lib. 1. cap. 4.*
2. *num. 3.* † Secundò quia omnis actio siue directa, siue utilis, cedi potest. Card. Tusch. *litera C. conclus. 2. 12.*
3. *num. 5.* † Dictus autem exactor, quamuis fuisset simplex procurator, habebat tamen directam actionem, quam nomine Communitatis intentare poterat ad utilitatem propriam: quia pecuniæ exigendæ ad ipsum spectant, solùmque tenebatur pretium conuentum soluere Communitati: & ideo actio directa apud eum erat efficax, & cedi poterat; maximè cum haberet amplam & prægnantibus clausulis munitam facultatem. Castrenf. *in l. si procurator. num. 4. & 5. ff. de procurat.* Vbi dicit quòd quantum ad agendum actio directa, quæ competit procuratori, præfertur utili quæ est apud dominum: non solùm autem habebat directas, sed etiam utiles actiones sibi cessas ab ipsa Communitate: quippe qui poterat agere ac etiam exigere, & recusantes cogere ad solutionem remediis executiuis; solutiones recipere, & instrumenta cancellare; quæ omnia actionem utilem respiciunt: & erat in effectu constitutus procurator in rem suam, quia lapsum erat tempus exactioni præfixum, & ipse erat debitor totius pretij residui exactiõis erga Communitatem. † Actio igitur aduersus debitores ipsi proprio nomine competebat, cum non esset nudus exactor, sed potius emptor dictæ exactiõis. Roman. *in l. prator ait. §. 1. n. 2. ff. de aqua pluuia arcend.* vbi dicit quòd emptores gabellarum Communitatis, dicuntur procuratores in rem suam, quia agunt ad proprium commodum: sequitur Mantic. *de tacit. conuent. lib. 7. tit. 2. num. 32.* † Et generaliter quicumque habet facultatem exigendi ad propriam utilitatem, dicitur procurator in rem suam. Francisc. Aretin. *consil. 125. num. 1. & 2.* Bertrand. *consil. 235. num. 2. volum. 7.* & notatur in *l. qui stipendia. Cod. de procurat.* Mantic. *d. lib. 7. tit. 2. num. 29.* ad instar usufructuarij, qui dicitur procurator in rem suam proprietarij. Mantic. *ibidem num. 30.* Erat enim duntaxat debitor quantitatis erga Communitatem: credita verò ad ipsum uti emptorem exactiõis spectabant. Gratian. *discept. forens. 666. num. 21.* & faciunt tradita superius, *cap. 16. num. 2. & 3.* † & ad istos exactores pertinent omnia iura & priuilegia Communitatis. Losæus *de iure vniuers. part. 3. cap. 9. num. 30.* & cum facultatem Communitas exactori concessisset faciendi quitancias publicas, instrumenta cancellandi, & alia plura de quibus in instrumento; verisimile est quòd dare voluerit facultatem, etiam cessionem iurium faciendi. Mantic. *dict. lib. 7. tit. 14. num. 13. & 14.* cum cessio iurium sit consequutiva quitanciæ & cancellationis.
7. † Et concessio mandato, censentur concessa quæ solita sunt & consueta, qualis est iurium cessio tertio soluenti faciendâ, dum hoc tendit ad faciliorem exactiõem summarum deuitarum. Bertrand. *consil. 102. num. 4. volum. 2. prior.* Surd. *decis. 213. num. 4.* Et sic iudicatum & obseruatum fuit: & cessio iurium facta per exactorem, fuit habita pro valida, & legitima; quia verè iste exactor vigore dictarum clausularum appositarum in instrumento cum Communitate cele-

brato, fuerat constitutus procurator in rem suam, & totum commodum vel damnum debitorum ad ipsum spectabat: iuxta tradita per Bertazol. *in tract. de clausul. instrum. claus. 29. gloss. 1. & 2.* † Alioqui simplex exactor, qui est veluti simplex procurator, iura & actiones sine speciali mandato cedere non potest; cum speciali verò mandato, cedere posset. Bertazol. *in d. tract. clausul. 27. gloss. 1. num. 7.* Iacob. de Aren. *de cession. iur. num. 36.*


Ad secundam difficultatem dubium in eo consistit quòd cum Stephanus fuisset oneratus soluere tanquã emptor bonorum Nicolai; solutiones per eum aut per alios eius nomine factæ, non habebant vim cessionis iurium; sed tantùm operabantur liberationem cum essent factæ per emptores bonorum, & de pretio illorum, & per consequens de pecuniis Nicolai debitoris: ex notat. per Ludouic. *decis. 68. num. 2. & 3.* Gratian. *discept. forens. 286. num. 6. & 7.* & *discept. 793. num. 24.* Rota, *decis. 63. num. 4. & 426. num. 3. part. 2. recent.*

Quod autem solutio facta fuerit de pecuniis venditoris patet; quia si in ipsum non fuissent translatae pecuniæ ex pretio prouenientes, constitutio redditus annui esset nulla; cum requirat ut emptor census transferat realiter pretium in venditorem. Rota *part. 2. recentior. decis. 56. num. 6. & decis. 793. num. 24.*

Secundò, quia, cum Nicolaus intenderet plenè liberari, non potuit Franciscus annui redditus emptor acquirere cessionem iurium contra illum, quem iniuriam liberauit. Bartol. *in l. si stichum. §. si ab alio. ff. de nouat.* quia solutio fieri non poterat contra formam in mandato contentam, quæ erat ut Stephanus solueret effectualiter pro Nicolao, non autem ut remaneret in statu obligationes fauore emptoris census. *l. diligenter. ff. mandati.*

Verùm, negotij qualitas & circumstantia effecerunt ut contrarium fuerit resolutum; si quidem iura prædicta locum habent, quando solutio facta est de pecuniis debitoris; cum tamen in casu proposito soluens expressè declarasset & protestatus fuisset se soluere de pecuniis propriis, & ad suam propriam utilitatem, animo sibi acquirendi iura, & actiones, & proprium negotium gerendi, maximè præcedente expressâ conuentione, quòd ipse esset subrogatus in ius creditoris, & quòd exactor sibi cederet iura, provt cessit, & cedere poterat, ut supra ostensum fuit: quo casu cessio est valida: ex notat. per Addent. ad Burat. *decis. 420. num. 8.* & in terminis annui redditus docet Gaspar. Roderic. *de annuis redditib. lib. 2. quæst. 20. num. 6.* potestque huic casui applicari distinctio superius allata. *cap. 29. in 2. conclusione. num. 3.* † Quòd si iste emptor soluerit nomine venditoris; non potest cessionem iurium obtinere: secus si soluerit nomine proprio, & ad sui utilitatem animo acquirendi sibi iura creditoris dimissit: hoc enim casu non video quid impediatur quominus in eius locum succedat, provt nouissimè tenuit Fernand. Arias de Mesa, *lib. 1. variar. resol. & interpret. iur. cap. 3. num. 7.* licet loqui videatur de successione, quoad ius excipiendi, iuxta *decis. Vincentij de Franch. 134.* sed clariùs Anton. de Amat. *variar. resol. cap. 7. num. 12. & 13.* qui licet loquatur de extraneo solvente, tamen eadem ratio militat in emptore, quando expressè declarat se proprio nomine soluere, ut sibi acquirat: alioqui si semper censeretur soluisse de pecuniis, & nomine ipsius venditoris; nec in creditoris ius succederet præcedente pacto expresso, & cessione iurium subsequutâ; quod tamen mox admittendum esse ostendimus: & est de mète Rotæ: vt testatur Addit. ad Burat. *d. decis. 420.*

14. Et licet dominium pecuniæ translatum videatur in Stephanum annui redditus venditorem; translatio illa non operatur nisi iuxta formam conuentam inter soluentem, & recipientem. Ruyn. *consil.* 143. n.2. volum. 5. & sola pecuniæ traditio non sufficit, nisi concurrat etiam animus dominium transferendi. Rota, *decis.* 516. num.4. part.4. recent. unde pecuniæ non dicuntur translatae in Stephanum nisi sub conditione soluendi creditoribus Nicolai, & ius acquirendi Francisco. Rota apud Cens. *decis.* 384. num.6. † Et solutio facta creditori anteriori sub qualitate cessionis iurium, non inducit liberationem integram, sed tantum conditionalem: ita vt superuenientibus molestiis, liceat vt iuribus cassis, non obstante liberatione.
15. ne. *dict.* *decis.* 384. n.7. † Igitur quando solutio facta esset venditori census, tamen celeritate coniungendarum actionum, censetur vnus actus in alio occultatus, & facta solutio de pecuniis Francisci emptoris: per text. in l.3. §. fin. ff. de donat. inter vir. & vxor. & ibi Gloss. in verb. occultare. & in l. singularia. 13. ff. si cert. petat. Cens. de censib. *quest.* 48. num.30. † Præsumitur quidem in dubio, quod soluens de pecuniis propriis solutionem fecerit, sed non in calu claro, prout hîc: Rota, *decis.* 416. n.4. apud Censum. pecunia igitur breui manu tradita censetur per emptorem census. Ias. in l. qui in aliena. num. 41. ff. de acquir. hered. Cens. *quest.* 50. num. 22. & 23. Rota apud eundem *decis.* 133. num. 12. & 134. num.4.
16. Dices succedere quidem emptorem in actione personali, quia non erat verum in facto quod adesset prohibitio primi illius debitoris, nempe Nicolai, cuius negotium gerebatur: Burat. *decis.* 637. num. 2. &
17. *decis.* 509. num. 2. † maximè quia solutio facta erat exactori Cômunitatis, quo casu personalis actio ipso iure transfertur in soluentem cum suo priuilegio. Surd. *consil.* 444. num. 10. Rota, *decis.* 592. num. 4. 5. & 6. part. 5. recent. sed dubium propositum esse, de successione in ius hypothecæ: ideo de ea in specie agendum esse. † Sed adhuc dicendum est successisse emptorem in ius hypothecæ, cum non vt emptor, nec nomine venditoris, sed tanquam quilibet extraneus, & nomine suo proprio, & animo sibi acquirendi solutionem se facere nominatim expressisset, & eo nomine cessionis iurium sibi fieri obtinuisset: quo casu de cessionis validitate dubitari non debet: cum cesset illa ratio quod solutio facta fuerit de pecuniis venditoris: ad notata per Surd. *dict.* *consil.* 444. num. 13. Rotam. *dicta decis.* 592. num 5. part. 5. recent. Duard. de censib. §.5. *quest.* 23. num.30.
18. In tertia quæstione supponendum est liberationem bonorum quæ sub hasta publica distrahuntur, fieri debere in pecunia numerata. l. à diuo Pio. 15. §. sed si emptor. versic. oportet. ff. de re iudic. Gratian. *discept.* forens. cap.7. num. 5. & 6. Mangil. de subhast. *quest.* 13. num.4. & sequentibus. Rota. *decis.* 50. & 63. part. 4. diuers. Ricc. *collect.* 3584. Fontanel. de pact. nuptial. claus.7. *glos.* 3. part.6. num.19. fol. mihi 512. quia quamuis emptor sese onerauerit solutione debitorum, aut illi habita fuerit fides de pretio; non propterea liberatur debitor, cuius bona venduntur; sed semper remanet obligatus: & sic non satisfit intentioni legis, quæ est vt debitor, cuius bona distrahuntur, integram liberationem ad ratam pretij liberationis consequatur. † Imò quando creditor permittit bona liberari vltimo offerenti, absque actuali pretij exburfatione, tacitè videtur consentire vt debitoris, cuius bona subhastantur, debitum extinctum esse censeatur, saltem per viam delegationis, quæ fit ministerio legis & Iudicis: quia iudex supplet factum partis: ideo videtur loco debitoris delegare emptorem, emptor verò
- mediante emptione videtur se obligare creditori, ad cuius instantiam fit subhastatio, quem creditor ipse acceptat in suum debitorem: tribus autem his concurrentibus perficitur delegatio, & primus debitor consequitur liberationem: prout ista omnia tradit Rota, *decis.* 284. num. 2. part. 3. recent.
- Consentiente igitur creditore, liberatio valida est; licet non interuenerit pecunia numerata: sed consensus iste in ipso actu liberationis præstari debet; ita vt per talem consensum debitor, de cuius bonis subhastandis agitur, remaneat liberatus à suo creditore. Rot. *decis.* 232. num. 5. part. 3. recent. Ludouis. *decis.* 23. num. 6. & *decis.* 411. num 13. & 14. part. 5. recent. & apud Cens. *decis.* 536. num. 15. & apud Burat. *decis.* 257. num. 13.
- Quod si plures sint creditores, omnium requiritur consensus, & si aliqui duntaxat consentiant liberationem fieri habitâ fide de pretio, horum consensus aliis præiudicare non potest. Anton. Niger, in tract. de iudiciali pignorat. cap. 16. § 6. num.8. & 9.
- Prædicta tamen regula limitatur, vt scilicet non sit necessaria actualis pretij subhastationis numeratio, quando qualitas pignorum aliud suadet, & Iudex ideo credit expedire, vt liberatio fiat habitâ fide de pretio. Bertazol. *clausul.* 38. *glos.* 1. num. 19. in fin. Niger *dict.* cap. 16. in princip. num. 46 Castrenf. in l. exequatur. §. si vendiderit. ff. de pignorat. act. n.2. in illis verbis: ego puto hoc verum, si nihil potest imputari: quia non poterat aliter vendere.
- Secundò aduertendum est nihil interesse istius creditoris, siue bonorum adiudicatio valida sit, aut inualida ex capite habitæ fidei de pretio: si enim liberatio sit valida, non potest illi imputari quod bona sui debitoris curauerit sic liberari: † si inualida; ergo illæ ipsi remanent primæ actiones; cum titulus venditionis reducatur ad non titulum: ergo primæ iura in suo robore manent. Surd. *decis.* 51. num. 19. & 20. Rota, *decis.* 370. num. 3. part. 1. recent.
- Tertiò notandum est, quod licet mox dictum fuerit mediante liberatione bonorum debitoris induci nouationem, & primi debitoris liberationem; hoc tamen non procedere, quando creditor expressè protestatur in contrarium; nempe se nolle illum acceptare in debitorem, nec à primis obligationibus recedere. Surd. *decis.* 23. Gratian. *discept.* 64. num. 22. Hodierni: ad dictam *decis.* 23. num. 2. Bertazol. *claus.* 33. *glos.* 18. num. 3. Cagnol. in l. singularia. num. 188. ff. si cert. petat.
- Quarò quod creditor non dicitur esse in culpa, consentiendo bona liberari, absque reali exburfatione pecuniæ, quando liberatio sic facta fuit ad vtilitatem creditorum, & pro maiori bono: vt vltra citatos supra num. 25. tenet Mangil. de subhastat. *quest.* 62. num. 9. † Idem dicendum, si emptor pignoris tempore venditionis esset soluendo, postea verò deterioris conditionis effectus fuerit. Negusan. de pignorib. part. 6. membr. 1. num. 38. quia creditori hoc casu nihil imputari potest, si eius fidem sequutus fuerit in distractione pignoris facienda.
- Similiter creditor curans bona debitoris liberata, non est in culpa, quando interuenit consensus omnium interesse habentium. Rota, *decis.* 464. num. 1. part. 2. recent.
- Ex quibus concludendum est nihil huic creditori imputandum, cum & expressè de iurium suorum refectione fuisset protestatus, & Commissarius pro bono vniuersali creditorum liberationem sic fieri, consentientibus interesse habentibus, ordinasset.



CAPVT XXXIII.

Explicatur consuetudo Cœnomanensis artic. 324. & 334. Et vtrum vidua petere possit redditum annuum sibi à marito, illius prouinciæ incola in qua testamentum condidit, legatum super bonis sitis in alia prouincia, in qua maritus vxori legare non prohibetur; vel etiam super pretio illorum bonorum conuerso in solutionem debitorum hæreditatis paternæ, sitæ in prouincia Cœnomanensi: Et vtrum obstat confusio actionum ob aditam à marito sine inuentario paternam hæreditatem. Et de matre ad secunda vota conuolante. Et de Edicto Regis circa successiones matrum.

S V M M A R I V M.

- 1 Legatum, quod fieri prohibetur per statutum, vel consuetudinem, validum est, quoad bona sita extra locum statuti vel consuetudinis.
- 2 Hoc maximè procedit, dum agitur de statuto vel consuetudine exorbitanti à iure communi.
- 3 Statutum prohibens ne maritus leget vxori, non extenditur ultra territorium statuentium.
- 4 In Gallia omnes consuetudines sunt reales, & ad sua territoria limitata.
- 5 Actio ex testamento dirigi non potest aduersus bona, per ipsum testatorem vita durante alienata.
- 6 Consuetudo permittens legatum mobilium, permittit legatum factum de pretio proueniente ex bonis venditis.
- 7 In Gallia debita omnia pecuniaria, & obligationes omnes in quibus immobilium promissio non adest, continentur appellatione mobilium.
- 8 Iura acquisita per aliquem, mediante solutione facta creditoribus, & cessione iurium per eos obtenta, continentur appellatione mobilium in Gallia.
- 9 Pecunia proueniens ex venditione immobilium, mobilis est apud Gallos.
- 10 Confusio per aditionem hæreditatis non inducitur quoad actiones que post aditionem natae sunt; sed tantum quoad eas, que natae erant tempore aditionis.
- 11 Mater binuba quas successiones de iure communi amittit.
- 12 In Gallia in locis vbi edictum receptum est, mater non succedit: Et quid ex ordinatione Regia consequatur.

Consuetudine patriæ Cœnomanensis, artic. 323. Cauetur, que femme noble ou de coutumier ne peut auoir don & doüaire sur les heritages de son mary, mais il est au choix de la femme de prendre la donation ou son doüaire, & en eslisant vn, elle est forclosse de l'autre, & neantmoins peut auoir don meuble & doüaire, hoc est quod mulier nobilis vel ex consuetudine non possit habere donum, & dotarium super hæreditatibus sui mariti; sed erit in electione mulieris capiendi donationem, vel dotarium; & eligendo vnum excludetur ab alio; & nihilominus po-

terit habere donum mobilium & dotarium. Et articulo 334. cauetur his verbis: Deux conioincts ensemble par mariage, peuent par donations mutuelles, ou autrement (liberis existentibus) donner l'un a l'autre tant seulement leurs meubles à perpetuité, & leurs acquets & conquets pour en iouir à viage & tant qu'ils seront en viduité: Hoc est; duo simul matrimonio iuncti possunt per donationem mutuam, aut alias, liberis existentibus, donare vnus alteri duntaxat mobilia sua in perpetuum; acquestus verò, & conquestus ad fruendum ad vitam, & quamdiu erunt in viduitate.

Non obstante dicta consuetudine, quidam Marchio aditâ hæreditate, Domini Marescalli patris sui sine beneficio inuentarij, condito postea testamento vxori suæ redditum annuum duorum millium scutorum, vt illi proprius esset, legauit super omnibus bonis suis: & casu quo donatio in dubium reuocaretur propter dictam consuetudinem Cœnomanensem, mandauit dictâ summam solui super quodam Comitatu existente in patria iuris scripti, & casu quo dictum Comitatum venderet, & ex eius pretio bona acquireret in patria Cœnomanensi, mandauit super bonis ita subrogatis dictum annuum redditum persolui.

Provt in effectu deuenit postea ad venditionem dicti Comitatus, & emptorem onerauit, vt solueret debita paterna in patria Cœnomanensi contracta, quod pretium ascendens ad summam centum millium scutorum, mortuo Marchione, partim fuit solum creditoribus paternis Cœnomanensibus, partim adhuc per emptorem debebatur.

Quæsitum fuit de duobus. Primò vtrum vidua, non obstante consuetudine, dictum redditum duorum millium scutorum petere possit.

Secundò, vtrum dicta vidua petere possit ius successions ob mortem vnus ex liberis post maritum vitam functi, nullo condito testamento, saltem super pretio dicti Comitatus venditi adhuc extante apud emptores, vel etiam super parte pretij conuersa in solutionem dictorum creditorum paternorum.

Circa primum caput, primo loco statuendum est; legatum illud validum esse quoad bona in patria iuris scripti constituta, quamuis testator in patria consuetudinaria habitaret, & in eadem testamentum conditum fuisset: verba enim consuetudinis quamuis generalia & vniuersalia, nunquam comprehendunt res sitas extra territorium: quia vbi cessat iurisdictio, cessat & dispositio consuetudinis: per text. in l. fin. Cod. de iurisdict. omni. iudic. l. duumvirum. Cod. de Decurionib. lib. 10. Gaill. lib. 2. obseruat. 124. num. 5. & sequentib. † Vbi id maximè procedere asserit, quando consuetudo exorbitat à iure communi, siue verba consuetudinis concepta sint in rem, siue in personam. Gozad. consil. 49. num. 8. & magis in specie, † de statuto prohibente maritum legare vxori, tradit Curt. iun. in l. exigere dotem. 65. num. 21. ff. de iudic. & ibidem etiam Angel. Castrenf. & Iacob. Quod ampliatur vt procedat, etiam si statutum esset fauorabile. Roland. consil. 80. numer. 29. versic. superest. volum. 4. Vbi quòd isto casu videntur duo testatores, & duo patrimonia. Ioseph. Ludouic. decis. Perus. 76. numer. 9. † Et in Gallia omnes consuetudines reales esse, & sic attendi locum vbi bona sita sunt, testatur Charond. lib. 7. respons. 100. & magis præcisè ad casum nostrum eodem lib. respons. 98. Vbi magis comprobatur dotarium promissum vltra portionem à consuetudine permissam, quoad residuum capi de bonis sitis in loco; vbi non viget illa consuetudo, Argent. in consuetud. Britann. artic. 218. n. 29.


Secundo loco statuendum est; nullam viduæ suff-
peresse

peresse actionem contra dictum Comitatum alienatum viuentem marito, & ab illius hæreditate segregatum; cum actio personalis ex testamento, aut alia quæcumque legatariis competens, illa duntaxat bona comprehendat, quæ testatoris tempore mortis fuerunt. *argum. legis fin. Cod. de Edict. diui Adrian. cum ibi notat. per DD. Fufar. de substitut. quest. 614. num. 1.*

6. Tertio loco statuendum est, dictam viduam pro consequutione legati experiri posse contra pretium dicti Comitatus, seu partem illius existentem in manibus emptorum: quia licet mobilia personam sequantur, tamen consuetudo non prohibet donationem mobilium inter virum & vxorem, & ita in terminis dictæ consuetudinis decisum fuit, referente Brodeau ad Louët *liter. D. arrest. 54. circa finem*, maritum vxori donare potuisse: quia de solis mobilibus disposuerat, provt illi per consuetudinem erat permissum: in causâ hæredum Christophori du Quesnay, & Ioannæ Bourdier. † Siquidem in Gallia debita omnia pecuniaria, aut in pecuniam resolubilia, mobilium appellatione continentur: & generaliter mobile dicitur, quotiescumque in obligatione immobile præstari non promittitur: Argent. *loc. citat. artic. 19. gloss. 5. num. 3. in verb. mobiliaries. Tiraquel. de retract. consang. §. 1. gloss. 7. num. 1.*
8. Quartò; cum in generali hypotheca iura & actiones contineantur: *l. nomen. Cod. que res pig. oblig. poss. & l. grege. §. cum pignori. ff. de pign. cum Dominus Marchio ex pretio priorum bonorum paternos creditores dimisisset, & ab illis forsan iurium cessionem obtinuisset, videbatur quòd vidua agere posset contra ista iura cessa, quæ vt dictum est in Gallia appellatione mobilium continentur, teste Domino Lud. Bello *consil. 77. n. 16. & 33. & consil. 148. n. 23. & consil. 102. n. 44. & 45. †* Vbi de pecunia proueniēte ex venditione bonorum immobilium, etiam in terminis iuris communis: poterit igitur vidua legatum petere, quod super mobilibus consuetudo permittit.*
10. Quintò; non erat quærendum vtrum Dominus Marchio actiones suas confudisset, ob non aditam cum inuentario paternam hæreditatem: Quia solutiones per ipsum factæ fuerunt post aditam paternam hæreditatem; quò tempore non potest induci aliqua confusio; sed illi duntaxat locus est in illo instanti, quo creditor succedens debitori, adit illius hæreditatem, tunc enim actiones iam ortæ extinguuntur: secus verò est in actionibus, quæ postea nascuntur ex causa non hæreditaria, & quæ nihil habent commune cum actione hæreditaria olim confusa; sed à nouo contractu facto post aditam hæreditatem dependent: & sicut inuentarij confectio ob nouam causam & obligationem nihil releuat; ita nec illius omisio quoad nouam obligationem, vel causam, nocere vel prodesse potest: vt copiosè ostendit Aretin. *consil. 147. aliàs 148. num. 2. sequitur Duenn. de regul. iur. regul. 18. in 4. limit. & fuit decisum in causa Romana scutorum viginti millium, 14. Maij 1582. coram Lancellot. senior. teste Vrselio conclus. 36. num. 24. litera A.*
11. Quoad secundum caput; si attendamus dispositionem iuris communis, certum est matrem ad secunda vota conuolantem amisisse successionem ab intestato filij sui impuberis, quoad bona ex paterna substantia quæ sita. §. *hinc nos. in Authen. de nuptiis. Theaur. Iun. lib. 1. quest. 29.* quod non ita simpliciter intelligendum est; sed ita vt mater in illis retineat vsumfructum, proprietate apud liberos primi matrimonij remanente: in bonis verò quæ non sunt de paterna

substantia, mater pleno iure succedat: sic enim constituitur in d. §. *hinc nos.* vt explicat Theaur. *loc. citat. & Peregrin. consil. 78. num. 1. cum sequentibus volum. 1.* in vsumfructu verò per maritum relicto, vxor binuba succedere non prohibetur. §. *si verò solum vsumfructum. in Authen. de nuptiis.* Caualecan. *de vsumfruct. mulieri relicto. num. 113.*

Sed in Gallia ex Edictò Regis, matres excluduntur à successione liberorum, & succedunt tantum in bonis mobilibus, & immobilibus quæ eorum filij aliunde acquisierunt quàm à patre, auo paterno, vel transfuersalibus paternis; consequuntur tamen dimidium vsumfructus bonorum lateris paterni. Papon. *lib. 21. tit. 1. arrest. 25. & Peleus, lib. 5. action. forens. cap. 12.* quam constitutionem fufius explicat Louët. *iter. M. num. 5.* vbi dicit Edictum illud ad causam intestati pertinere, nec ad testamentarias dispositiones protrahi: & *num. 22.* vbi plura circa dictæ constitutionis interpretationem proponuntur. Vide Francisc. Barry *de successione. lib. 18. cap. 2. num. 10.* Intelligo vt præmissa locum habeant in illis prouincijs, in quibus illa constitutio fuit vsu recepta.



CAPVT XXXIV.

Quando Communitas admittitur ad se redimendum pro eodem pretio quo fuit vendita; si sub ea plura sint membra & iurisdictiones; vtrum possint illa vendere, & pretium ad sui vtilitatem conuertere; an verò integra iurisdictio & vtilitas ad supremum Principem pertinere debeat.

S V M M A R I V M.

- 1 Quando Communitates admittuntur ad redimendum se pro eodem pretio quo fuerunt vendita. hoc fit potius ex iure & permissione Principis, quam iure proprio.
- 2 Vniuersitas dum se redimit, acquirit dominium bonorum sub Principis protectione, & superioritate.
- 3 Princeps est Dominus vniuersalis respectu superioritatis & protectionis, non dominij.
- 4 Vtilius est Principi plures habere Vassallos.
- 5 Feudum quod à Barone immediatè dependet, sub assensu tamen Principis conceditur, nuncupatur quaternatum.
- 6 Barones improprie dici possunt, quibus competit iurisdictio civilis & criminalis, cum mero & mixto imperio; nisi & alia concurrant de quibus ibidem.
- 7 Castrum in quo nulli sunt habitatores, proprie feudum quaternatum dici non potest.
- 8 Fenda annexa Baronie ab ea separari, & dismembrari nequeunt.
- 9 Intellige quando agitur de feudis maioribus, quæ sunt feuda dignitatum: Et quæ sint Baronie maiores quæ verò minores, & quid ad utramque requiratur.
- 10 Qua ratione summus Pontifex acquisierit Comitatum Venayssinum, & quod illum Barones in temporalibus recognoscunt, tanquam Dominum immediatum dicti Comitatus, & tanquam Comitem.
- 11 Verius est etiam in feudis maioribus, seu feudis dignitatum,

gnitatum, admitti diuisionem & dismembrationem.

12. *Ex generali totius Gallie consuetudine, quæ etiam viget in Comitatu Venayssino, feuda omnia redacta sunt adinstar bonorum patrimonialium.*

Is exitit grauissima inter duas Communitates, & Lemptorem Baronie, super prouocatione ad demanium, hoc est super redemptione per Communitates petita; quæ quoad vnâ ex dictis Communitatibus fuit transactione sopita: de cuius materia principali nunc non agemus, donec negotium quoad aliam Communitatem fuerit finitum per sententiam, vel transactionem: sed quætionem satis notabilem resolvere conabimur, ex qua neutri partium præiudicium oriri poterit. Dubitatum ergo fuit vtrum casu quo Communitates admitterentur ad redemptionem totius Baronie, pro eodem pretio pro quo vendita fuit: permitti illis debeat venditio membrorum, & feudorum particularium eiusdem Baronie, semper sub superioritate Summi Pontificis, qualem habet in aliis feudis Comitatus Venayssini? Et per me fuit conclusum affirmatiuè ad fauorem Communitatum.

1. Quia quando Vniuersitates admittuntur ad demanium, non tam vtuntur iute prælationis ex proprio capite, quàm ex permissione & concessione Principis, qui illis permittit vt possint vt eodem iure prælationis, quod ipsi Principi competeat: vt dicit Marta, *consil. 182. numer. 35. & 36. Camil. de Curte, in diuersis iuris feudalis. fol. 9. verso, n. 32.*
2. Vnde sicut Princeps retinendo ius prælationis efficitur Dominus immediatus bonorum retentorum; ita & Vniuersitas, quæ ex Principis concessione ius retentionis consequitur: feuda verò sic retenta transeunt in demanium Principis ratione protectionis; & ipsa Vniuersitas verè efficitur domina iurisdictionis, prouentuum & aliorum iurium; licet administratio iustitiæ fiat per Officiales à Principe deputandos: per text. *in l. 2. Cod. quib. ex caus. serui pro præm. libertat. accip.* in illis verbis: *vti eorum Domini pretium à*
3. *Fisco accipiant.* † Princeps enim Dominus est vniuersalis respectu iurisdictionis, & protectionis; non autem proprietatis. Riminald. iun. *consil. 19. numer. 72.* & ideo si prædia particularia Baronie, aut illius subfeuda alienentur; pretium alienationis, aliique prouentus spectare debent ad Communitates, pecuniam pro redemptione soluentes; præsertim cum ea sit supremi Principis intentio, vt prouentus illos & utilitates assequantur, & pretium ab aliis soluatur: Atque ita in propriis nostris terminis consuluit Camil. de Laratha, *consil. 86. à n. 123. vsque ad finem.*
4. Neque in casu isto adesse poterat aliqua contrarietas, neque aliquod detrimentum; quin potiùs magna utilitas Reuerendæ Camera, quæ per suos Officiales exercitium iurisdictionis erat habitura in duobus locis principalibus Baronie, in aliis verò membris consequeretur homagia & obsequia per Vassallos suis Dominis præstari solita: non quidem vt Comes totius Comitatus, sed vt obtinens Baroniam sibi mediante prælatione vnitam: iuxta tradita apud Vincent. de Franch. *decis. 154. numer. 6.* Itaque emptores membrorum particularium dicerentur Feudatarij Summi Pontificis vt Baronis, & haberent exercitium iurisdictionis nomine quidem proprio, sed recognita & dependentis à Domino Barone, hoc est à Camera.
5. † Adinstar feudi, quod apud feudistas vocatur quaternatum secundum quid, videlicet quia per Baronem alteri conceditur cum assensu Regis, vt tamen ab

ipso Barone immediatè dependeat: iuxta tradita per Ioan. Anth. Lanar. *in cap. 1. qui feud. dare possunt, à num. 112. ad 115. & ibi Addit. num. 109. & 114.*

Quantum enim Barones generali vocabulo appellentur omnes, qui habent iurisdictionem ciuilem & criminalem cum mero & mixto imperio; tamen propriè loquendo illi Barones duntaxat dicuntur, qui Baronie membrum principale possident; cui alij subfeudatarij numero plures supponuntur, ab illo feuda recognoscentes; videlicet decem, secundum aliquos: quauis tres subfeudatarij secundum sententiam aliorum sufficiant, ad veram Baroniam constituendam: vt constat ex traditis per DD. Gallos, Loyseau *in tract. des Seigneuries. cap. 7. numer. 32. & sequentibus.* Chassan. *in catal. glor. mundi, part. 8. considerat. 15. per tot.* Et inter DD. Neapolitanos; Capiblan. *in tractat. de iure Baron. in præm. n. 14. & 15.*

Et præmissa multo magis locum habent quoad vnum ex dictis membris, in quo solum adest castrum sine subditis; quorum defectu vix potest casus vllus accidere in quo iurisdictionis possit exerceri: Castrum enim inhabitatum propriè feudum quaternatum dici non potest; cum in eo ob defectum subditorum, iurisdictionis exerceri nequeat. Lanar. *in addit. ad d. cap. 1. qui feud. dare poss. n. 87. versic. ergo Castro effecto inhabitato.*

Augebuntur ergo iura Camera, ob acquisitionem plurium feudatariorum, seruitiorum, laudimiorum & excadentiarum quibus careret, si per vnionem & incorporationem inalienabilia fierent.


Neque obstat quod opponeretur feuda ista tanquam Baronie annexa esse inseparabilia: per text. *in cap. Imperialem. §. præterea Ducatus, de prohib. feud. alienat.* Quia respondetur inter Baronias propriè sumptas, duo illarum genera distinguenda esse.

Quidam enim dicuntur Barones maiores, qui sunt Capitanei regni, & in suis insignibus coronas deferunt veluti Duces, Marchiones, & Comites. Aliæ sunt Baronie certis locis adscriptæ, quæ tres saltem, (aut secundum alios decem) sub se debent habere castellanias; & hæ non sunt feuda Regalia immò diuisionem recipiunt; sicut & minora feuda simplicia, & castellanæ. Et de Baroniis primi generis intelligendus est text. *in d. cap. imperialem. §. præterea Ducatus, de prohib. feud. alien. per Federic. & ita distinguit Cannet. in Extrauag. volentes. §. & pariformiter. num. 34. & 35. fol. 73. Ranchin. in tract. de success. ab intest. §. 10. n. 7.*

Fit igitur huius Baronie recognitio Summo Pontifici in temporalibus, non vt tali, sed vt Domino Comiti Comitatus Venayssini ad eum deuoluti in vim pacis Parisiensis factæ anno 1228. medio Cardinalis sancti Angeli Legati Gregorij IX. inter S. Ludouicum IX. Gallie Regem, & Comitem Raymundum, alterius Raymundi filium, & sic Baroniam de qua agebatur, non poterat dici de Regiis & maioribus atque indiuiduis; cum à Summo Pontifice in temporalibus tanquam Comite dependeat.

Quantum & in Baroniis maioribus, & feudis dignitatum, ex generali consuetudine admittatur etiam diuisio: vt copiosè tradit Vultei in *tractat. de feud. lib. 1. cap. 8. numer. 36. fol. mihi 311. vbi plures allegat, fusè etiam Socin. Sen. consil. 165. n. 16. & sequentibus. volum. 1.* † Cum maximè ex generali Gallie consuetudine, quæ etiam viget in toto Comitatu Venayssino, feuda omnia redacta sint adinstar patrimoniorum, teste Steph. Bertrand. *consil. 237. n. 1. volum. 6.* & in effectu Dominus Baro, qui Baroniam

12. vendidit, multa illius membra ante alienationem Baronie vendiderat, & separauerat; referuatis sibi iuribus feudum superius concernentibus, ex qua obseruantia constat consuetudinem separandi, & dismembrandi, etiam in ipsa Baronia de qua agebatur, iam antea fuisse introductam.



CAPVT XXXV.

Si Auus donet bona sua in contractu matrimonij, & illius contemplatione sub pacto conuento & concordato, quod filius donet primogenito ex nepotibus, seu liberis ex eo nascituris, medietatem bonorum suorum; dictusque Auus similiter substitutionem in eodem contractu faciat: vtrum alij liberi secundogeniti, petere possint bona, sic per Auum & per eorum patrem donata, reponi in globo, ad effectum impinguandi eorum legitimam, quam petunt super bonis paternis.

S V M M A R I V M.

- 1 Dum pater in contractu auctoritatem interponit, non censetur vna ex partibus contrahentibus.
- 2 Filius in aduentitiis quorum usufructus patri queritur, sine eius auctoritate contrahere non potest.
- 3 Ex pactis matrimonialibus ius irreuocabile acquiritur uxori, & liberis.
- 4 Verba donationis pour luy, & les siens, non comprehendunt liberos, nisi sint heredes.
- 5 Dictio Gallica & les siens, quoscumque heredes comprehendit; sicut etiam de iure communi.
- 6 Donatio facta per Auum filio, si sit merè hereditaria, computatur in calculo legitima.
- 7 Quaecumque in legitimam imputantur, augent etiam calculum legitima.
- 8 Feudum hereditarium auget calculum legitima liberorum.
- 9 Quaecumque filiis queruntur ex stipulatione paterna, imputantur & computantur in legitima calculo.
- 10 Feudum nouum imputatur & computatur in legitima.
- 11 Non solum feudum hereditarium, sed etiam mixtum pro se & filiis & heredibus stipulatum imputatur, & computatur in legitima.
- 12 Hoc maxime procedit, dum agitur de bonis quorum omnes filij sunt capaces.
- 13 Legitima liberorum non minuitur per voluntarias quascumque alinationes.
- 14 Bona procedentia ex fideicommissio auito, non augent calculum legitima.
- 15 Fideicommissum antiquum non est, quod incipit ab ea persona, super cuius bonis petitur legitima.
- 16 Alienationes patris voluntariae, & quae non sunt onerosae, non nocent legitima liberorum.

- 17 Alienatio ex quibus dicatur voluntaria.
- 18 Alienatio non est onerosa, nisi lucrum & onus ex vtraque parte aequalitatem contineat.
- 19 Alienatio non minuit legitimam, quamuis pro parte esset lucrativa; sed debet esse in totum onerosa, vt prauidet legitima liberorum.
- 20 Quando donatio incipit a persona liberorum, vtrum per eam minuat legitima: pendet ex circumstantiis.
- 21 Quando donatio incipit a persona filij, & definit in personam nepotum; bona sic donata computantur ad augendas legitimam liberorum.
- 22 Quando pater tantum recipit, quantum donatus non sit prauidet liberis: ideo bona reciproce donata non computantur.
- 23 Ad evitandam inaequalitatem inter liberos multa computantur, quae alias non computarentur.
- 24 Donatio imputatur in legitimam, licet contemplatione matrimonij facta fuerit.

Pater filio suo contemplatione matrimonij medietatem omnium bonorum suorum inter viuos donauerat, cum pacto conuento & concordato, quod filius idemque donatarius sub auctoritate eiusdem patris sui, eadem inter viuos donatione medietatem omnium bonorum suorum, vni ex masculis ex eodem matrimonio nascituris donaret, per eundem filium eligendo; eoque non eligente, dicta medietas ad primogenitum deueniret; interueniente Notarij pro interesse habentibus stipulatione. Filio mortuo, relictis nepotibus, solus primogenitus medietatem vindicabat, secundogenitus legitimam super medietate per filium eundemque ipsorum patrem donata, sibi assignari postulans; saltem ad effectum, vt bona illa in cumulo ponerentur ad impinguandas legitimam ipsorum. Recusabat primogenitus dicens se medietatem donatam obtinere ex pacto & prouidentia Aui, qui donationem filio non fecisset, nisi pariter filius liberis suis eiusdemque Aui nepotibus irreuocabiliter donasset: & sic in globo bonorum filij eiusdemque sui parentis reponenda non esse.

Respondi tamen pro alijs liberis omnia in globo esse reponenda, ad impinguandam legitimam liberorum: considerando hic agi de duabus distinctis donationibus, quarum vna ab Auo, altera a filio facta fuit. In prima Auus filio; in secunda filius nepotibus, iidemque liberis suis donat. In prima Auus sibi ius reuersionis referuat; in secunda, nulla adest Aui, sed tantum Notarij pro interesse habentibus stipulatio. Si autem Auus nepotibus ex pacto & prouidentia quæri voluisset, non solum ipse pro nepotibus stipulationem interposuisset; sed etiam interuenisset vt contrahens pro interesse suo; cum tamen duntaxat interueniret vt auctoritatem praestans: quoties liquidem pater auctoritatem interponit, contrahere non dicitur, ex Rota apud Pic. decis. 59. n. 9. & 12. Vbi dicitur patris consensum interpositum ad autorizandum, non censeri interpositum ad contrahendum. Gratian. discept. forens. c. 3. 27. n. 36. Franch. decis. 585. numer. 6. Thesaur. iur. lib. 2. quest. forens. 37. num. 2. & hanc esse communem Doctorum sententiam testatur Pascal. de parr. potest. part. 1. cap. 6. num. 114. Auus igitur interuenit tanquam auctoritatem praestans. Quia etiam de aduentitijs, veluti de bonis maternis, quorum usufructus ad

eum spectabat; filius sine eius autoritate contrahe-
re non poterat. Gratian. *discept. cap. 781. num. 7.*
Multò igitur magis id locum habet, cum non simpli-
citer Auus interuenerit, sed expresserit se donationi
interfuisse animo autoritatem præstandi.

3. Et verba illa *cum pacto conuento & concordato*, non sunt ad Auum referenda, quasi ipse conuenerit & concordauerit, sed ad vxorem & illius affines in dicto matrimonio præsentibus, & contrahentes, quibus ius quærebatur per pacta & conuentiones matrimoniales. Vincent. de Franch. *decis. 205. numer. 3.* Fontanel. *de pact. nuptial. claus. 4. glos. 1. num. 30.* copiosè Rota, *decis. 44. per tot. part. 6. recent.* ergo pactum non debet ad Auum referri, vbi non contraxit; sed autoritatem præstitit: vt mox dictum est.
4. Præsertim quia in donatione per Auum facta interuenit stipulatio filij, pro se, & suis hæredibus, & successoribus quibuscumque: vnde liberi in illis succedere debent tanquam hæredes: quia verba illa *pour luy & les siens* non comprehendunt suos, nisi pariter sint hæredes: ex doctrina Ferrer, ad Guid. Pap. *decis. 230.* Cod. Fabrian. *lib. 6. tit. 18. de verb. signific. definit. 3.* † Et quòd significatione verbi & *les siens*, in contractibus iuxta Gallicum sermonem, hæredes quicumque comprehendantur, tradit Autumn. *in l. si pactum ff. de probat.* & in terminis iuris communis, Casanat. *consil. 45. num. 172. & 173.* Surd. *consil. 322. maxime num. 61. & 62.* Quòd intellige iuxta distinctionem de qua infra *cap. 55. n. 13.*
- In donatione verò per filium facta, Notarius stipulatus fuit pro liberis, tanquam liberis; cum prima stipulatio interposita fuisset pro ipsis tanquam hæredibus.
6. Prima itaque donatio ab Auo facta, reponenda est sine dubio in globo hæreditatis, ad impinguan-
dam legitimam, cum sit merè hæreditaria, propter
verba stipulationis expressa in fauorem hæredum:
Grass. *in §. legitima, quæst. 22. num. 3.* vbi agit de
feudo hæreditario imputando, & per consequens re-
ponendo in globo hæreditatis, ad impinguan-
dam legitimam † Generalis siquidem est regula, quòd ea
quæ imputantur, veniunt in calculum ad impinguan-
dam legitimam. Surd. *consil. 427. in principio.* vbi dicit
istas duas quæstiones nempe imputationis, & repo-
sitionis in globo calculi, fraternisare. Mangil. *de im-
put. quæst. 9. num. 88. in fine* † Et de feudo hæredi-
tario imputando in calculo legitimæ, agit Rosental.
9. *in tract. de feud. c. 6. q. 13. n. 32.* † Et generaliter quæ-
cumque filiis quærentur ex stipulatione paterna, in legi-
timam imputantur, & computantur. Sord. *d. consil.*
10. *427. n. 45.* † Vnde dicunt Doctores, quòd feudum no-
uum imputatur & computatur in calculo legitimæ,
quia filiis acquiritur ex stipulatione paterna. Merlin.
de legitima, lib. 2. tit. 1. quæst. 6. n. 1.
11. Quod non solum procedit in feudo merè hæredi-
tario, sed etiã in mixto: quod videlicet pater stipulatus
fuit pro filiis, & hæredibus. Idem Merlin. *d. tit. 1. quæst.*
7. *num. 1. & 2.* quia computatur in legitimæ calculo,
quidquid est hæreditarium. Rosent. *d. cap. 7. conclus. 13.*
num. 12.
12. Præsertim verò præmissa locum habent, quando
alij filij agentes ad consecutionem legitimæ, sunt ca-
paces successionis ad bona illa, ex paterna stipulatione
quæ sita: prout in hoc casu, in quo electio cadere po-
terat in quemlibet ex liberis eligendum, iuxta verba
contractus: Rosental. *dict. cap. 7. conclusione 13.*
num. 8.
13. Secunda verò donatio, tanquam procedens ex me-
ra liberalitate filij donantis, nec vllò Aui interuenien-
te grauamine, similiter in calculo ponenda est: quia

pater liberorum legitimam, per quamcumque vo-
luntariam alienationem minuere non potest. Crauet.
consil. 165. num. 5. Surd. *consil. 332. num. 14.* Gratian.
discept. 247. num. 52. Ludouif. *decis. 539. n. 5. & 19.*

Neque obstat si dicatur, nepotes consequi dona-
tionem ex pacto & prouidentia Aui; quo casu non
auget legitimam nepotum, vt procedens ex fidei-
commisso auito: Fular. *de substi. quæst. 649. num. 1.*
Peregr. *consil. 37. numer. 6. volum. 1.* Menoch. *con-*
sil. 1214. num. 31. & lib. 4. presump. 197. num. 6. & 7.
Bertazol. *consil. ciuil. 101. num. 16.* & est textus in *l.*
irritum. Cod. ad leg. falcid.

Siquidem Responderetur primò, prædicta proce-
dere in fideicommissò antiquo, quale non est illud
de quo agitur; cum incipiat ab ipso filio absque
stipulatione Aui, Merlin. *de legit. tit. 2. quæst. 1. nu-*
mer. 2. & 7. adinstar feudi noui, de quo supra actum
est: & tradit Cancer. *part. 1. cap. 12. de feud. num. 65.*
& 68. in nouis. Fontanel. *de pact. nuptial. claus. 5.*
glos. 1. part. 2. num. 115. Nouum enim dicitur, quod
habet initium in persona primi possessoris. Curtius
Iun. *de feud. part. 1. cap. 9. num. 6.*

Secundò Responderetur; ad hoc vt bona per pa-
trem alienata eximatur à calculo legitimæ, duo neces-
sariò copulatiuè interuenire debere; nempe quòd talis
alienatio fiat ex causa onerosa, & quòd non sit
voluntaria: alioquin his duobus non concurrentibus,
alienatio non impedit quin legitima capiatur de
bonis alienatis. Seraph. *decis. 416. numer. 17. & 22.*
Menoch. *consil. 691. num. 7.* † Porro alienatio de qua
agitur, non solum est voluntaria, vt supra ostensum
fuit, & probatur ex traditis à Menoch. *dict. consil. 691.*
Rota, *decis. 111. num. 2. part. 4. recent.* vbi ostenditur
donationes non esse res alienum necessarium, sed vo-
luntarium; verum etiam facta fuit ex causa lucrati-
ua, non autem ex causa onerosa; quia bona auita,
quorum medietas filio donabatur, modica erant re-
spectu bonorum filij, qui pinguem hæreditatem ma-
ternam possidebat, & spem habebat successionis opu-
lentissimæ consanguineorum suorum; & sic non po-
terat prætendi, quòd donatio per filium facta fuerit
titulo oneroso; nempe quòd donata fuerint illi per
Auum bona æquivalentia nec in re, nec in spe. † Qua
bonorum æqualitate cessante, non dicitur titulus
onerosus. Merlin. *de legit. lib. 2. tit. 1. quæst. 18. num. 3.*
Seraphin. *dict. decis. 416. num. 11.* vbi dicitur quòd
non quælibet causa onerosa sufficit ad effectum, vt
legitima detrahi non possit; sed ea demum quæ ve-
re est, & merè onerosa, & non habet lucrum ad-
mixtum; aliàs dicitur causa quasi lucratiua, quæ non
impedit legitimam filiorum. † Quia cum talis alie-
natio censeri possit partim onerosa, partim lucrati-
ua; in materia fauorabili, qualis est legitimæ de-
tractio, mixtum assumit naturam illius simplicis quod
fauorabilius est. Merlin. *in d. lib. 2. tit. 1. quæst. 19. n. 15.*
& 16. Seraph. *d. decis. 416. num. 27. & 29.*

Responderetur tertio, pro vera huius materiæ in-
telligentia, duos casus distinguendos esse. Primus
est, quando Auus facit donationem filiis, seu li-
beris ex futuro filij matrimonio nascituris: & hoc ca-
su quidam DD. existimant bona donata non venire
in calculum legitimæ, cum non fuerint donata fi-
lio, sed nepotibus ex eo; & per consequens non
augeant globum bonorum filij: vt decisum refert
Maynard. *lib. 5. capit. 89.* Alij verò contrarium exi-
stimant: quia donatio illa videtur facta nepotibus
conrempatione filij: & hanc posteriorem sententiam
tuetur Charondas, reprobans Maynard. mox allegatū:
vt videre est apud eundem Charondam *lib. 9. respons.*
72. Ego verò huius articuli decisionem existimo de-
pendere


pēdere ex facti circumstantiis ; vtrū videlicet Auus maluerit bona ad nepotes potius peruenire, quā ad filium : & vtrū potius nepotum personam , quā filij fuerit contemplatus : sed hīc non est insitendum , cū non sit casus noster.

21. Secundus itaque casus qui nostro conuenit , est quando donatio incipit à persona filij , licet desinat in personam nepotum ex eo ; veluti cū Auus donat filio sponso futuro , quamuis postea ipsum grauet de restituendo nepotibus ipsius Aui ; & hoc casu bona sic donata veniunt in calculum legitimæ : vt bene comprobatur etiam in fortiori casu Berengar. Fernand. *in l. in quartam. in 2. prefat. num. 14. in addit. ff. ad leg. falcid.* cuius verba hīc succulenta recensentur : quia non in omnibus codicibus talis additio reperitur : sic igitur loquitur Fernand. *aliud, si dederit filio sponso, licet cum substitutione : quia liberalitas in filium terminatur ; præsertim quando liberis donauit pater & sponsus : vt dixi in casu domus de Biron : Ideo legitima capitur ex omnibus bonis, vt paternis, hactenus Fernandus.*

22. Quartò Respondetur, quòd ideo donatio aut alienatio onerosa non computatur in calculo legitimæ, quia pater tantū recipit ex vna parte, quantum donat ex alia : & sic nulla fit fraus legitimæ aliorum liberorum : quia si amittunt legitimam in eo quod pater donat , illam lucentur in eo quod pater acquirit : vt considerauit Menoch. *d. consil. 691. num. 3. versic. cū enim ita.* Sed in casu nostro aliud est ; quia liberi priuarentur legitima non solum quoad bona per eorum patrem, sed etiam quoad bona per Auum donata ; cū pater fuerit oneratus restituere vtrumque bonorum genus , tam propria, quā auita : semper enim dicitur inofficiosa donatio , quoties pater seu donator non tantū retinet in bonis , quantum capit legitima liberorum. Ludouic. *decis. 539. num. 4.*

Denique considerandum est , quòd si bona donata non computarentur in calculo legitimæ , magna insurgeret inter liberos iniustitia & inæqualitas : nam ex medietate paternorum donata nihil consequerentur ; ex residua verò medietate , nihil pro legitima, vel parum † superesset propter dotem maternam , & debita per patrem concepta : certum est autem quòd stante inæqualitate inter liberos , ea computantur in legitimam quæ aliàs non computarentur. Theaur. *Iun. lib. 2. quest. forens. 68. num. 4. versic. & si patrimonium esset tenue.* Merlin. *de legit. lib. 2. tit. 1. quest. 4. num. 18. Cost. de subsid. remed. 90. num. 8.*

24. Nec quidquam obstat quòd agatur de donatione facta contemplatione matrimonij : Quia hæc consideratio non impedit quin sit locus imputationi , & computationi talium bonorum in calculo legitimæ. Rot. *decis. 453. num. 8. & 526. num. 5. part. 1. recens.* Et ex præmissis constat non obstat tradita per *Mart. consil. 97. & Menoch. consil. 1126.* cū loquantur in casibus omninò diuersis : vt videre est apud ipsos , nempe de donatione reciproca , in qua donator tantū accipit quantum donat ; & sic non fit præiudicium legitimæ : quod non verificatur in casu proposito , in quo tam donata, quā accepta fideicommissis supponuntur.



CAPVT XXXVI.

Vtrū laudimium debeat domino directo, si duo fratres bona paterna diuidant ; ita vt vnus hæreditati, alter legato mille scu-

torum sibi per patrem facto renunciet : Quid si per viam repudiationis id fiat : possint ne postea partes à contractu non soluto laudimio recedere. Quid si agatur de diuisione in qua vnus pecuniam contulerit pro æqualitate seruanda. Et in quo differant Doctores Galli ab aliis circa hanc controuersiam.

S V M M A R I V M.

1. Ex diuisione laudemia debentur pro rata pecunie data, iuxta statutum Auenionense & Comitatus Venayssini.
2. Si ex duobus fratribus diuidentibus , ex vna parte fiat renunciatio legati paterni in pecunia consistentis , vtrū debeat laudimium.
3. Ex permutatione laudimium debetur de iure communi.
4. Ex repudiatione non debetur laudimium , secus ex renunciatione.
5. Quomodo inter se differant renunciatio , & repudiatio.
6. Quando in contractu adest pactum resolutiuum, partes ab eo recedere possunt absque metu solutionis laudimij.
7. Quando res est integra , & nondum facta est traditio , partes a contractu recedentes non tenentur soluere laudimium domino.
8. Si statuto caueatur laudimium de donationibus non deberi , intelligendum est de meris donationibus , & lucratiuis ; non de onerosis.
9. Si in contractu diuisionis vnus alteri pecuniam in compensationem dederit , laudimium debetur pro rata pecunie.
10. Intellige vt locum habeat in diuisione vniuersali totius hereditatis ; aliud est si agatur de diuisione domus , aut alterius rei particularis , que commodam non patitur diuisionem : tunc enim laudimium non debetur.
11. In alienatione necessaria dominus directus non habet ius prelationis.
12. In Gallia non debetur laudimium ex diuisione, quamuis pecunie traditio in ea interuenerit, ex causa æqualitatis seruande.

IN contractu diuisionis laudimium deberi pro rata pecunie , quæ alteri ex diuidentibus in compensationem bonorum assignatur, apud nos indubitati iuris est ; propter claram dispositionem statuti Comitatus articulo. 249. quod etiam in Ciuitate Auenionensi obseruatur ex dispositione statuti *libr. 1. rubric. 72. articulo. 9.* † Verū si vnus ex fratribus per contractum renunciet hæreditati paternæ , alius verò renunciet legato mille scutorum ; dubitatur vtrū hoc casu laudimium debeat , si talis renunciatio in contractu diuisionis bonorum paternorum facta fuerit.

Supponendum est in primis secundū iuris communis dispositionem , laudimium ex permutatione deberi : vt tradit Bertrand. *consil. 123. numer. 1. vol. 1. posterior.* Burgius in tract. de laudem. part. 2. inspect. 4. num. 4.

Secundò supponendum est , quòd licet ex repudiatione non debeat laudimium ; tamen ex renunciatione debetur : repudiatio seu refutatio respicit ius quærendum,

5. † quærendum, & ideo de illa laudimium non debetur Burg. *in tract. de laudem. part. 2. inspect. 28. num. 8.* Sola *de iur. emphyteut. decret. in casibus. glos. 1. n. 24.* renunciatio verò respicit ius quæsitum, & propterea de ea laudimium debetur. Sola *loco citato num. 23.*

In casu proposito agebatur de iure quæsito: quia in contractu diuisionis & renunciationis, liberi diuidentes declarabant se paternam hæreditatem accepisse: & sic agebatur de renunciatione, non de repudiatione. Cancer. *lib. 3. variar. resol. cap. 22. num. 211. & sequentibus. & cap. 15. de renunciat. num. 171.* Hodiern. *ad Surd. decis. 70. num. 12.*

6. Terriò dictum fuit, liberè posse fratres diuidentes recedere à contractu absque solutione laudemij, duplici ex capite. Primò, propter pacta resolutiua in eo apposita, quibus conuentum fuerat contractum ipso iure esse nullum, si mater diuidentium ratificare nollet, prout recusauit; & sic contractus pro nullo habendus est, ex quo laudimium solui non debet: quia titulus reducitur ad non titulum. Amed. *quæst. 39. num. 14. de laudem. Burg. part. 1. inspect. 10. num. 18.*

7. Secundò, quia res adhuc erat integra, & traditio nondum fuerat subsequuta: & sic cum ius non fuisset quæsitum Domino directo, potuerunt partes impune à contractu recedere. Amed. *loc. citat. quæst. 38. per totam. Burg. dict. part. 2. inspect. 11.* apud quos hæc materia copiosius tractatur, & dicemus *cap. sequenti.*


8. Quartò principaliter notandum est, quòd quamuis contractus ille mutua renunciationis, fuisset inter fratres celebratus per viam donationis; tamen laudimium debitum fuisset Domino directo non obstante statuto quo cauetur laudimium ex donationibus non deberi, cum tale statutum donationes onerosas minimè comprehendat; neque impediatur quominus laudimium pro rata oneris debeatur. Burg. *dict. part. 2. inspect. 30. n. 10.* Sol. *dict. tit. de iur. emphyt. decret. in casibus. glos. 1. num. 16.* Bertrand. *consil. 123. & 124. lib. 1. posterior. Rot. Auen. decis. 143. n. 4.*

9. Quintò maior difficultas oritur, quando contractus non per viam repudiationis, nec per viam mutua donationis factus fuit; sed per modum diuisionis: hoc enim casu verius est secundum communem Doctorum traditionem, pro rata pecunia quæ in tali contractu interuenit laudimium deberi: prout docet Zucard. *de mission. in possession. num. 38.* Anchar. *iun. lib. 3. quæst. famil. quæst. 155. num. 13.* Surd. *consil. 538. num. 5.* Anton. *Macerat. lib. 1. resol. 32. n. 3.* Gratian. *discep. forens. cap. 180. num. 23.* † Quod tamen limitat Dominus Ludouic. Bellus, *consil. 136. in fin. vt locum non habeat quando ageretur de re aliqua particulari quæ commodam diuisionem non pateretur, aliquo pretio refuso; tunc enim laudimium non deberi existimat: & eiusdem sententiæ fuit Amed. in dict. tract. de laudem. quæst. 25. num. 5. versic. vnde per Docto. es. & quæst. 26. num. 4.* Et hæc sententia vera est: quia hoc casu alienatio est necessaria, ex qua laudimium

10. non debetur: † sicut in alienatione necessaria, Dominus directus non habet ius prælationis. Roman. *consil. 107. incipiente Circa id quod quaritur. n. 1. & per totum. cum pluribus citatis per Berlich. tom. 2. conclus. 39. n. 65. & decis. 98.* Tiraquel. *de retract. consang. §. final. n. 3. & §. 1. glos. 14. n. 8. & sequentibus.*

12. Sextò, licet quæ mox dicta fuere vera sint in terminis iuris communis, & statuti; tamè secundum sententiam Doctorum Gallorum, nullum debetur ex diuisione inter cohæredes laudimium; quamuis vni tota hæreditas adiudicaretur, facta pecuniæ compensatione; etiamsi partes verbo permutationis in contractu vterentur: cum principalis partium intentio fue-

rit diuidere, non permutare; diuisionem verò sit alienatio necessaria: quod optimè explicat Argentæus, *in consuet. Britan. artic. 73. not. 4. num. 3.* & Ferrer. *in addit. ad Guid. Pap. decis. 48. versic. ex diuisione & in alia secunda additione, in principio.* Bacquet, *in tract. des francs siefs. cap. 7. num. 12. & 23.* & ad hanc sententiam conferre videntur tradita per Castrenf. *consil. 144. versic. sed his non obstantibus. volum. 1.* qui tamen loquitur de rebus, quæ commodam diuisionem non patiuntur, & sic necessariò deueniendum est ad adiudicationem vni ex cohæredibus: & prædictæ sententiæ adhæsit Blancard. *de laudem. notat. 25.* Apud nos tamen præualebit communis sententia sic explicata: vt supra dictum fuit.



C A P V T XXXVII.

Facta per matrem liberorum tutricem venditionis promissione; an, & quomodo ante ratificationem liberorum, & contractu nondum in scripturam redacto, liceat ab eo recedere, absque metu solutionis laudemij. Vtrum liceat minoribus, & Vniuersitatibus recedere à contractu, ante factas subhastationes & instrumentum. Quomodo concipi debeat contractus, dum partes à venditionis promissione recedunt, ne teneantur ad laudemij solutionem.

S V M M A R I V M.

- 2 Ex simplici venditionis promissione, nullum debetur laudimium.
- 2 Nulla actio realis, sed solum personalis oritur ex promissione de vendendo.
- 3 Iuramentum præcisè obligat iurantem. Intellige tamen; vt si factum præstare nequeat, liberetur soluendo interesse. num. 4. & 5.
- 6 Non dicitur promissio de vendendo, sed vera venditio, quando omnia substantialia interuenierunt, & partes habuerunt relationem ad actum tunc presentem.
- 7 Laudimium non debetur ex actu, in quo sola producit actio personalis.
- 8 Quando in actu aliquo non interuenierunt, aut interuenire non potuerunt solemnitates requisitæ; non dicitur contractus, sed potius promissio de contrahendo.
- 9 Ex venditione nulla, veluti de bonis minorum sine solemnitatibus, nullum debetur laudimium.
- 10 Ex contractu conditionali nullum debetur laudimium ante verificatam conditionem.
- 11 Contractus alienationis bonorum ad pupillos spectantium non valet, nisi fiat in scriptis.
- 12 Contractus alienationum in quibus requiruntur subhastationes, dicuntur fieri in scriptis; & si ab illis recedatur ante confectam scripturam, nulla debetur gabella, vel laudimium.
- 13 Communitas potest admittere nouum licitatore antequam subhastationes factæ fuerint, & in scripturam redacta, ac conditiones adimpleta: & num. 14.
- 15 Oblator nihil fecisse dicitur, nisi Communitati exactionem, vel aliud ius subhastanti, cautionem præstiterit.

- 16 Nulla facta mutatione possessionis, nullum debetur laudimium.
- 17 Amplia, etiamsi translata sit possessio per clausulam Constituti. Idem de aliis clausulis : num. 18.
- 19 Possessio non probatur per instrumentum, nisi fiat in conspectu rei tradita.
- 20 Perfecto contractu, & tradita possessione, non licet ab eo recedere absque solutione laudimij.
- 21 Quomodo concipiendus sit contractus, ne partes teneantur ad laudimium, dum ab eo recedunt.

Vidua eademque tutrix liberorum suorum quandam Baroniam, cuius directum dominium ad Christianissimum Francorum Regem spectabat, tam suo quam liberorum nomine vendere, & instrumentum venditionis celebrare pretio centum sexaginta millium librarum promiserat, sed oblato maiori pretio, eandem alteri effectualiter vendiderat, traditione subsequuta. Is qui à Rege iurium laudimij eiusdem terræ obtinuerat concessionem, non solum ex secunda, sed etiam ex prima conventionione laudimium deberi contendebat; Respondi nullum ex primo contractu deberi laudimium, & ideo Consului ut ab hac prætentione desisteret, prout in effectu destitit.

1. Primò, quia contractus ille promissionem vendendi potius quam venditionem continebat: ex illa autem simplici promissione, nullum debetur laudimium. Amed. à Pont. *quest. laudim. 35.* Burg. *de laudem. part. 2. inspect. 8. num. 8.* Surd. *consil. 84. num. 3.* aliud enim est venditio, aliud promissio de vendendo. Ludouif. *decif. 28. num. 4.*
2. Ex promissione siquidem de vendendo, nulla oritur actio realis; sed duntaxat personalis: nec promittens vendere tenetur præcisè ad rei venditæ traditionem, nec ad eam cogi potest, licet illam præstare possit; sed liberatur præstando interesse: talisque contractus potius est quidam contractus innominatus, in quo licita est pœnitentia, antequam sequutum fuerit implementum: Surd. *consil. 52. num. 14. & sequentibus.* Menoch. *consil. 122. numer. 22. & 23.* Mart. Medic. *decif. 12.*
3. Neque obstat si dicatur stante iuramento in dicta promissione adhibito, promissorem cogi posse præcisè ad rem præstandam, ex Boërio *decif. 3. num. 2. & sequentibus.*
4. Respondetur enim etiam stante iuramento non posse promissorem præcisè cogi ad rei traditionem; sed liberari præstando interesse. Tiraquel. *de retract. conuent. §. final. num. 49.* Ludouif. *decif. 241. num. 7.*
5. † ubi id maximè procedere asserit, quando talis promissor non poterat præcisè factum præstare; prout in casu isto vidua non poterat tradere Baroniam venditam, quæ non ad ipsam, sed ad eius liberos in pupillari ætate constitutos pertinebat; quorum bona sine solemnitatibus à iure, in bonis pupillorum vendendis, requisitis; tradere per viam alienationis non poterat.
6. Similiter non obstat si dicatur; contractum illum potius naturam venditionis sapere, quam promissionis de vendendo: & per consequens ex eo laudimia deberi: quia mens contrahentium per verba præcisè & obligatoria relata fuit ad actum tunc præsentem, & omnia ad actus substantiam requisita interueniunt: ex traditis per Rubeum Alexandrinum. *consil. 29. per totum.* Fortun. Garz. *ad l. Iuris gentium. in princip. num. 92. circa finem versic. unde distingue.*

Argent. *ad consuet. Britan. artic. 60. not. 3. num. 24.*

Respondetur enim, quòd aut respicimus personam 7. Domine viduæ, aut liberorum ipsius: Quòd attinet ad viduam, licet proprio nomine se se obligauerit; tamen cum Baroniam ad ipsam non pertineret, non potuit stipulatori contra ipsam proprio eius nomine aliqua realis actio acquiri, sed sola personalis ad interesse in defectum traditionis. Qui enim rem alienam vendit, & multò fortius, qui vendere illam promittit, solum actione personali conueniri potest: & per consequens ex illo capite nullum debetur laudimium. Codex Fabrian. *lib. 4. tit. 42. de iure emphyt. defn. 74. in princip. & habetur in notis ad Amed. à Pont. de laudem. nota 39. versic. hinc ex rei aliene.* & Argent. *in tract. de laudè. §. 21. ubi nominatim de venditione per parentes de bonis ad liberos spectantibus, nulla deberi laudimia plenè demonstrat.*

Si verò ad liberorum personas habeatur respectus; 8. non potest dici quòd venditio facta fuerit pro tempore tunc præsentis: sed tantum pro futuro: quia cum ipsi non vendiderint, sed mater illorum tutrix vendere promiserit; non est ius quæsitum Domino nisi sequuta liberorum, ad quos bona pertinent, rati habitatione formiter & solemniter facta. Immo cum expressè fuerit conuentum faciendas esse subhastationes, aliisque solemnitates in bonorum ad minores pupillos spectantium alienatione necessarias, quæ tempore dictæ promissionis interuenite non poterant; sequitur contractum remanere in terminis nudæ promissionis, & contractum illum esse considerandum non ut factum, sed ut faciendum: & per consequens ex eo laudimia non deberi.


Præsertim verò, quia etiamsi vera & realis fuisset 9. facta venditio, ipsa tamen nullitatis vitio laboraret, ut de bonis pupillorum facta absque interuentu decreti, & aliarum solemnitatum quæ ex iuris dispositione in similibus bonorum alienationibus pro forma requiruntur: iuxta *l. magis puto. §. non passim. ff. de reb. eorum.* Roland. *consil. 33. per tot. volum. 1.* Quæ nullitate supposita consequens est, ut nec laudimium debeat. Burg. *de laudem. part. 2. inspect. 10. n. 2.* Argent. *in d. tract. de laudem. §. 17.* Amed. à Pont. *quest. 39. n. 1. & seqq.*

Confirmantur prædicta euidenti ratione; siquidem 10. ex contractu imperfecto & conditionali, non sequuta purificatione conditionis, laudimium nullum deberi verum est: Argent. *de laudem. §. 3.* Burg. *part. 2. inspect. 16. per tot.* venditio autè de qua agebatur, non poterat dici perfecta ante decretum Magistratus interpositum, & alias solemnitates prædictas in talium bonorum alienatione requisitas † Cum solemnitates 11. illæ adhiberi non possint, nisi interueniente scriptura, quæ necessariò interuenire debet in alienatione bonorum pupillarum. Roland. *dict. consil. 33. n. 13. volum. 1.* Cyn. *in l. instrumentis. Cod. de fide instrum. & iure hasta fisc. lib. 10.* † Et tales contractus, qui fiunt 12. præcedentibus subhastationibus, dicuntur contractus in scriptis à quibus licitum est recedere nullà solutà gabellà, vel laudimio; donec facta fuerit scriptura solennis. Bald. *consil. 7. Factum super quo. num. 1. volum. 5.* Mangil. *de subhastat. quest. 22. per tot.* Menoch. *lib. 3. presump. 148. num. 2. & 14.*

Et per hanc rationem ego aliàs Consului pro qua- 13. dam Communitate, licet facta fuisset oblatio certæ summæ per quemdã emptorem, seu conductorem reddituum ipsius, & in publico consilio acceptata; potuisse tamen Communitatem aliam ad pinguiorem oblationem admittere; cum contractus non esset perfectus, donec interuenissent subhastationes formiter factæ, & in scripturam publicam redactæ

14. dactæ ; prout requiritur, dum agitur de bonis & rebus Vniuersitatum. Mangil. *in d. tract. de subhast.*
 15. *quæst.* 86. num. 8. iuncta *d. quæst.* 22. num. 3. † Et donec facta fuerit scriptura potuit Vniuersitas à contractu impunè recedere. Bald. *d. consil.* 7. volum. 5. Afinius *de execut.* §. 6. cap. 31. num. 19. & 38. † neque dicitur iste oblato validam fecisse oblationem, nisi idoneam cautionem dederit cum effectu prout fuerat in capitulis expressè declaratum. Bald. *consil.* 327. num. 1. volum. 2. Et ita fuit obseruatum per Dominos Consules Auenionenses hoc anno 1648. & mense Iunij, circa Firmam Macelli ; & Ciuitas recessit à subhastatione illius Firmæ, aliisque conductoribus concessit : quia contractus nondum erat in scripturam redactus, neque cautiones acceptatæ.

Sed vt ad propositum redeamus, quamuis ageretur de vera, pura, & valida venditione ; tamen cum illa non esset per veram & actualem oblationem consummata, potuerunt partes ab ea impunè recedere, absque laudemij solutione. Cum enim laudemium nulla alia de causa soluatur, quam propter manus mutationem, & propter laborem inuestituræ, sequitur † nullâ factâ possessoris mutatione, nullâque captâ possessione nouâ, nec inuestiturâ, laudemium nullum deberi : vt egregiè comprobatur Argent. *de laudim.* §. 2. & fufius Anthon. Faber. *in tract. de laudem.* decade 1. errore 6. per totum vbi id fusè comprobatur. Burg. *part. 2. inspect.* 11. num. 7. Celsus Hugo *consil.* 60. num. 16. & 23. Cancer. *lib. 1. variar. resol. cap. 12. num. 21. in nouis* Quia inquit non fit præiudicium domino, nisi res feudalis nouo emphyteutæ tradatur ; nec dicitur res alienata, antequam ad effectum rei traditionem deuentum sit : † adeo vt nec sufficiat possessionis translatio per clausulam Constituti, ad effectum de quo agitur : vt per eundem, 18. num. 26. † Sicuti non sufficit ad obligandum emptorem istum, ad laudemij solutionem alia clausulæ per Notarios apponi solitæ, veluti *vendidit, cessit, & transfuit &c.* quia istæ non sunt clausulæ translatiue dominij, nec possessionis ; sed per eas duntaxat datur facultas possessionem accipiendi auctoritate propriâ. Bartol. *in l. predia. num. 3. ff. de acquir. possess. in princip.* † Quia per instrumentum non probatur translatio possessionis, nisi fiat in conspectu rei traditæ. *l. clauibus. ff. de acquir. possess. Bart. in l. 1. in princip. ff. eod. tit.* vnde non obstantibus illis clausulis, licitum est recedere à contractu, & res dicitur adhuc integra. Multò igitur magis in casu isto, in quo nulla translatio actualis iurium, sed sola promissio facta erat. † At si contractus fuisset perfectus, non liceret ab eo recedere in præiudicium domini directi, cui ius esset quæsitum ; imo sequutâ retrotranslatione, duplex laudemium deberetur ; vt in simili de gabella loquens comprobatur Cyriac. Nig. *contro. 21. uers.* 279. num. 8. & 9. † Ideo omninò qui à contracta recedunt, aduertere debent vt si nouus contractus ineundus sit, vt pòte in casibus in quibus requiritur actus retrospectiuus : iuxta *l. ab emptione. §. 8. cum ibi notat. ff. de pactis.* id non fiat per viam nouæ traditionis, sed per viam simplicis resolutionis primi contractus : prout in *eadem l.* consuluit Bartol. *sub num. 12. & Ias. num. 16. & alij : Cyriac. controuers.* 63. num. 29. & 30. Et ex his nullum deberi laudemium fuit inter partes declaratum. Cæterùm Auenione obseruanda est dispositio statuti *lib. 1. rubric. 72. artic. 30.*



CAPVT. XXXVIII.

Si testator certam summam filio legauerit, dum erit ætatis 25. annorum, & interim alimenta: utrùm alimenta cessent in ætate 25 annorum ; an verò quando soluetur legatum, si solutio differatur per hæredem post tempus à testatore præfixum. Et quid si filius sine consensu matris contra paternum præceptum vxorem duxerit.

S V M M A R I V M.

1. *Dictio interim adiecta legato alimentorum, debet explicari fauore alimentarij : & num. 5.*
2. *Pubertatis nomine in materia legati alimentorum, intelligitur plena pubertas.*
3. *Plena pubertas in masculis est annorum 18. in feminis verò est quatuordecim.*
4. *Alimenta sine temporis præfinitione relicta, debentur pro toto vitæ tempore.*
6. *Dictio interim explicanda est in odium debitoris morosi.*
7. *Maximè dum agitur de filio, qui alioquin sortem legati sui consumeret : & num. 12.*
8. *Dictio interim quandoque sumitur pro donec.*
9. *Observantia consideranda est in materia alimentorum.*
10. *Mater alimenta filio pietatis intuitu donasse censetur, nisi protestata fuerit.*
11. *Mater administratrix bonorum filij, censetur ei donasse alimenta in eo in quo excedunt fructus bonorum.*
12. *Per alimentorum præstationem fors principalis non debet diminui.*
13. *Mater & successiuè frater tenentur ad alimenta iure sanguinis.*
14. *Non datur repetitio alimentorum pietatis intuitu præstitorum.*
15. *Conditio non nubendi sine consensu alterius, reiicitur ipso iure : sed vide num. sequentibus.*
16. *Amplia, etiamsi conditio ad arbitrium boni viri referatur.*
17. *Non reiicitur conditio de non nubendo sine consilio alterius ; quia non est contraria libertati matrimonij.*
18. *Valida est conditio non nubendi sine licentia alicuius.*

Pater filio certam summam testamento legauerat soluendam, dum 25. ætatis suæ annum compleuisset, & interim alimenta. Filius post annos 25. completos legatum non petierat ; sed à matre primùm, deinde à fratre per aliquot annos alimenta, fructibus seu interesse legati maiora perceperat : illo legatum petente, duæ exceptiones à fratre in medium allatæ fuerunt : quarum altera alimentorum post 25. annos ætatis legatarij illi præstitorum compensatione nitebatur : altera ex matrimonio per eum, renitente matre, contra paternam prohibitionem contracto, fundamentum capiebat : Sed neutram exceptionem obstare Censui.

Nam quod attinet ad alimenta : testatoris illa legantis voluntas non ad tempus legitimæ ætatis seu 25. annorum legatarij restringenda erat, sed vsque

- ad tempus solutionis legati extendenda. Dum enim testator solutionem legati anno 25. faciendam esse voluit, & interim alimenta filio præstari, dictio illa *cependant*, seu *interim*, favore legatarij & alimentorum hanc interpretationem capît, vt interim, donec legatum solvatur, alimenta præstanda sint. † In dubio siquidem interpretatio illa fieri debet, quæ alimentis fauorabilis est: per text. elegantem in *l. Mela. 24. ff. de aliment. & cibarij. legat.* vbi dicitur alimenta puero, puellæue relicta, vsque ad pubertatem; præstanda esse vsque ad plenam pubertatem: videlicet puero vsque ad decimum octauum, puellæ verò vsque ad decimum quartum ætatis annu. Ludou. Rom. *simul. 604. Fracisc. Cremens. sing. 78. Mysing. centur. 3. obseru.*
3. 12. † Tunc enim dicitur plena pubertas, cum masculus fuerit ætatis 18. ann. foemina verò 14. quod singulare est, & speciale in materia alimentorum. *d. l. Mela 24. ff. de alim. & cibarij. legat.* & de plena pubertate est text. in §. *minorem. Instit. de adopt. & in l. arrogato §. non tantum. ff. de adoptionib.* Montan. *de tutel. cap. 37. num. 30.* † In dubio tamen si alimenta alicui sine temporis præfinitione relicta fuerint, ad totum vitæ tempus relicta censentur *d. l. Mela.* † Cum igitur in dubio illa sumi debeat interpretatio quæ alimentis fauorabilis est; sequitur quòd alimentorum relictum cum clausula *cependant* factum, explicari debet, prout alimentis fauorabilius est: maximè dum talis interpretatio magis est conformis voluntati testatoris, magisque verisimilis: & per consequens cum testator voluerit legatum statim post ætatem 25. annorum legatarij præstari; verisimile est, ipsum quoque voluisse quòd interim legatarius aleretur, donec ei legatum solueretur, & quamdiu hæres in illius solutione morosus esset, ne ipse ex sua culpa & mora incommodum assequeretur: vt in simili tenet
 6. Monach. *decis. Bonon. 59. num. 22.* † Vbi dicitur, quòd si quis promiserit soluere fructus *interim*, licet obligatio fuerit limitata ad biennium; tamen si fuerit in mora, tenetur soluere vltra tempus limitatum, ne ex mora sua vtilitatem consequatur. † Quod summa ac speciali ratione nititur, quando agitur de filio, qui alioqui cogeretur legati sui sortem principalem pro præteritis alimentis consumere: vt dicit Rot. coram Caval. *decis. 199. num. 4. & decis. 541. num. 2. & 3.* † Vbi etiam fuit consideratum quòd dictio *interim*, quandoque sumitur pro dictione *donec*: & fuit allegatus text. in *l. si quis in senatorio. ff. de rit. nupt.* vbi Vlpianus per illud verbum *interim* intelligit, quamdiu Senator fuerit: vt latius explicatur in *d. decis. 541. num. 4.*
 9. Addi potest supradictis obseruantia subsequuta: quam etiam considerat Rota in dictis decisionibus, quæ est interpretatiua voluntatis partium. *l. si de interpretatione. ff. de legib.* siquidem hæres legatario alimenta continuò præstiterant. Rot. *d. decis. 199. num. 6.*
 10. Præterea mater filio alimenta præstans, illa pietatis intuitu dedisse censetur, nec repetere potest, nisi protestata fuerit de repetendo. *l. Nescennius. ff. de negot. gest. cum ibi notat. l. alimenta. Cod. eod. titul.* Surd. *de aliment. tit. 6. quest. 8. num. 41. & multis sequentibus.* Cost. *de fact. scient. inspect. 35. num. 9.*
 11. Immo dum mater est bonorum filij administratrix censetur illi donasse alimenta in ea quantitate, quæ excedit fructus bonorum administratorum; idque pietatis intuitu Bald. in *d. l. Nescennius. colum. 2. num. 3. versic. aut dubitatur verum.* Cost. *de rat. quest. 95. num. 7.* Cordub. in *l. si quis a liberis §. si mater. num. 35. ff. de liber. agnoscendis*, vbi loquitur


de fratre. Surd. *de aliment. tit. 6. quest. 12. num. 26.* † Adeo vt per talem alimentorum præstationem non diminuatur fors principalis illius, cui alimenta præstantur. Cordub. in *d. l. si quis a liberis. §. Idem rescripserunt. ff. de liber. agnosc. num. 4. versic. nec alimenta imputari debent.* post Salicet. in *l. non omni. in fin. Cod. de administrat. tutor.* Angel. à Gambal. in *tract. de testam. glos. 61. num. 5.*

Multò magis præmissa locum habent: quia cum tam mater quam frater ad alimenta duplici titulo tenerentur; nempe tam iure sanguinis, quam ex dispositione testatoris: ex notatis per Vincent. de Franch. *decis. 178. num. 9.* videlicet primò mater, postea verò frater: Gratian. *discept. forens. 259. num. 21. & 22.* † cessat omninò conditio, seu repetitio soluti, etiam si pietatis intuitu, & non ex debito alimenta præstata fuissent. *argum. l. cum quis §. si mulier. ff. de condic. indeb.* Vbi non datur repetitio eius, quod pietatis intuitu solutum est, Cost. *de ration. rat. quest. 95. num. 3. & 7.*

Secundo loco Dixi non obstat legatario, quòd iussus fuisset ne absque consensu matris vxorem duceret.

Quia conditio illa prohibens ne quis sine alterius consensu nubat tanquam contraria matrimonij libertati reicitur ipso iure, & pro non scripta habetur; cum matrimonia ex alterius arbitrio pendere non debeant. *l. cum tale. §. si arbitrato. ff. de condit. & demonstr. l. filia mee. ff. eod. tit.* † Quod procedit siue conditio ad alterius voluntatem, siue ad arbitrium boni viri referatur. Molina *de primogen. lib. 2. cap. 13. num. 35.* De materia Cancer. *lib. 3. cap. 7. num. 282. & multis sequentibus.* Sanch. *de matrimon. lib. 1. disput. 34. num. 19.*

Fatendum tamen est sustineri conditionem nubendi cum consilio alterius; quia per tale præceptum non aufertur libertas matrimonij, cum sufficiat legatario exigere consilium, sed illud sequi non teneatur. Duran. *de condition. impossibil. part. 2. cap. 3. num. 76.* eandemque differentiam inter consensum & consilium approbavit Basil. Pont. *de matrim. lib. 3. cap. 6. num. 6.* Copiosè Fontanel. *de pact. nupt. claus. 6. gloss. 3. part. 5. num. 12. & sequentibus.* Molin. *de rit. nupt. part. 3. cap. 29. per tot.* Marefcot. *lib. 1. cap. 73.* † Si tamen dictum esset, quòd non nuberet nisi petita licentiâ matris, conditio subsisteret: quia sufficeret petere licentiam; quamuis non obtineretur. Basil. Pont. *dict. lib. 3. cap. 6. num. 6.* Addent. ad Molinam, *de primogen. dict. lib. 2. cap. 13. num. 35.*



CAPVT. XXXIX.

Locum esse iuri prælationis in alienatione in qua donationis nomen simulatè fuit appositum; cum tamen vera esset venditio: veluti cum donatarius in se assumpsit onus soluendi censum annuum, rei donatæ specialiter non inhaerentem, nec limitatiuè super ea; immò super omnibus bonis impositum. Quomodo intelligendum sit feudalia in Gallia esse redacta ad instar patrimonialium. Et quæ sit differentia inter solutionem gabellæ, & solutionem laudimij.

- 1 In donationibus non competit domino directo ius prælationis.
- 2 Quando donatarius promittit soluere summas maiores bonis donatis, non est donatio, sed potius venditio: & competit domino directo ius prælationis.
- 3 Donatio simulata in fraudem domini directi, non meretur nomen donationis.
- 4 Venditio potius censetur quam permutatio, quando pretium æquiualeat rei permutata.
- 5 Fraus præsumitur quando res pro parte venditur, & pro parte donatur.
- 6 Quando res censu annuo onerata venditur, si emptor sibi assumpserit onus extinguendi censum illum; onus huiusmodi partem pretij obtinet.
- 7 Pretium solui venditori, aut alicui eius creditori, perinde est: quia breui manu solutio per emptorem facta censetur.
- 8 Feuda in Ciuitate, & Statu Auenionensi, sunt redacta ad instar patrimonialium.
- 9 Masculi & femine indistinctè admittuntur in feudis in Comitatu Venayssino; nisi aliud ex inuestitura feudali colligatur.
- 10 Feuda redacta sunt ad instar bonorum patrimonialium quoad facultatem alienandi, & quoad formam succedendi.
- 11 Quoad ius prælationis & solutionem laudemij, feuda retinent semper pristinam naturam; etiam in locis ubi sunt redacta ad instar patrimonialium.
- 12 Ecclesia domina directa potest uti iure prælationis.
- 13 Onus reale ipsi rei inherens non constituit partem pretij, ad effectum solutionis laudemij.
- 14 Censui quidam sunt merè reales, alij verò habentes annexam obligationem personalem.
- 15 Censui habentes annexam obligationem personalem, constituunt partem pretij ad effectum solutionis laudemij.
- 16 Magna est differentia inter solutionem gabella, & solutionem laudemij.

annuo super re donata specialiter imposito: & sic videtur remanere natura donationis, & licere donatario censum illum redimere, & extinguere, sicut ipse donator redimere poterat, etiam absque consensu domini directi, eodem modo quo donator, qui iura sua in donatarium transtulit, & in cuius locum successit.

Verum respondetur vim non esse in eo, utrum census extingui & redimi per donatarium potuerit, nec utrum in tali redemptione domini directi consensus requiratur; sed in eo quòd pretij loco est census ille, super re donata impositus: & sicut in pretio non inspicitur utrum sine consensu domini directi solui possit; ita idem dicendum est in censu, qui illius simulate donationis partem constituit: cum enim interuenerit pecunia, aut aliquid pretio rei donatæ æquiualeans; iam non est amplius vera, sed simulata donatio, venditionis naturam inducens: unde locus est iuri prælationis.

Quòd autem census ille super re donata impositus habeatur loco pretij, & vicem obtineat numeratæ pecuniæ, patet: † Quia perinde est pretium solui donatori, aut creditori eiusdem: ut dicit Cens. de cens. lib. quæst. 50. num. 23. non enim contractus iudicandus est ab eo quod scriptum est in instrumento, sed ab eo quod actum est inter partes. *l. multum interest. Cod. si quis alteri, vel sibi.* & ibi: Bald. num. 2. Rot. apud Cens. decis. 134. n. 3. videtur itaque pretium solutum fuisse donatori, & ab eo breui manu translatum in eius creditorem: ideo censetur ea ratione donatio facta pretio numerato: ex traditis per Mastrill. decis. 37. num. 7.

Secundo loco opponebatur, feuda in suis partibus redacta esse ad instar bonorum allodialium, & per consequens non esse locum iuri prælationis: quòd enim in Comitatu Venayssino feuda sunt ad instar bonorum patrimonialium & allodialium, negari non potest: ut etiam ego obseruavi in tract. de præuent. iudicial. cap. 14. num. 5, post Bertrand. consil. 237. num. 1. volum. 6. D. Ludouic. Bell. consil. 3. num. 64. & consil. 4. num. 1. & 81.

Sed obiectio ista (ut verum fatear) mihi errore euentissimo niti visa est, quia verum quidem est apud nos, feudalia ad instar patrimonialium esse redacta, sed hoc non ita simpliciter, sed cum distinctione intelligendum est: aut enim agitur de facultate alienandi bona feudalia irrequisito domino, & in eis succedendi, veluti quòd tam masculi, quàm feminae in illis succedant, & quòd in extraneos etiam titulo venditionis, donationis, aliòve simili transferri & alienari possint; & hac ratione, verum est bona feudalia ad instar patrimonialium esse redacta. Vnde in feudo Castrinoui sito in diocesi Cauallicensi Comitatus Venayssini, fuit admittus masculus ex femina aduersus masculum descendente ex masculino, per transactionem celebratam inter partes, per quam terminata fuit lis maxima, quæ in Rota Romana pendebat: & super qua emanauerant diuersæ decisiones Rotales: ut apud Ludouic. dec. 535. & 445. par. 1. recent. & 491. part. 3. recent. & super quo negotio plurima extant cõsilia R. D. Lud. Belli Iurisconsulti celeberrimi, & quem præceptorem habui, dum iuri operam darem: ut videre est apud ipsum consil. 1. & sequentibus usque ad 9. † Ergo feuda ad instar patrimoniorum redacta sunt quoad ius succedendi, & quoad facultatem alienandi irrequisito domino, tam per viam venditionis, quàm permutacionis, & similis: ut explicat Guid. Pap. decis. 59. num. 2. & ibi Ferrer. Nisi tamen in inuestitura aliter dispositum esset: ut dicit ibidem Boneton. in additione, in verb. ad instar patrimon. † Ant. 11. verò

1. Certum est in donationibus locum non esse iuri prælationis in fauorè domini directi, ex notatis per Guid. Pap. decis. 47. attamen in casu speciali Dixi domino ius prælationis competere quamuis ageretur de donatione: † quia donatarius promiserat soluere summas non solum æquiuales, sed etiam maioris valoris quàm essent bona donata: quo casu donatio non dicitur contrahi, sed potius venditio. Alexand. consil. 119. num. 4. volum. 3. Ias. in l. final. num. 69. versic. limit. a prædicta. Cod. de iur. emphyt. Rationem reddens: quia alioquin facile esset fraudem facere legi. † Et cum talis donatio sit simulata, non meretur nomen donationis uti conficta in fraudem domini directi. Mantic. de tacit. conuent. lib. 22. tit. 28. num. 60. Amic. de iur. emphyt. quæst. 12. num. 14. versic. secundo, quod nulla. Clar. in §. emphyteusis. quæst. 17. num. 1. † Immo si pretium in permutatione soluatur, (cui similis est donatio illa respectiua,) præsumitur potius venditio, si illud rei permutatæ æquiualeat, vel parum distet. Amed. à Pont. quæst. laudem. 28. num. 9. & 10. & in hoc idem author donationem permutationi æquiparat, quæst. 49. num. 11. † Idem locum habere dicens, si res aliqua pro parte donetur, & pro parte vendatur: quia ex hac permixtione contractuum, fraus præsumitur. Idem, quæst. 30. num. 2. & dicta quæst. 49. num. 11.
6. Dubium tamen faciebat; quia agebatur de censu

verò agitur de iuribus retinendi iure prælationis, laudandi & laudemia percipiendi; & hoc casu natura feudalis remanet etiam in locis, in quibus dicuntur redacta ad instar patrimoniorum: vt aduertit D. Bellus, *consil. 1. num. 34. & num. 60. cum ibi citatis*. Ideo dominus directus debet requiri ante apprehensionem possessionis, aliàs res alienata cadit in commissum. Guid. Pap. *de is. 46. & ibi Addent. & consil. 46. num. 3. versic. sicut in simili. & consil. 147. num. 6. versic. sed restat*. Thesaur. *decis. 169. num. 2. versic. hoc addito*.

12. Hoc autem ius prælationis comperere Ecclesiæ, quando est domina directa, non est dubitandum: cum Ecclesia non debeat esse deterioris conditionis, quàm priuatus: *cap. potuit. & ibi Abbas, num. 1. & 2. de locat. Duran. quest. 31. num. 9. Amic. de iur. emphyt. quest. 64.*
13. Opponebatur 3. doctrina Lassartæ in *tract. de gabell. cap. 10. num. 12. 13. & 18.* vbi vult quòd onus reale rei ipsi inhærens, siue exprimat, siue non exprimat, non constituit partem pretij ad effectum, vt ex eo debeat laudimium: quia dum exprimitur, talis expressio facta est de onere intrinseco, quod ipsi rei inest; adeo vt expressio superflua sit, & nihil operetur: Ergo cum census per donatarium, soluendus specialiter esset super re donata impositus; expressio oneris dicti census nihil operabitur, neque illius erit habenda ratio in æstimatione faciendæ rei illius, ad effectum laudimij & iurium domino directo competentium.

14. Sed nec obiectio ista considerabilis est: quia in casu per eum proposito tractabatur de vera venditione, aut alio contractu oneroso, ex quo certum est deberi laudimium, & sumendam esse inuestituram, ac domino directo iura dominicalia deberi: sed vt prædictus Author *dicto cap. 10. num. 17.* aduertit, in *versic. ego vero. fol. 88. verso. colum. 2.* duplex est modus censum in re propria constituendi. Primus, quando pro illius solutione, & securitate, adiecta fuit hypotheca; siue generalis illa sit, siue specialis; eique simul adiecta fuit obligatio personalis: vt dicit *eodem num. 17. fol. 89. colum. 1. versic. at in priori censu.*

Secundus, quando super certo fundo census ita constituitur, vt nulla adhibita fuerit obligatio personalis: & is qui se obligauit, limitatè se obligauit tanquam possessor, & sub qualitate illa possessoris; ita vt si desinat esse possessor, desinat quoque illius obligatio: vt idem Author notat, in *versic. secundus verò est ille.*


Primi generis sunt contractus omnes annuorum reddituum, qui in hisce partibus celebrantur: quia obligationes personales in dictis annuis redditibus frequentantur, cum Bulla Pij V. de censib. non sit apud nos vsu recepta: vt alio loco ostendimus.

15. In censibus autem prædictis primi generis, clarè demonstrat obligationem emptoris de soluendo censum, constituere partem pretij emptionis, vel cessionis: quia eo pacto tantam pecuniam cedens accepisse videtur; licet realis numeratio non interuenerit; in quantum ab obligatione soluendi censum fuit liberatus: vt ipse notat *dicto num. 17. fol. 89. col. 1. versic. at in priori casu personali.* Quod euidentius apparet *ibidem, num. 18.* vbi contrarium dicit procedere, si census fuerit impositus iuxta Bullam Pij V. requirentis specialem rei, super qua census imponitur, obligationem; limitatam ad prædium illud, absque obligatione personali: vt patet in *dicta colum. 2. fol. 89. versic. atque ita hodie appareat.*

Idque meliùs explicat *num. 75.* vbi ponit casum in censu prædiali & reali; aliud sentiens in censu personali. Dicit enim quòd si cedo rem, prout illam habeo, nullo pretio recepto; vt si dico rem tuam tibi,

habeto cum suo censu, eo casu non est venditio, sed simplex cessio, stante præsertim dicta Bulla Pij V. & se se remittit ad *dictum num. 18.* supponens deesse obligationem personalem, atque ita possessorem non teneri nisi tanquam possessorem: vt patet *dicto num. 75. fol. 101. verso. colum. 2. in princip. versic. qua personali obligatione deficiente.* Quod optimè explicat Ludou. Bell. *consil. 129. num. 28.* & irrefragabili ratione confirmat: quia videlicet esset in facultate emphyteutæ ius domini inscij vel inuiti minuere, rem emphyteuticam in libellum concedendo, & sic rem deteriorem faciendo: vt cum venderetur, diminutum esset ius laudimiorum. Et plura de hac materia videri poterunt *dicto consil. 129 per totum.*

Vt interim non omittamus, non eandem esse rationem soluendæ gabellæ seu decimæ, & laudimij; quia cum semel de census impositione secundum leges Hispanicas decima soluta fuisset; non erat conueniens, aliam solui decimam de venditione rei, quæ eiusdem census onere reali erat affecta; ne ratione vnus eiusdemque rei duplex decima solueretur; quod esset iniustum: vt aduertit Ludou. Bell. *locò cit. & Iacob. Cancr. l. b. 1. cap. 11. de emphyt. num. 70.*



CAPVT XL.

De donatione fundi dotalis per mulierem facta, non obseruatis solemnitatibus per statutum Delphinale requisitis. Quando fundus dotalis fuit donatus cum vniuersitate bonorum præsentium & futurorum, sub modica reseruatione ad testandum; vtrum donatio subsistat.

S V M M A R I V M.

- 1 In Gallia l. i. ff. de fund. dotali, est abrogata quoad primam eius partem duntaxat.
- 2 Alienatio fundi dotalis etiam in Gallia valida est, si fiat cum vniuersitate bonorum.
- 3 Quæ sit differentia inter dispositionem vniuersalem, & generalem.
- 4 Maritus iure antiquo, soluto matrimonio, remanebat dominus fundi dotalis; & de eo loquitur text. in l. i. ff. de fundo dotali.
- 5 Non solum maritus, sed etiam vxor, in terminis l. 1. de fundo dotali, poterat alienare fundum dotalem.
- 6 Alienatio facta per vxorem non potest præiudicare marito quoad fructus illi debitos.
- 7 Soluta matrimonio, mulier fundum dotalem alienare potest.
- 8 Si mulier. spem restitutionis suæ dotis alienauerit talis alienatio effectum sortitur soluto matrimonio; si dos ad mulierem reuertatur.
- 9 Iuramentum reddit validam alienationem fundi dotalis.
- 10 Contrarium in Gallia seruatur.
- 11 Explicatur verus sensus l. i. ff. de fundo dotali. & num. 12. Remissiuè.
- 13 Quæ solemnitates in donationibus interuenire debeant ex dispositione statuti Delphinalis.
- 14 Non præsumitur pro decreto Iudicis, vel Baiuli imperiti.
- 15 Quando sola præsentia Iudicis requiritur, sufficit interuenire Iudicem quantumuis imperitum.

- 16 Dominus loci potest si velit se supponere Iurisdictioni Baiuli sui.
- 17 Baiulus tamen in causa sui domini, potest allegari suspectus.
- 18 Suspicio omnis cessat in actibus voluntaria iurisdictionis.
- 19 Qui dicit affines seu propinquos non potuisse intervenire tempore contractus, pro obseruanda statuti solemnitate, tenetur id probare.
- 20 Donatio si per multos annos fuerit obseruata, pro eius corroboracione leuiores probationes requiruntur.
- 21 Presumptio mali iuris oritur contra eum, qui actionem suam tardè proponit.
- 22 In antiquis, Iudex argumentis & coniecturis contentus esse debet.
- 23 In casibus qui sunt difficilis probationis, admittitur coniecturalis & presumptiua probatio.
- 24 Reseruatio usufructus secundum nonnullos, donationem omnium bonorum validam non reddit.
- 25 Fructus reseruati, & quaesita ex eis, pertinent ad heredes donatoris: & num. 27.
- 26 Amplia, etiamsi reseruatio fructuum facta fuerit ad vitam.
- 28 Qua cautela fieri possit, vt reseruata acquirantur donatario.
- 29 Iulij Clari sententia proponitur, sed reiicitur, n. 30.
- 31 Quanta debeat esse reseruatio ad validandam donationem, Iudicis arbitrio remittitur.
- 32 Onus probandi tenuitatem donationis pertinet ad allegantem.
- 33 Si donator summam competentem in donatione omnium bonorum sibi reseruauerit, non officit donationi, si postea illam consumpserit.

Difficile esse dixi donationem à muliere factam irritari, ex capite prohibitionis alienationis fundi dotalis, ex lege Iulia: cum alienatio fundi dotalis facta fuisset cum vniuersitate bonorum: quo casu nihil impedit quominus fundus dotalis alienari queat, adinstar iurispatronatus quod per se vendi non potest, & tamen illius venditio sustinetur; si cum bonorum vniuersitate facta fuerit, l. 1. ff. de fund. dotal. † Et licet ageretur de bonis sitis in Gallia, vbi lex Iulia abrogata dicitur; tamen verum est legem illam primam, ff. de fund. dotal. vsu in Gallia non esse receptam, quoad primam illius partem duntaxat; quâ dicitur, quod si marito non cauente de damno infecto, vicinus in possessionem prædij dotalis fuerit immisus, & deinde iustus possidere, hoc casu cessat lex Iulia: vt notat Autum. ad d. l. primam. Sed quoad secundam eius partem, quâ dicitur fundum dotalem alienari posse cum vniuersitate bonorum, lex illa abrogata non fuit: † Vnde fundum dotalem alienari posse constat: quia mulier donationem fecit omnium bonorum suorum, præsentium & futurorum, in quibus bona dotalia erant comprehensa. Bald. Nouell. in tractat. de dote, part. 7. priuileg. 1. num. 22. & in l. 1. ff. solut. matrim. num. 187. Hyppol. Rimin. in rubric. Instit. quib. alienar. licet. num. 169. & sequentibus. † vbi ostendit differentiam inter dispositionem generalem, & vniuersalem: & probat in generali non comprehendi fundum dotalem; & at in vniuersali comprehendi: vt per eum, num. 179. vniuersalem autem esse demonstrat, quando disponens loquutus est de bonis, cum illa dictione, *Omnia*, quæ est vniuersalis: post Dec. in l. omnia. ff. si cert. petat. & aliis in locis per eum allegatis.

4. Et quamuis text. in d. l. 1. videatur solum loqui de alienatione facta per maritum, dicens talem aliena-

tionem validam esse; veluti per hæredis institutionem (quia iure antiquo dominium rei dotalis non transibat in mulierem soluto matrimonio, quod hodie correctum est per l. in rebus. Cod. de iure dot. vt docet Bart. in d. l. 1. ff. de fund. dotal.) Sed tamen fundum dotalem transire in hæredem mariti, cum eodem onere illum non alienandi. Nihilominus textus ille loquitur exemplificatiuè, vt patet ex illa dictione, *veluti ad hæredem mariti*: sed non ideo inferri potest, quin si idem in vxore alienante fundum dotalem cum vniuersitate bonorum statuendum sit: quia vtroque casu eadem militat ratio; immò & in vxore alienante deficit illa obligatio conseruandi fundum dotalem in alienatum: quia aut inspicimus tempus matrimonij constans; † & hoc casu verum est alienationem non subsistere in præiudicium mariti, & fructuum illi debitorum super bonis dotalibus. Thesaur. decis. 150. num. 17. † Aut inspicimus tempus soluti matrimonij; & hoc respectu valida est alienatio, cum non agatur amplius de mariti præiudicio; sed solius vxoris: quæ licet regulariter dotem alienare non possit; tamen alienatio per ipsam facta spei futuræ restitutionis subsistit, & valida est: l. constante. & ibi Glos. & DD. Cod. de donat. & præsertim Bart. qui dicit glossam illam esse valde notandam. Bald. qui dicit illam esse singularem. Alberic. qui dicit se vidisse magnos peritos de hoc dubitare. Angel. qui dicit aliud esse donare spem actionis futuræ, aliud fundum dotalem quem alienari prohibet lex Iulia. Odofredus, vbi tenet quod licet fundus dotalis alienari nequeat, tamen actio ad dotem, seu spes illius donari potest. Sichard. vbi ponit casum illius legis in fundo dotali, qui alienari non potest in præiudicium mariti; sed tamen vxor in præiudicium dotis potest donare, non quidem ipsam dotem; sed spem, ius & actionem quam ipsa mulier habet in dote. † Idcirco si mulierem, marito suo præmori contingat; ius illud dotale quod tunc in spe tantum competeat; deuoluitur ad donatarium. Parpal. in l. secunda, numer. 81. versic. Item per hoc limbo. ff. solut. matrim. Tiraquel. de retract. consangu. §. 26. glos. tertia, numer. septimo. Barbof. in quinta parte, l. 1. ff. solut. matrim. numer. 42. versic. item ex prædictis. Bertrand. consil. 105. volum. 6. Thesaur. dicta decis. 150. numer. 17.

Pro donationis validitate accedebat iuramentum, quod fundi dotalis alienationem adeo validam reddidit, vt illi donatrix aut eius hæredes contrauenire non possint; præsertim si mulier viuens Regias pro restitutione literas non impetrauerit, aut alia ratione conquesta non fuerit: prout in Senatu Gratianopolitano decisum testatur Expilli arrest. 123. † Scio tamen contrarium tenuisse Addent. ad Alexand. consil. 38. lib. secundo, & ad Louet, litera D. num. 12. sed contractus de quo agitur factus erat in patria Delphinatus, vbi præualere debent arresta dicti Senatus.

Redeundo igitur ad decisionem quæstionis principalis, Dico quod l. 1. ff. de fund. dotal. in secunda eius parte, licet loquatur de marito alienante fundum dotalem cum vniuersitate bonorum; eadem ratione locum habet in muliere alienante, cum eadem bonorum vniuersitate: vt expressè voluit Bald. Nouell. dicta part. 7. priuileg. 1. num. 22. & in l. 1. ff. solut. matrim. num. 187. vbi propterea dicit, quod si mulier habeat Castrum (intellige non dotale,) & dederit marito in dotem quosdam redditus dicti Castri, postea verò vendat ipsum Castrum, poterit etiam cum eo vendere, & transferre dictos redditus dotalis, vt sibi liceat dictam alienationem facere cum vniuersitate; quam

12. quam tamen singulariter facere non potuisset. † Cæterum de vera interpretatione *dictæ. l. 1. ff. de fund. dotal.* & de ratione differentiæ inter casum alienationis necessariæ fundi dotalis, & illius quæ sit cum vniuersitate bonorum; videndus est Barbof. *in d.l. 1. ff. solut. matrim. part. 5. n. 11. & 12.*
13. Secundum caput nullitatis donationis proponebatur, petitum ex inobseruantia statuti Delphinatus, quo cauetur donationes non aliter validas esse, quàm si in Baliui, Iudicis, aut Castellani loci seu parochiæ domicilij donatoris, vel Locumtenentis eorundem & trium ex proximioribus consanguineis seu parentibus ipsius donatoris in dicta parochia existentibus, vel vbi non reperirentur in dicta parochia; aut vocati, adesse nollent, in donatione prædicta aliorum virorum proborum dictæ parochiæ non suspectorum per alterum ex dictis Officiariis pro numero parentum non existentium, aut non repletorum, aut adesse vt supra nolentium subrogandorum præsentia factæ fuerint, recitatæ & publicatæ. Cuius statuti seu edicti tenor ad longum inseritur in recentioribus decisionibus Guid. Pap. cum quibusdam annotationibus Ioannis de Cruce.
14. In quo capite dubium oriebatur ex eo, quòd cum ageretur de Baiulo imperito qui huic donationi auctoritatem præstiterat, non aderat iuris præsumptio pro illius decreto. Bertazol. *de clausulis. claus. 10.*
15. *gloss. 2. num. 17. versic. quarto limita.* † Sed hæc difficultas leuis est: quia statutum seu edictum non requirit interpositionem decreti, sed solum præsentiam Baiuli ad fraudes euitandas: qua in re non requirit vlla causæ cognitio, ad effectum interpositionis decreti formalis; sed sufficit præsentia Baiuli, vnde ex hoc capite non poterat donatio impugnari.
16. Præterea opponebatur quòd Baiulus ipse, erat Baiulus & officialis ipsius donantis in loco in quo donans habebat omnimodam iurisdictionem, & per consequens Baro seu Dominus loci non erat subditus iurisdictioni Baiuli sui. Sed nec ista obiectio subsistere poterat: quia quod dicitur Baiulum non habere iurisdictionem aduersus Dominum loci, est verum, & procedit nisi Dominus ipse sponte se illius iurisdictioni supponere velit: vt notauit Albert. Brun. *consil. 146. in princip. per text. in l. est receptum. ff. de iurisdic. omn. iudic.* † Vbi tamen dicit, quòd tali casu, is qui coram Baiulo, aut alio Officiali conuenitur,
17. in causa Domini, potest suspectus allegari. † Quæ suspicio cessat in casu isto; cum agatur de actu voluntariæ iurisdictionis. *l. si consul. ff. de adoptr. Gutier. de tutel. part. 1. cap. 16. num. 7.*
- Tertio loco dicebatur donationem ex alio capite statuti non obseruari, nullam esse: quia videlicet affines, seu consanguinei; provt requirebat statutum, vocati non fuerant.
18. Sed responsum fuit, illum qui asserit adfuisse propinquos, qui assistere possent donationi; teneri illud probare, tanquam fundamentum suæ intentionis; non quidem quòd eadem hora, sed saltem eadem die qua contractus fuit celebratus, proximiores idoneos & capaces in loco celebrati contractus fuisse præsentem. Castrenf. *consil. 124. num. 2. versicul. secundo videndum. lib. 1. Rot. decis. 469. num. 1. & sequentib. part. 1. recent* non autem necessaria est probatio de existentia propinquorum eadem hora contractus. Rot. *decis. 713. part. 2. recent. Ludouif. decis. 459. num. 12.*
19. Attamen cum negotium definiendum esset in suprema Curia Gratianopolitana, quæ iudicat ex æquitate: Censui non adeo necessariam præcisam illam præsentiam propinquorum concludentem probatio-
- nem; imò satis fore si probatio coniecturalis adduceretur, instantibus facti circumstantiis. Agebatur quippe de donatione iam ante triginta annos facta, aduersus quam nihil dictum fuerat, nec donator in iudicio vel extra conquestus erat, & propter tanti temporis interuallum nedum difficilis, sed & impossibilis ob testium obitum facta fuerat probatio. † Ex qua sic tarda nullitatis propositione non modica doli & calumniæ præsumptio nascebatur. Bald. *consil. 37. lib. 1. Afflict. decis. 13. num. 2. in 9. coniectura, text. est in cau. Christianus. 11. quest. 1. Mangil. de euict. quest. 8. num. 46.* † Ideo hoc casu Iudex argumentis & indiciis debet esse contentus. Cassad. *decis. vlt. in fin. de dolo & contumacia*, & probat text. *in l. non omnes. §. à barbaris. ff. de re militar. Bart. in l. in illa 1. ff. de verb. obligat.* † Ratione quippe difficultatis probationis admittenda est præsumptiua probatio. Bald. *in Authen. quas actiones. penult. colum. Cod. de Sacrosanct. Eccles. & lex contenta est indiciis & argumentis, secundum eundem Bald. in l. si quis in hoc genus. Cod. eodem tit. & in l. quicumque. colum. penult. aliàs. vlt. Cod. de seru. fugit. cum alioquin ex sola temporis antiquitate oriatur præsumptio rei solemniter gestæ; vt per Mascard. *de probat. consil. 1229. num. 3. & sequentib. Menoch. de arbitrar. casu 115. per tot.**
- Tertium nullitatis fundamentum desumptum fuit ex eo, quòd donatio facta erat de magno & amplo patrimonio sub valde modica reseruatione; nempe vsusfructus, & folius summæ centum scutorum ad disponendum; & tamen donatio erat de omnibus bonis donatoris præsentibus & futuris: in quo capite DD. in varias iuere sententias: siquidem Anton. Faber. *in suo. Cod. lib. 8. tit. 34. de donat. definit. 9.* ex sola vsusfructus quantumuis magnæ quantitatis reseruatione donationem non reddi validam censuit: ea ratione nititur, quia quidquid donatori superest de fructibus bonorum donatorum, necesse est vt veniat sub donatione futurorum. Quæ tamen ratio non subsistit, quia † si donator omnium bonorum præsentium & futurorum reseruatis fructibus aliquid ex eis acquisierit, verius est tale ex fructibus quæsitum, non ad donatarium vniuersalem, sed ad donatoris hæredes pertinere, vt censuit Surd. *consil. 173. numer. 10. Gabriel. consil. 139. num. 2. volum. 1. Mantie. de tacit. conuent. lib. 13. tit. 32. n. 8. & 11. Peguer. decis. 140. num. 2. Franc. decis. 168. num. 3. & 10. † Quòd pro-*
- cedit etiam si fructuum reseruatio facta fuerit ad vitam. Trentacinq. *lib. 3. variar. resol. tit. de donat. resol. 3. num. 18. Pascal. de patr. potest. part. 1. c. 9. n. 125. † Et*
- non solum fructus extantes tempore mortis donatoris, sed etiam quæsitæ ex fructibus pertinent ad hæredes donatoris; Iacob. Cancer. *part. 3. tit. 2. de inuent. num. 122. † Licet possit adhiberi cautela, quòd*
- si donator non disposuerit de reseruatione, sit acquisita donatario. Tusch. *litera D. conclus. 648. numer. 39. & 55. Thesaur. decis. 97. n. 4.*
- Alia sententia fuit Iulij Clar. *in §. donatio, quest. 19.* nempe nullam esse donationem omnium bonorum præsentium, & futurorum: si adeo parua sit reseruatio, vt vigesimam bonorum donatorum partem non attingat: cuius sententiæ multi adherent, quos refert Pascalis, *de patr. potest. part. 1. c. 8. n. 119.*
- Hanc tamen sententiam multi alij reiciunt: & inter cæteros Ioan. Bapt. Cost. *de fact. scient. centur. 1. distinct. 77. in summano, numer. 9.* vocat ridiculum commentum, & illam sententiam repugnare communi opinioni, nullibique probari testatur Riminald. *iun. lib. 5. consil. 555. num. 9.* Et Clarum sine lege & ratione loqui asserit Mastril. *decis. 273. numer. 7.*


& sequentib. Cancer. qui dicit donationem subsistere, etiamsi donatio esset modica, lib. 3. c. 2. n. 124. Castil. lib. 4. controuers. c. 83. n. 29.

31. Vera resolutio meo iudicio hæc est; vt totum hoc ex iudicis arbitrio dependeat, qui consideratis bonis donatis & reseratis, ac valore reseruatorum totum hoc negotium terminabit: si enim v.g. vsusfructus reseruatus adeo paruus sit, vt vix ad alimenta donatoris sufficiat; aut si post alimenta donatori necessaria adeo modica superfit summa, vt verisimile sit nullam reperiri posse qui illius hæreditatem acceptare velit: eo casu propter sublatam donatori facultatem testandi, donatio inualida declarabitur. E contra si superfit talis summa, quæ inspecta facultatum & personarum qualitate inuitatura sit aliquem ad hæreditatem acceptandam, efficax erit & valida donatio: fieri siquidem potest, vt tam amplum sit patrimonium, vt illius non dicam vigesima, sed etiam centesima talis sit, vt sufficere possit inueniendo hæredi, vnde nihil certi hîc definiri potest; sed ad arbitrium Iudicis remittendum est. Ideo Senatus Aquens apud Francisc. Steph. decis. 67. validam declarauit donationem: quia cum ageretur de muliere industriosa & obsterice, quæ minimo labore aliunde quàm ex fructibus sese alere poterat, & summam sibi ad inueniendum hæredem competentem poterat conseruare.

Et hæc est communis & vera resolutio, de qua Cancer. lib. 3. cap. 12. num. 3. versic. secundo Pauli sententia. & cap. 2. numer. 128. & lib. 1. cap. 8. de donat. n. 78. in nou. Tusch. in verb. Donatio. conclus. 648. n. 72. Fontanel. qui dicit se loqui cum torrente Doctorum. claus. 4. gloss. 23. n. 3.

32. Aduertendo tamen quòd onus probandi tenuitatem reseruationis pertinet ad actorem. Tusch. liter. D. conclus. 648. n. 74.

33. Item notandum est non officere donationi, quòd donator summam reseruatam postea consumpserit: cum solum donationis tempus hac in re sit considerandum. Anton. Faber. lib. 8. tit. 34. definit. 9. quem sequitur Fontanel. d. claus. 4. gloss. 22. n. 11.



CAPVT XLI.

De dominio directo vniuersali, tam quoad iurisdictionem, quàm quoad omnia prædia territorij. Quomodo & ex quibus probetur, omnia prædia certi territorij esse emphyteutica, sub dominio directo Domini illius loci. De bonis allodialibus, seruilibus, & in feudo franco: Et quomodo hæc tria inter se differant. Homagij præstatio vtrum dominium directum probet. Quæ sit natura feudi liberi, nobilis & gentilis; & vtrum ex eo laudimium debeatur.

S V M M A R I V M.

- 1 Domini iurisdictionales sunt quidem fundati in toto territorio quoad iurisdictionalia, sed non quoad dominium directum prædiorum particularium.
- 2 Domini terrarum si prætendant dominium directum, tenentur illud probare.
- 3 Amplia vi procedat, siue bona possideantur per inuestitum, siue per tertium.
- 4 Si in aliquo territorio sint plurima prædia merè al-

lodialia, Dominus loci non habebit fundatam intentionem in dominio directo vniuersali.

- 5 E contra; si nulla sint prædia libera in toto territorio, ex eo sumitur argumentum dominij directi vniuersalis.
- 6 Non nocet dominio vniuersali, quòd aliquis alius in eo loco possideat dominia directa: quia vnus potest esse dominus directus inferior, & immediatus; & alius superior & mediatas.
- 7 Quando quis est dominus directus vniuersalis, alij prætendentes dominium directum particulare tenentur ius suum probare.
- 8 Dominium directum superius & vniuersale, colligitur ex eo quòd dominia directa particularia illi, soluunt laudimium, & super illis habet ius prælationis dum venduntur.
- 9 Argumentum dominij directi vniuersalis colligitur ex eo, quòd de prædiis franchis à censu soluitur domino laudimium.
- 10 Ex præstatione laudimij resultat probatio dominij directi.
- 11 Fallit si domini consensus fuisse requisitus pro abundantiori cautela.
- 12 Ex locatione ad longum tempus debetur laudimium.
- 13 Expenditur Menoch. consil. 708. n. 18.
- 14 Dominij directi non oritur concludens probatio ex eo, quòd maior pars prædiorum territorij est emphyteutica, erga Dominum loci.
- 15 Maximè quando agitur contra tertium possessorem.
- 16 Si quis de toto territorio fuerit inuestitus, vtrum ex eo inferatur per necesse ipsum esse dominum directum totius territorij.
- 17 Clausula inuestitura cum furnis, molendinis, &c. quid importet.
- 18 Præceptum factum per Dominum suis subditis de faciendo dinumerationem prædiorum, non arguit per necesse dominium directum vniuersale.
- 19 Omnia præsumuntur seruilia, si emphyteuta non ostendat qua sunt emphyteutica.
- 20 Limita, nisi adesset probabilis ignorantia.
- 21 Quomodo procedant qua dicta sunt supra, num. 19.
- 22 Explicatur differentia inter prædia merè allodialia, seruilia, & franca, seu franco modo, vel in feudo franco possessa.
- 23 Allodium quid sit.
- 24 Feudum francum quid.
- 25 Ex feudo franco debetur fidelitas, sed non seruitia.
- 26 Reseruatio dominij directi est de naturalibus feudi; sed non de substantialibus.
- 27 In quo consistat natura feudi franci.
- 28 Quando alienatur feudum francum, liberum, nobile, & gentile, non debetur laudimium.
- 29 Dum prædium alienatur vti liberum, censetur etiam translatum dominium directum.
- 30 De triplici iuramento fidelitatis, nempe subiectionis, domesticitatis, & vassallagij.
- 31 Concessio in feudum differt à concessione in emphyteusim, & quomodo.
- 32 Qua debeat articulare, & probare is, qui præten- dit excludere dominium directum vniuersale, ob alienationes factas tanquam de bonis liberis, & merè allodialibus.

GRAUES & diuturnæ lites motæ fuerunt, & adhuc pendent inter multas huiusce Status Communitates, & Dominos Barones, seu Iurisdictionales; super dominio directo vniuersali totius territorij, & incolas seu bonorum possessores. Siquidem Domini

Iurisdictionales prætendunt habere intentionem fundatam in toto territorio; ita ut absque alia dominij directi probatione, possessores omnes teneantur in casum acquisitionis laudemium soluere, & ius prælationis domino volente pati. E contra verò particulares prætendant se, nec ad recognitionem, nec ad laudimij præstationem teneri, nec aliis iuribus dominicalibus supponi, nisi dominus probauerit ius suum dominicale. Cuius quæstionis resolutio vel in fauorem domini, vel pro particularibus, elici poterit ex sequentibus conclusionibus generalibus, quas ad nullum casum particularem adaptabimus, expectantes quid ex variis facti circumstantiis decisiones desuper faciendæ possint declarare.

1. Prima ergo Conclusio sit: Dominos iurisdictionales, licet intentionem habeant fundatam in toto territorio quoad iurisdictionales actus; tamen super dominio directo omnium prædiorum particularium, ex sola iuris assistentia, nisi titulus sufficienter probetur, non esse fundatos: ideo, si prætendant laudimium, & alia iura dominicalia sibi deberi ex prædiis particularibus, teneri hoc probare. Ratio est, quia de iure communi, omnia prædia libera & allodialia præsumuntur. *Surd. alios allegans, consil. 311. numer. 6. & 7.* Neque præsumitur quidquid est infra territorium esse emphyteuticum. *Rot. decis. 409. numer. 4. part. 1. recent. & decis. 696. numer. 4. part. 4. diuers. †* Vbi dicitur non valere argumentum à iurisdictione, ad dominium rerum particularium alicuius territorij. *Cancer, lib. 1. variar. resol. cap. 11. de emphyt. numer. 31. in nouis, & lib. 3. tit. 4. de seruis. numer. 8. Mantic. de tacit. & ambig. conuent. lib. 22. tit. 20. numer. 26.* vbi dicitur quòd si Dominus Iurisdictionalis, prætendat dominia directa particularia, tenetur fidem facere de suo titulo. *Peregr. consil. 16. numer. 4. & sequentib. volum. 1.* vbi dicit hoc esse commodum possessionis, ut pro eius iustitia præsumatur; & ideo onus probandi dominium spectare ad Superiorem illud prætendentem. *Marescot. libr. 1. variar. resol. cap. 85. numer. 11. 12. 13. & sequentib. †* Vbi hoc procedere asserit, siue bona possideantur ab eo qui fuit inuestitus, siue à tertio, atque ita testatur in Rota fuisse decisum. *Surd. consil. 151. n. 64. 65. & 66. & 84. Rebus. in constit. Regias de const. reit. art. 2. glos. vnic. n. 14. Menoch. lib. 3. præsumpt. 100. n. 5. & 6. & seqq.*
4. Secunda conclusio: quando in aliquo territorio sunt plurima prædia, omnino franca & merè allodialia; ex hoc excluditur præsumptio, si quæ adsit, dominij directi vniuersalis; & è còuerso, si omnia prædia sint seruilia, ita ut in toto territorio nullum sit prædiū, quod non subiaceat alicui domino directo; ex hoc magna oritur præsumptio dominij directi vniuersalis.

Prima conclusionis pars probatur ex traditis per *Brun. consil. 127. colum. 8. versic. quod si sextam.* vbi dicit quòd si extant aliqua instrumenta venditionum factarum in allodium, destruitur fama dominij directi vniuersalis: sequitur *Surd. consil. 151. numer. 80. in fin. & n. 84. in fin. versic. & hæc sententia.* *Natta consil. 446. numer. 9. & consil. 514. n. 32. Rot. decis. 696. numer. 4. part. 4. diuers.*

5. Secunda pars conclusionis euidenti ratione probatur: nam si omnia certi territorij prædia seruilia, & nihil liberum esse supponamus; sequitur omnino cessare regulam illam generalem, quæ dicitur prædia omnia esse libera: immò adest in contrarium alia regula, quòd in tali territorio omnia non solum præsumuntur, sed sunt seruilia: vnde dominus fundatam habebit intentionem in toto territorio, non obstantibus dominiis directis particularibus ad alios forè spectantibus: quia, ut mox dicemus, dominia ista pos-

sent esse subalterna, & dependentia à dominio directo vniuersali. Et essentia ipsius dominij directi vniuersalis, non consistit in eo, quòd nullus alius habeat dominium directum aliquorum prædiorum particularium; sed in eo, quòd si quis dominium directum particulare prætendat, illud probare teneatur. At verò dominus vniuersalis totius territorij, absque alia probatione fundatam habet intentionem in dominio directo cuiuslibet prædij; nisi alius tale dominium particulare directum sibi competere docuerit: Ita declarat *Socin. sen. in l. 1. numer. 27. versic. ex quibus. ff. de acquir. possess.*

Vnde cum in Britannia nulla sit terra quæ alicui domino directo non subiaceat, bene concludit *Argentæus Dominos Iurisdictionales in illa prouincia fundatam habere intentionem, non solum quoad iurisdictionem, sed etiam quoad dominium directum omnium prædiorum particularium: ut notat idem Author ad consuetudines Britannia, artic. 277. glos. 9. per tot. in verb. entre les metes de la seigneurie. fol. 1331.*

Tertia Conclusio, consequutua eorum quæ mox in secunda dicta fuere, est; non repugnare dominio directo vniuersali, quòd alij præter Dominum Iurisdictionalem possideant in illo feudi territorio, aliqua directa dominia certorum prædiorum; cum vnus possit esse dominus directus superior & mediatas; alius verò inferior seu immediatus: ille vniuersalis, hic particularis. *Ias. inter consil. feud. Alberti Bruni consil. 8. numer. 52. post Bartol. in l. 1. §. per hanc. per illum textum, iuncta l. sequenti. ff. de rei vendicat. & in extranaug. ad reprimendum. in verb. totius orbis. & per alia iura ibidem allegata: quod & indubitatum supponit Vincent. de Franch. decis. 437. †* Et ideo *Curr. lun. consil. 184. numer. 8.* dicit quòd si quis velit excludere dominum habentem intentionem fundatam in toto territorio, debet probare suum dominium particulare: sequitur *Mar. Anthonin. lib. 2. resol. 55. numer. 3.* & sic apparet quòd dominia directa particularia: non nocent domino directo vniuersali.

Quarta Conclusio: vna ex præsumptionibus ex quibus dominium vniuersale colligi potest, ea est; quòd habentes dominia directa particularia, illa recognoscunt domino vniuersali, seu iurisdictionali, qui in illis dominiis particularibus exercet iura dominicalia; veluti laudimium ex istorum dominiorum directorum alienatione percipiendo; aut illa iure prælationis retinendo; aut similes actus dominicales faciendo: & hæc coniectura apud nos, variis in causis, tam in iudicando, quam in consulendo, semper habita fuit in magna consideratione: quæ etiam amplectitur Dominus *Ludouic. Bellus. consil. 111. n. 7. versic. Quarto.* Et summa ratione nititur; quia si dominia particularia directa, recognoscunt Dominum Iurisdictionalem, & ab eo dependent; ex hoc arguitur maioritas & superioritas Domini Iurisdictionalis; ita ut hæc potius dicantur subemphyteutes, quam simplices concessiones in emphyteusim: cum iura ista nullo alio titulo, quam iure dominij directi superioris exerceri queant: ex *l. final. Cod. de iure emphyteut.*

Quinta Conclusio: Alia dominij directi vniuersalis coniectura petitur ex eo, quòd de prædiis franchis solui consuevit laudimium domino loci. Dum de prædiis franchis loquor, intelligo de illis quæ sunt franca à censu & seruitio; nam si ageretur de prædiis franchis à dominio directo, recurrendum esset ad secundam conclusionem.

Quæ autem sit differentia inter prædia franca à censu, & franca à dominio directo, mox exponemus. Ratio conclusionis est; quia si prædia ex quibus nullus soluitur canon annuus, laudemium soluunt; sequitur dominium territorij

- territorij iure vniuersali ad Dominum loci pertinere: cum prædia omnia sint alicui domino directo supposita; nullumque in toto territorio à dominio directo immune: & sic locus sit iis, quæ supra diximus in posteriori parte secundæ conclusionis: cum illa, ex quibus soluitur domino canon, emphyteutica esse non negetur. Illa verò, ex quibus canon non soluitur, subiaceant solutioni laudemij: & per consequens sint etiam emphyteutica. Si omnia emphyteutica; ergo datur aliquod dominium directum vniuersale super
10. omnibus. † Quod autem ex præstatione laudemij resultet probatio dominij directi, patet ex traditis per Menoch. *lib. 3. præsumpt. 105. num. 7. Mantic. de tacit. conuent. lib. 22. tit. 3. num. 15. Rot. decis. 400. n. 8. part. 1. recent. & decis. 420. num. 4. part. 3. recent. & 234. num. 5. part. 7.*
11. Quod tamen non procederet si consensus simplex domini fuisset requisitus ad maiorem cautelam, ad euitandas difficultates & controuersias: vt dicit Socin. senior. *consil. 266. num. 7. versic. nec videtur obstare lib. 2.*
- Sed si ultra consensum domini, absque vlla protectione aut reservatione requisitum, concurrat etiam solutio laudemij; non est dubitandum quin ex eo resultet verus effectus dominij directi, ex supradiotis.
12. † Et hoc procedit etiam si laudemiam fuisset solutum ex locatione ad longum tempus: quia etiam ex ea domino directo, soluendum est, ex Dec. *consil. 204. num.*
13. 2. Burg. *de laudem. part. 2. inspect. 58. num. 17.* † Unde non video quomodo conclusioni nostræ obesse possit Menoch. *consil. 708. num. 28* quia siue ex locatione ad longum tempus, siue alio quouis modo soluat laudemium, non alia ratione solui debet, quam respectu dominij directi: & ideo quicumque ex aliquo prædio laudemium recipit, omnino illum dominum directum talis prædij esse fatendum est; ex iam dictis. Sicut aliàs videmus quòd ex solutione releuij, oritur quædam præsumptio & quasi possessio qualitatis feudalis. Rosent. *de feud. cap. 12. conclus. 14. num. 10. & 66. Menoch. lib. 3. præsumpt. 91. num. 52.* cum aliis quos citat & sequitur Capyc. *decis. 93. num. 1. & sequentib.* Vbi tamen hanc præsumptionem non ita potentem affirmat, quin admittat probationem in contrarium: maximè dum agitur contra tertium, qui nec soluit, nec à soluente causam habet.
14. Sexta Conclusio: si maior pars prædiorum intra aliquod territorium positorum, sit supposita dominio directo Domini Iurisdictionalis, non propterea fundata est ipsius intentio in toto territorio, sed eo non obtante dum agit contra rei possessorem, tenetur probare suum dominium directum illius rei particularis. Probatur, quia licet verum sit quòd quando agitur de territorio certis limitibus circumscripto & designato, si maior pars rerum sub illis confinibus comprehensarum sit feudalis, reliqua omnia feudalialia præsumuntur, non solum quando agitur de eodem manso seu poderio, vt loquitur Bald. *in cap. 1. in fin. de content. inter masc. & fæminam. in vsibus feud.* sed etiam dum agitur de territorio eiusdem Castri, certis limitibus terminato, Vrsil. *ad Afflict. decis. 267. n. 9. Chassan. in consuet. Burgund. rubric. 9. des Mains-mortes §. 4. in verb. vn Meix. numer. 5. versic. aliquando & quinto.* Marius Antonin. *lib. 1. resol. 55. num. 1. & 2. Menoch. consil. 181. num. 97. & 98.* † Tamen hoc intelligendum est vt locum habeat, quando ille qui est inuestitus de vniuersitate agrorum certi territorij limitati, seu eius successores reperiuntur possidere; tunc enim, quia possessio censetur continuari vigore tituli præcedentis, omnia præsumuntur feudalialia, vel emphyteutica: secus si intra idem territorium

aliquistertius reperiretur fundum possidere; quia præsumptio deducta ex eo, quòd maior pars territorij sit emphyteutica, non militat aduersus istum tertium: prout ita intelligit & explicat Cancr. *lib. 1. variar. resol. cap. 11. num. 36. in nouis. Rosent. de feud. cap. 12. conclus. 14. num. 28. & 47.*

Septima Conclusio: quando constat ex instrumen- 16. to cõcessionis feudalis, Dominum loci fuisse inuestitum de loco, iurisdictione, & toto territorio; tunc maxima oritur præsumptio dominij directi vniuersalis: vt norauit Lud. Bell. *consil. 111. num. 7. in princip.* vbi allegat Claper. Menoch. & alios. Ego tamen ex eo non existimo, concludentem & necessariam oriri probationem, nisi alia occurrant; vel probetur Principem concedentem fuisse Dominum vniuersalem territorij: cum omnis concessio facta per Principem intelligenda sit sine præiudicio tertij. *l. 1. §. si quis à Principe. ff. ne quid in loco public. vel itin. fiat.* † Sicut 17. dicitur de similibus clausulis inuestiturae factæ cum aquis, mol. ndinis, &c. quæ probant contra concedentem, sed non contra tertium. Craueta, *consil. 54. n. 9. versic. in hoc tamen non facit. & in respons. pro genero, num. 431. Roland. consil. 82. num. 17. volum. 2. Cancr. lib. 3. cap. 4. num. 62. Rosent. de feud. cap. 12. conclus. 14. num. 26. Menoch. consil. 395. num. 21. & 22. Trentacinq. lib. 1. variar. resol. tit. de emitt. resol. 1. num. 10. Ferrer. ad Guid. decis. 298.*

Octaua Conclusio: quamuis Dominus Iurisdictionis 18. curauerit præcipi omnibus emphyteutis, de faciendo dinumerationem omnium bonorum emphyteutorum per eos possessorum; non tamen ex hoc solo inducitur probatio dominij directi vniuersalis. Ratio est, quia licitum est cuilibet domino directo, etiam non vniuersali, cogere emphyteutas, ad faciendam descriptionem & dinumerationem bonorum per eos possessorum. Gratian. *discept. forens. cap. 188. num. 36. & sequentib.* Argentr. *in consuet. Britan. artic. 140. gloss. 1. n. 2. & artic. 85. notat. 2. n. 1.* Alioquin 19. si Vassallus vel emphyteuta non indicaret quænam bona sint emphyteutica, omnia præsumerentur seruilialia. Amed. à Pont. *qu. laudem. 44. n. 9. & 10.* † Nisi adesset 20. verisimilis ignorantia, quæ iustis de causis sæpè contingit, Menoch. *de arbitrar. cas. 554. num. 5. & 6. Cancr. lib. 1. cap. 11. num. 34. in nouis.*

Quomodo autem procedat quod dictum est, omnia 21. præsumi emphyteutica, nisi emphyteuta det suam dinumerationem; explicat Mantic. *de tacit. conuent. lib. 22. tit. 20. num. 17. & sequentib.* vbi dicit sufficere emphyteutæ, ostendere aliqua bona emphyteutica: nam si dominus directus alia prætendat, tenebitur id probare: prout copiosius explicat *in eodem loco*, ad quem recurrendum erit dum casus euenerit: quia hoc est extra materiam propositæ quæstionis.

Nona Conclusio: quamuis possessores retognouerint eorum census & bona, in fauorem Domini Iurisdictionalis sub feudo franco: non propterea inferatur quòd Dominus habeat dominium directum totius territorij: quod procedit non solum quando recognitio facta fuit sub feudo franco; sed etiam si adiectum fuerit, quòd recognitio fiebat sub feudo franco nobili & gentili.


Pro cuius conclusionis intelligentia, & probatione 22. supponendum est primò, bona esse triplicis generis. Primum genus est bonorum merè allodialium. Secundum genus est bonorum feudaliū, seu emphyteutorum franco modo, quæ & franca secundum quid dici possunt, seu sub feudo frãco; sed nec sunt allodialia, nec seruitium aut censum, seu canonem annuum alicui debent; & sic dicuntur franca ratione seruitij. Tertium genus est bonorum omnino seruilium, quæ

- non solum supposita sunt alieno dominio directo, sed etiam obligantur ad præstationem annui canonis, vel seruitij; in pecunia, vel fructibus: hanc distinctionem explicat Ioan. Reynaud. *in suo comp. feudal. in cap. imperialem, in r.brica, numer. 16. in 8. distinct.* nec non *in principio cap. numer. 9. in 6. quest.* Vbi dicit quod allodium valde differt à feudo, & aliis similibus contractibus, per quos solum vtile dominium transfertur. † Est autem allodium res propria & libera, quam quis à nemine tenet, & solum Deum recognoscit; quamvis ratione iurisdictionis alteri sit subdita: & hoc dicitur francum allodium. Vnde apparet quomodo differat à feudo franco; quia feudum francum recognoscit alterum in dominum, & ab eo dependet; & pro feudo franco datur laudimium, vel trezenum dum venditur; non autem pro franco allodio.
23. Secundò notandum est, feudum francum propriè illud dici; ex quo, seu pro quo, nullum debetur seruitium; & hæc est communis sententia, vt refert Curt. iun. multos allegans *in tract. de feudis. §. cum igitur. num. 2. fol. mibi 38.*
24. Ex feudo, seu pro feudo tamen franco debetur fidelitas & fidelitatis iuramentum: quia illud est de natura feudi, Vultei in *tract. de feud. lib. 1. cap. 7. num. 31.* licet enim feudum francum dicatur ex eo, quod sit immune à seruitiis; non tamen eximitur ab iis quæ continentur in fidelitate: ideòque factò pacto, fieri potest vt seruitia non præstentur. Vultei *cap. 6. num. 13.* & huiusmodi feuda vocantur franca & libera, & sunt verè feuda duobus concurrentibus. Primò, quod concedantur, seu recognoscantur tanquam feuda franca; & libera. Secundò, quod Vassallus ad nulla seruitia adstringatur, nisi ad fidelitatem, seu ad contenta in fidelitate; seruitia enim sunt de natura feudi, non de eius substantia. Rosent. *de feud. c. 2. conclus. 59. per 101.*
25. Tertiò supponendum est, quod licet aliqui DD. & inter cæteros Curt. iun. *loco supra citato*, existimauerint de substantia feudi esse, vt dominium directum remaneret penes concedentem; tamen verior & receptior est sententia, dominij directi reservationem, esse de natura, & non de substantia feudi: † ita vt feudum dari possit, seu in eo pactum apponi, quod omnia tam dominij directi quam vtilis iura in feudatarium transferantur; & sic francum etiam sit & immune ab omni alieno dominio directo: vt benè probat Rosental. *d. cap. 2. conclus. 58. num. 1. & 2.* vbi Glossa plures allegat. Lanar. *in repetit. §. huius autem generis. In quibus caus. feud. amittatur. n. 9.* Vultei, *de feud. cap. 9. numer. 50.* post Bald. *in l. si plures. num. 7. Cod. de condit. insert. Iason. consil. 57. num. 2. volum. 1.* Addent. ad Alexand. *consil. 24. n. 11. in verb. naturam.* & ipse Alexand. *consil. 30. num. 20. volum. 1.* sola quippe fidelitas: & res immobilis, seu immobili cohærens, sunt de substantia feudi. Rosent. *d. cap. 2. conclus. 53.*
26. Quartò supponendum est, quod stante pacto quod feudum sit francum, liberum, nobile, & gentile: ex alienatione talis feudi, nullum superiori eiusdem feudi domino laudimium debetur: vt de verbis, *francum, liberum, nobile, & gentile*, dicitur apud Papon, *lib. 13. titul. 1. arrest. 3.* Amed. à Pont. *quest. laudemial. 18. num. 14.* Rosent. *de feud. cap. 6. concl. 66. n. 3.* & ibi Gloss. vbi dicit in hoc non valere argumentum ab emphyteusi, ad feudum. † Quod multò magis locum habet, si adiecta fuit dictio illa, *liberum*, quæ facit vt etiam dominium directum translatum censeatur in feudatarium: vt fusè probat Roland. *consil. 85. maxime n. 52. volum. 4.*

Quintò supponendum est, iuramenti fidelitatis tres esse species. Primum iuramentum est subiectionis, quod subditus præstat domino territorij, sub cuius iurisdictione habitat: & hoc iuramentum non præstatur ratione alicuius rei, sed ratione personæ: & ideo forenses ad illud non tenentur: quia in illo loco domicilium non habent. Iacobin. *de feud. in verb. qui quidem inuestiti. numer. 9.* Ioan. Andreas Innocent. Hostiens. & Panormitanus, *in cap. nimis. de iureiurando.* Secundum iuramenti fidelitatis genus est quod vocatur domesticitatis, & præstari solet per domesticos Officium in Curia Principis habentes. Tertium genus est fidelitas Castellagij seu homagij, quæ à Vassallo ratione rei in feudum sibi concessæ præstari solet; de quo *in vsibus feudorum, cap. 1. in fin. tit. qui præcedere debeat*, & ita distinguit Vultei, *de feud. lib. 1. cap. 6. numer. 5. 6. & 7.*

His ita præsuppositis satis clarè explicata & probata manet nona ista conclusio: nam licet proberetur aliqua bona concessa fuisse in feudum, nobile, francum, & liberum; ita vt absque consensu Domini alienari possit, ex notat. per Rosent. *de feud. cap. 9. membr. 1. conclus. 5. numer. 2.* & ibi Gloss. & talis alienatio libera sit, & immunis à præstatione laudemij, vt in quarta suppositione diximus; tamen hoc est speciale in feudo de quo nos non agimus; & ideo ex eo nulla potest desumi illatio, vel consequentia in hoc casu ab emphyteusi, ad feudum, vel è contra; vt dicit Rosent. *d. cap. 6. conclus. 66. n. 3. in fin.*

Præterea sequitur ex præmissis, quod ad hoc vt Dominus iurisdictionalis possit excludi à dominio vniuersali, propter liberam alienationem bonorum factam nullo soluto laudemio; non solum debet illud probari in indiuiduo, quoad bona non feudalia, vt mox dictum est; sed etiam debet probari quod talia bona fuerint alienata, tanquam merè allodialia; & ea de causa quod nullum fuerit solutum laudemium, & quod prædia fuerint reputata franca & libera primo modo; non autem sufficeret fuisse possessa aut alienata tanquam franca & libera secundo modo, id est, franca duntaxat à seruitio: & per prædictas distinctiones & resolutiones, difficilis illa & intricata dominij directi vniuersalis materia satis explicata manet.



C A P V T X L I I .

De restitutione in integrum in fauorem memorie defuncti, qui reus læsæ Maiestatis capitaliter mulctatus est. Et quis sit effectus, si restitutio fiat per viam iustitiæ, vel gratiæ.

S V M M A R I V M .

1. Peti potest restitutio in integrum in fauorem memorie defuncti damnati læsæ Maiestatis crimine.
2. Mortuus absolui potest per Episcopum ab excommunicatione.
3. Restitutio memorie defuncti fieri potest per viam gratiæ, vel per viam iustitiæ, & quid inter utramque intersit.
4. Qua ratione obtineri possit restitutio memorie defuncti per viam iustitiæ.

5. Si sententia lata fuerit ob metum cuiusdam potentis, vel tyranni, datur restitutio memoriae defuncti.
6. Idem si ex præciso mandato & absoluta Principis voluntate.
7. Metus iustus incutitur ex solo vultu terribili Superioris.
8. Restitutio gratiosa memoriae defuncti, secum infert restitutionem bonorum nondum in tertios alienatorum.
9. Quando Princeps restitutionem memoriae defuncti concedit per verba amplissima, restituuntur bona confiscata; siue alienata fuerint; siue non.
10. Si memoria defuncti restitutio concedatur per viam iustitiae, venit ex necessaria consequentia restitutio bonorum in fauorem hæredum, & successorum ipsius.
11. Quid in Gallia obseruetur circa restitutionem bonorum, quando obtinetur memoria defuncti reintegratio per viam gratiae.
12. Quid obseruetur in Gallia quando reintegratio memoriae defuncti conceditur per viam iustitiae.
13. Quando restitutio memoriae defuncti petitur etiam quoad bonas citandi sunt tertij possessores, in quos bona fuerunt alienata.

Propositâ quæstione ad instantiam affinium cuiusdam personæ quæ ob rebellionem aduersus Principem, capitalis iudicij executionem passa fuerat; quomodo, & quo remedio peti posset restitutio memoriae defuncti, aduersus condemnationem, & executionem subsequatâ, occasione criminis læsæ Maiestatis.

1. Dixi in primis, nullum esse dubium quin in integrum restitutio concedi vel declarari possit in fauorem memoriae defuncti ob crimen læsæ Maiestatis puniti, & condemnati. Sicut enim mortuo delinquente potest illius memoria damnari in crimine læsæ Maiestatis; eadem, immò & fortiori ratione, potest damnati memoria restitui, & in pristinum statum reponi, seu etiam absolui; cum absolutio condemnatione fauorabilior sit. † Sicut videmus etiam in foro Ecclesiastico id practicari, vt etiam mortuus ab excommunicatione per Episcopum absoluitur. Bald. *consil.* 408. num. 4. & 5. volum. 1. Angel. *consil.* 356. num. 3. Boss. *in praxi*, tit. de remed. ex sola clement. Princip. num. 14. & 15. Sigism. Loffred. *consil.* 8. num. 24. & multis sequentib. & in Paraphrasi Feud. cap. 1. de pace iurament. firmand. §. 1. Sacramenta puerum. fol. mihi 84. Anchar. *consil.* 161. Peregr. *de iur. fisci lib.* 5. tit. 2. num. 70.
2. Secundò aduertendum Dixi, quòd restitutio memoriae defuncti fieri potest duobus modis. Primò, per viam gratiae. Secundò, per viam iustitiae. Gratia ex sola supremi Principis voluntate dependet: Iustitia fundamentum ex delati & condemnati innocentia, & sententiae condemnatoriae iniquitate desumitur. Farin. *de crimin. læs. maieft. quæst.* 113. num. 38. vbi loquitur de condemnatione facta inter Baliones, Bentiuolos, & Petrucios, contra Ducem Valentinum tempore Alexandri VI. & alia multa deducit quæ apud eum videri poterunt; sicuti & num. 41. *versic. limita. & quæst.* 118. num. 11. & 21. & multis sequentib.
3. Alius modus obtinendi restitutionem per viam iustitiae erit; si doceatur illos qui ius dixerunt, & sententiam protulerunt, non habuisse vota libera, & vota sua protulisse impulsos, & Maioris cuiusdam autoritatis violentiâ coactos. Bald. *in l. 1. num.* 8. & 9. *Cod. de sentent. ex breuic. recizand.* Sebastian. Me-

dices de casib. fortuitis, par. 7. quæst. 7. num. 48. *versic. trigesimo secundo.* † Et si sententia lata fuerit per impressionem cuiusdam Potentis qui terrere poterat, veluti tempore occupationis alicuius Tyranni, de quo per Tusc. *litera T. conclus.* 304. & 305.

Idem dicendum est si sententia condemnatoria lata fuisset ex mandato præciso, & voluntate absoluta supremi Principis, Regis, vel Imperatoris: semper enim metu factum dicitur quidquid Principe absolute iubente, rogante, urgente, aut enixè petente gestum est. *Glof. in l. 1. ff. quod inssu.* † Et metus iustus infertur etiam ex solo vultu terribili superioris. Bertachin. *in Repert. in verb. metus.* num. 63. Bald. *in tit. de pace iuram. firmand. §. item sacramenta.* num. 7. & *in §. iniuria.* num. 17. *versic. dicit.* Ioan. Andreas. *Ial. in l. de pupillo. §. si quis ipsi pratori.* num. 7. *ff. de noui oper. nunciat.*

Tertiò notandum est, quòd restitutio gratiosa infert secum restitutionem etiam bonorum, quæ nondum apud tertios reperiuntur, & nondum sunt alienata. Bartol. *in l. 1. in princip. & in l. 2. Cod. de sentent. pass. & ibi ceteri Scribentes:* Roland. *consil.* 45. n. 27. lib. 4. Farin. *in prax. quæst.* 6. num. 28. *versic. limita primò.* & num. 32. & 39.

Et si verba gratiae essent amplissima, non solum bona non alienata, sed etiam ea quæ alienata sunt successoribus condemnati restituenda essent. Siquidem emptores illorum bonorum, sciebant, vel scire debebant tractari de condemnatione, & confiscatione quæ ex Principis arbitrio erat reuocabilis, & retractabilis ex illius indulgentia. Atque ita sentiunt DD. omnes in terminis iuris scripti: vt Peregrin. *de iur. fisci lib.* 5. tit. 2. num. 59. *in fin.* Farin. *dict. quæst.* 6. num. 38. Odd. *de restit. in integr. quæst.* 99. num. 108. & ante eos Deci. *in cap. quia diligentia.* num. 8. *versic. limitari tamen potest. de elect.* Felin. *in cap. inter quatuor.* num. 6. *extr. de maiorit. & obedient.*

Quartò & hoc constituendum est: Quòd si restitutio & repositio memoriae defuncti, fiat per viam iustitiae; multò fortius, imò ex necessaria consequentia continebit bonorum etiam alienatorum restitutionem: Cum talis restitutio supponat pro fundamento sententiam esse iniustam; & per consequens per eam nullum fuisse illatum præiudicium successoribus defuncti indebitè condemnati. DD. & maxime Cuman. à Costa & Alciat. *in l. Gallus. §. & quid sit tantum ff. de liber. & posthum.* Odd. *de restit. in integr. quæst.* 99. numer. 116. Peregr. *de iur. fisci lib.* 5. tit. 2. num. 44.


Quintò in Gallia hoc obseruatur; quòd in restitutione per viam gratiae, bona confiscata debent restitui hæredibus & successoribus defuncti condemnati, si is qui à Rege confiscationis donum obtinuerat, nondum illa alienauerit, vendiderit, aut titulo oneroso transtulerit ante gratiae impetrationem: si enim alienata titulo oneroso reperiantur, non possunt cogi emptores ad bonorum illorum sic acquisitorum restitutionem; & quoad illos gratia Regis nihil operatur. Bacquet. *au traité des droicts de iustice,* cap. 16. num. 6.

Sed quando restitutio & repositio memoriae defuncti in pristinum statum, fit per viam iustitiae, docendo de grauaminibus & de iniustitia sententiae condemnatoriae, & de innocentia illius qui indebitè damnatus, & capite truncatus fuit; hoc casu bona omnia tam alienata, quàm non alienata successoribus condemnati restituenda sunt. Bacquet *loco citato,* num. 4. Papon *lib.* 24. num. 17. *arrest.* 13. *circa fin.*

Debent tamen in omni casu possessores bonorum confiscatorum citari, vt assistant si velint iudicio reintegracionis

tegrationis memoriæ defuncti, seu intetinationis gratiæ, aut reuocationis sententiæ condemnatoria: vt notat Autum. ad l. 1. Cod. de sentent. pass.

Vnde in contingentia casus Consului, quod si affines defuncti ad solam illius memoriam respectum haberent; melior erat via restitutionis per viam iustitiæ, per quam melius honori dictæ memoriæ prouisum esset: si verò bonis defuncti confiscatis ex Principis supremi dono successissent, & bona conseruare vellent, potius per viam gratiæ plenam quoad famam & memoriam sine bonorum expressione, imò & cum illorum reseruatiōe in fauorem eorum qui à Rege donū habuerant, restitutionem obtinerent. Sed neutrum factum fuit, ne imaginaria memoriæ restitutio, bonorum acquisitioni iam factæ præiudicium inferret.



CAPVT XLIII.

Venditor bonorum feudalium tenetur emptori de euictione, quamuis dixerit se bona vendere talia, qualia possidebat; si paulò ante venditionem, bonorum illorum partem priuauerit per conuentionem priuilegio immunitatis feudalis: & tenetur non solum ad interesse quanti minoris res vendita fuisset; sed etiam ad interesse totale, damna, & expensas.

S V M M A R I V M.

1. Venditor tenetur emptorem certiore facere de omnibus qualitatibus minuentibus pretium rei venditæ.
2. Prasertim si agatur de qualitatibus, quæ reddidissent difficiliore emptorem, si illas sciisset.
3. Venditor tenetur ad totale interesse, damna, & expensas, si tacuit onus rei venditæ quod ignorare non poterat.
4. Venditor tenetur ad totale interesse, etiamsi ignorauerit onus rei venditæ, stantibus clausulis in instrumento venditionis apponi consuetis.
5. Etiamsi venditor dixerit se vendere bona talia qualia possidet, tenetur nihilominus certiorare emptorem de oneribus quæ emptorem difficiliorem reddere poterant ad emendum.
6. Emptor debet certiorari per venditorem circa qualitatem rei feudalis, vel non feudalis.
7. Venditor prasumitur scire qualitates rei venditæ, non autem emptor.
8. Venditor dicitur esse in dolo, dum non clarè & sine verborum inuolucro illius qualitates exprimit.
9. Magnum detrimentum oritur in præiudicium ementis bona nobilia, si deinde illa reperiantur oneri collectarum supposita.
10. Interesse intra rem debetur per venditorem, qui rem suppositam alteri vti liberam vendidit.

Venditor cuiusdam terræ seu Castri feudalis & iurisdictionalis, qui ex transactione medietatem bonorū in eiusdem Castri tenemento constitutorum vti feudalem & ab oneribus collectarū liberam; aliam verò medietatem vti allodiale, & collectis obnoxiam possidebat: aliquot ante venditionem prædictam mensibus, cuidam tertio ius quoddam in

dicto loco seu territorio situm eâ lege vendiderat, vt illud esset immune à collectis, & medietaris feudalis & liberæ quoad collectas priuilegio potiretur. Agebat emptor se fuisse deceptum dicens, nec sibi narratam fuisse dismembrationem illam, seu translationem priuilegij immunitatis feudalis in fauorem illius, qui eas emerat, factam. Dicebat venditor se Castrum cum suis annexis vendidisse, tale quale possidebat tempore venditionis; & sic ad euictionem non teneri. Quæsitum fuit quid iuris.

Respondi Castri emptorem aduersus vendentem esse fundatum, propter culpam dicti venditoris, qui onus super bonis Castri venditis reiectū per alienationem ruris vti liberi à collectis emptori non expresserat. † Tenetur enim venditor certiore facere emptorem de omnibus qualitatibus pretiū rei venditæ minuentibus; & disertis verbis, & non sub verborum inuolucro ipsi significare onera, non solum quæ sunt intra rem ipsam, sed etiā quæ extra. *Surd. consil. 150. num. 125. 126. & 127. Ludouisi. decis. 119. & ibi Ad. dent. num. 3. & 10. Idem Surd. decis. 265. n. 8. † Præ-* fertim quando agitur de qualitatibus, quas si emptor sciisset, vel omninò non emisisset, aut saltem minori pretio, vel se difficiliorem reddidisset. *Surd. dict. decis. 265. num. 49. & 283. num. 46.*


Et hoc casu quia venditor non poterat ignorare onus reiectum super bonis feudalibus venditis, cum ageretur de proprio ipsius facto, & recenti; non solum tenetur actione quanti minoris, sed etiam ad totale interesse erga emptorem, & ad omnia damna & expensas. *Theaur. iun. lib. 1. quest. 23. n. 5. vbi nominatim dicit hoc habere locum, si res vendatur tanquam allodialis, cum tamen esset feudalis.*

Imò siue venditor sciuerit, siue ignorauerit qualitates rei venditæ, indistinctè tenetur de euictione erga emptorem ignorantem, stante promissione euictionis, & refectionis damnorum, & interesse. *Seraph. decis. 787. maximè num. 7. vbi loquitur de vassallo vendente ignoranter rem feudalem, & ostendit ipsum teneri ad omne interesse, siue sciuerit, siue ignorauerit qualitatem rei venditæ: sequitur Mangil. in tract. de euiction. quest. 24. num. 24.*

Et quamuis venditor se vendere dixerit bona talia, qualia ipse ea possedit; nihilominus cum non expresserit nec disertis verbis significauerit onus & qualitatem rei venditæ, quorum si emptor notitiam habuisset, difficiliorem se reddidisset, seu pretium minus exsoluisset; tenetur indemnem seruare emptorem, qui sub verborum generalitate & inuolucro decipi non debet: vt probatur ex traditis per *Bartol. in l. 1. §. fin. num. 2. ff. de act. empt.* vbi dicit quod et si venditor dicat emptori se nolle teneri de seruitute; & non monuit emptorem dictæ seruitutis ignatum; tenetur tamen: quia debuit illum certiore reddere. Et magis accedendo ad casum propositum, *Alex. consil. 109. num. 11. volum. 4. † vbi dicit, quod si vassallus: vendat rem feudalem, & non exprimat illam esse feudalem, sed dica quod in illa re Titius ius habebat; non sufficit; nisi dicatur quale ius Titius in illa re haberet: & consil. 14. num. 4. volum. 5. vbi dicit quod non sufficit emptorem dubitasse de qualitate rei venditæ, vtrum esset feudalis, an non; quia non tenetur emptor inuestigare rei qualitatem, sed venditor ipse tenetur monere, & certionem facere de illa qualitate: sequitur Mangil. dict. tract. de euiction. quest. 162. num. 7. & multis sequentibus. † Nam venditor prasumitur scire qualitates rei venditæ; non autem emptor, qui onera & conditionem rei venditæ ignorare prasumendus est. Mangil. in dict. tract. quest. 151. num. 22. & 23. Idem tenet*

tenet Surd. *consil.* 13. *num.* 31. vbi dicit quòd faciens actum inter viuos, præsumitur scire qualitatem sui patrimonij; emptor autem ignorare: † Ideo si venditor non exprimat qualitatem rei vt circa feudalitatem, dicitur esse in dolo; ita vt non sufficiat quòd venditor solum dicat vendere ius quod habet, nisi etiam exprimat onera. *Ibidem, num.* 34. Gomes. *tom.* 2. *cap.* 2. *de empt. & vendit. num.* 49. Menoch. *consil.* 964. *num.* 7. Et ideo Castil. *lib.* 4. *controuers. de coniect. vltim. volum. cap.* 42. *n.* 103. dicit venditorem opponere non posse quòd tempore venditionis cautum fuerit quòd ipse bona vendebat, prout ipse venditor possidebat, aut eius authores; quia verba illa sunt nimis generalia, & illis non obstantibus venditor tenetur clarè & specificè, & non sub verborum inuolucro designare omnia onera: quia sub tali verborum generalitate, non potest emptor scire quanam sint bona franca, & immunia & quæ oneri collectarum obnoxia: prout 9. exemplificat *ibidem num.* 105. *in fin.* † Idque maxime attento tali tantòque detrimento, quod emptori inferretur, si bona alioqui nobilia & feudalialia seruituti collectarum supponerentur. Menoch. *dict. consil.* 964. *num.* 7. & 1178. *n.* 4. & seqq.

10 Vnde conclusum fuit venditorem teneri ad totale interesse, non solum ad interesse quanti minoris; quod regulariter debet venditor ignorans: vt per DD. *in l. si minor. 9. Cod. de action. empt.* Gratian. *discept. forens. cap.* 361. *num.* 6. & 7. & 19. Ioan Baptist. Costa, *in tract. de fact. scient. inspect. 90. & responsio ibidem inserto:* sed etiam ad damna, interesse, & expensas, vt supra dictum est propter expressam stipulationem, ex Seraph. *dict. decis.* 787. *num.* 4. 5. & 7. 8. & 9. vbi dicitur hoc maxime procedere, quando agitur de interesse intrinseco circa ipsam rem, & *num.* 10. vbi quando contractus est iuramento vallatus: quæ omnia in casu proposito concurrebant.



CAPVT XLIV.

Priuilegium immunitatis alicui per supremum Principem circa clausulam *pro te, & successoribus tuis*, collatum; vtrum extendatur ad tertios possessores ab eo ius habentes.

S V M M A R I V M.

- 1 *Hæredum nomen respicit eos qui succedunt iure ciuili, successorum verò qui iure Prætorio.*
- 2 *Priuilegium concessum alicui pro se, & suis successoribus, non transit ad singulares successores. Contra. num.* 5.
- 3 *Exemptio concessa propter merita & grata seruitia, dicitur realis.*
- 4 *Priuilegium ad certas personas restrictum, non extenditur ad alias.*
- 5 *Priuilegium alicui pro se & successoribus concessum, ad tertios possessores transire verius est & receptius.*
- 6 *Verbum successores etiam ad singulares extenditur, si id negotij natura patiatur.*
- 7 *Dictio successores refertur ad quoscumque, etiam singulari iure succedentes, quando agitur de materia transitoria ad quoscumque hæredes, vel successores.*
- 8 *Immunitas concessa contemplatione benemeritorum & seruitiorum, est realis & transitoria ad*

quoscumque successores.

9. *Ampliatur etiam si persona fuerit causa proxima, & immediata concessionis; dummodo etiam considerati sint illius seruitia.*
10. *Concessionis facta propter benemerita sortiuntur naturam contractus irreuocabilis.*
11. *Immunitas alicui concessa, potest ad emptorem bonorum immuniu per cessionem transferri.*
12. *Immunitas realis est si non per modum priuilegij, sed per viam beneficij concedatur.*
13. *Merita satis probantur ex assertione Principis immunitatem concedentis.*
14. *Priuilegium immunitatis non amittitur per non usum, nisi constet de solutionibus per 30. annos factis.*
15. *Priuilegium concessum ob seruitia & benemerita, non amittitur per non usum.*
16. *Solutiones facta metu mandati executiui non præiudicant priuilegio; maxime stante decreto irritanti.*
17. *Solutiones facta per eum qui immunus est, præiudicant quoad soluta, non quoad futuras & maturandas solutiones.*

DVdum fel. record. Sixtus V. Pontifex Maximus concesserat cuidam insigni Duci exercitus immunitatem à collectis, cum illa clausula *pro te, & hæredibus, & successoribus tuis*: ita quòd tu & successores tui præfati ad aliquod onus, vel ad aliquid præstandum vel operandum minime teneamini: super qua concessione dubitatum fuit; vtrum illa de solis hæredibus, & successoribus vniuersalibus intelligenda esset; an verò etiam ad singulares successores extendenda. Dubium faciebant verba concessionis sub hæredum nomine concepta, quæ per consequens singulares successores comprehendere non poterant, nec ad illos extendi. † Hæredum quippe nomen denotat succedentes iure ciuili in hæreditate; nomen verò *succedentes*, designat eos qui succedunt iure prætorio. Bertrand. *consil.* 307. *numer.* 2. *volum.* 3. *part.* 1. Coccin. *decis.* 137. *numer.* 10. Sigism. Loffred. *consil.* 38. *numer.* 10. Menoch. *consil.* 1053. *numer.* 6. Fusar. *consil.* 169. *numer.* 6. Rot. Auen. *decis.* 68. *numer.* 12. Iaf. *consil.* 89. *numer.* 19. *volum.* 3. Imol. Alexand. Paris. Simon de Præt. Peregri. Roland. quos citat & sequitur Fusar. *de substit. quæst.* 341. *numer.* 5. & 6. Et in indiuiduo adest consilium punctuale Bertrandi *consil.* 201. *volum.* 3. *part.* 2. vbi copiosè probat stantibus huiusmodi clausulis, priuilegiu exemptionis non transire ad singulares successores: quod potissimum procedere asserit, si tales successores singulares sint in tali cõsuetudine soluendi onera, & impositiones publicas: quia consuetudo & obseruantia dat interpretationem verbis priuilegij, & concessionis dubia.

Vnde licet exemptio dicatur realis quando conceditur bonis immediatè; quamuis etiam priuilegium concessum propter seruitia sit irreuocabile, & transeat in vim contractus; quale erat illud de quo agebatur, vt potè concessum propter maxima seruitia sanctæ Sedi, pro tuitione fidei Catholicæ aduersus hæreticos præstita. Mastrill. *decis.* 261. *num.* 81. † Tamen quando illud restringitur ad certas personas, non debet ad alias extendi: quia talis extensio non admittitur etiam in dispositione fauorabili. Farin. *in fragment. litera E. n.* 101. non debet ergo immunitas concessa ad alios quam ad successores vniuersales applicari.


Sed negotio accuratè perpenso; visum fuit pro contraria sententia plures rationes & authoritates extare. Inter cæteros pro contraria opinione consuluit Alex. *consil.*

- consil. 193. num. 1. volum. 12.* nempe concessionem factam alicui pro se, & heredibus, & successoribus, transire ad successores singulares: quod etiam voluit Decius *consil. 171. num. 5. versic. vel pro successoribus.* Socin. Sen. *consil. 257. in fine. & consil. 266. num. 37. volum. 2.* Menoch. *consil. 191. num. 10. & 76. Bellon. iun. consil. 56. num. 16.* Corn. *consil. 6. num. 9. volum. 2.* quod appellatione successorum veniant etiam successores rei singularis. Caualer. *decis. 437. num. 6.* & rursus Menoch. *consil. 680. num. 19. consil. 854. num. 5.* Honned. *consil. 25. num. 31. volum. 2.* Rot. *decis. 322. num. 10. in fin. part. 3. recet. tom. 1.* † Et generale est vt verbum *successores* intelligatur etiam de successoribus singularibus; si vel ex circumstantiis de intentione concedentis appareat, vel subiecta materia id patiat. Barbol. *de appellat. verb. cap. 254. num. 2.*
7. Quod multò magis locum habet, quando agitur de re transitoria ad quoscumque etiã extraneos heredes, vel successores: vt videtur agnoscere voluisse Rolandus, *consil. 53. num. 18. volum. 3.* Peregr. *de fideicom. artic. 32. num. 84. versic. quod tamen verum est.*
- Cæterum, quòd agatur de re transitoria ad quoscumque successores neque restringatur ad personam eius in cuius fauorem concessio immunitatis facta fuit; probatur ex eo, quòd fundamentum concessionis consistit in seruitiis per dictum Ducem præstitis, quorum fit mentio in priuilegiis. † Quo casu concessio est realis, & transitoria ad quoscumque successores, ad quos bona transeunt: quia concessio illa transit ad naturam contractus onerosi: vt contra Bossium probat Peregr. *consil. 7. num. 16. volum. 3.* post Menoch. *consil. 378. num. 12. & 13.* Roland. *consil. 13. lib. 3.* Idem Peregr. *de iur. fisc. lib. 1. tit. 3. num. 29.* vbi etiam citat Romanum & Ruyn. Menoch. *lib. 3. præsumpt. 103. num. 13. & consil. 136. num. 18.* † vbi quòd concessio facta personæ, quæ fuit causa proxima & immediata concessionis; si tamen concessio illa facta sit intuitu meritorum, & seruitiorum, est realis: vnde licet contrarium existimet Noal. *in tract. de transmiss. cas. 21. num. 10.* illius tamen opinio non debet præualere sententiæ Baldi, Ancharani, Socin. Tiraquel. Bursat. & Menoch. quos ipse pro hac parte allegat desumptos apud Menoch. *dict. præsumpt. 103. n. 13. cum Additione.* †
10. Cùm apud DD. tales concessionis in contractus irrevocabilis naturam transire constitutum sit. Iul. Clar. *in §. donatio, quest. 3. numer. 1.* Menoch. *consil. 308. num. 7.* Cauagnol. *in obseruat. ad Menoch. consil. 189. num. 15.* & postquam effectus fuit semel consummatus, durat etiam cessante causa, propter quam priuilegium immunitatis fuit concessum. Mastril. *decis. 268. num. 20. & 21.*
11. Præmissis accedit, quòd ille cui concessa fuit immunitas, vendendo bona de quibus agebatur, transtulit expressè priuilegium suum in emptores; & promisit euictionem pro manutentione dicti priuilegij erga emptores: quo casu transit in eos priuilegium; ne indirectè tolleretur effectus concessionis factæ venditori, qui tale priuilegium emptoribus manutene- nere promisit. Surd. *consil. 525. num. 18.* Alciat. *consil. 18. num. 9. lib. 4.* qui subdit hoc casu emptorem fuisse constitutum procuratorè in rem suam, & posse allegare priuilegia etiam cohærentia personæ venditoris, idque vigore clausularum in instrumento venditionis contentarum. Surd. *dict. consil. 525. num. 25. versic. non mouet etiam.*
12. Dicta immunitas ex alio capite realis est; quia non per modum priuilegij, sed per modum beneficij concessa fuit. Menoch. *dict. præsumpt. 103. n. 20.* & per consequens appellatione successorum, veniunt etiam singu-

lares. Alciat. *d. consil. 18. n. 3.* & fit extensio de persona ad personam. Menoch. *d. præsumpt. 103. num. 46.*

Nec est quòd opponatur non constare de meritis eius, in cuius fauorem facta fuit illa concessio: cùm illa sufficienter ex sola Principis concedentis assertione probentur: teste Mastril. *decis. 257. n. 43.* Peregr. *consil. 7. num. 17. volum. 3.*

Non obstat etiam emptores amisisse priuilegium per non usum: Tum quia non constabat de solutionibus onerum & collectarum spontaneis, durante spatio 30. annorum factis, quod tamen requiritur vt quis priuilegio per non usum renunciare censeatur. Olasc. *decis. 91. n. 22.* † Tum etiam quia priuilegium concessum ob seruitia & merita nõ amittitur per non usum. Mastril. *decis. 96. n. 8.* quia, vt supra dictum est, transit in contractum irrevocabilem. † Tum & denique quia solutiones non fuerunt factæ per actus voluntarios, immò cum continua protestatione quòd fiebant metu mandati executiui. Burat. *decis. 704. n. 12.* Præsertim stante decreto irritanti in literis exemptionis apposito. Idem, *n. 10. & 11.* † Et in omnem euentum per tales solutiones non fuisse illatum præiudiciu immunitati pro solutionibus futuris; sed duntaxat pro præteritis. Purpurat. *consil. 539. num. 26.*



CAPVT XXXV.

Vtrum creditores vxoris possint in iudicio discussionis opponere, quòd ipsa non potuit se obligare pro marito vltra medietatem suæ dotis, vt super ea cæteris præferantur, fauore obligationum in ipsorum fauorem per ipsam nomine proprio præstitarum: Et vtrum hæc exceptio nullitatis illius obligationis, opponi possit in executione sententiæ: vbi plures casus deciduntur circa obligationes per quas mulieres indotatæ manent.

S V M M A R I V M.

1. Priuilegium mulieris, quòd non possit remanere indotata, est personale.
2. Ius querendum non est in bonis debitoris.
3. Ius tertij opponi potest excipiendo.
4. Officium Iudicis, restitutio in integrum, ius petendi dotem super fideicommissis transmittitur ad heredes, & quomodo hoc sit verum. Remissiuè.
5. Ius mulieri competens, vt agat ad rescissionem ex capite indotationis, transit ad heredes.
6. Ius agendi ad rescissionem dicitur ius questitum mulieri, & non ius querendum.
7. Tertius potest opponere de nullitate contractus excipiendo, quado est creditor, & habet interesse.
8. Remedium mulieri competens agendi ad nullitatem ex capite indotationis, solum habet locum quando agitur de fideiussione per uxorem præstita pro marito.
9. Exceptio S. C. Velleiani potest etiam post rem iudicatam opponi.
10. Pro contractu per mulierem proprio nomine præstito, non competit remedium ex indotatione vltra dimidium dotis petiturum.
11. Mortuo marito mulier potest dotem in totum obligare.
12. Mulier qua se reddidit bonorum mariti depositariam vt euitaret executiones creditorum, obligatur

obligatur pro tota dote. Amplia etiamsi diceret depositum esse confessionatum, & non reale. num. 13.

- 14 *Mulier potest se in totum pro dote alterius mulieris obligare, nec innatur Velleiano.*
- 15 *Amplia, etiamsi agatur de dote restituenda filie communi.*
- 16 *Limita, nisi obligatio illa tenderet ad utilitatem mariti.*
- 17 *Mulier non potest se ultra medietatem sue dotis obligare, pro restituenda dote nurus.*
- 18 *Pro dote communis filia mulier in totum obligari potest, quamuis indotata remaneat.*
- 19 *Barbosa distinguit inter dotem consistentem in pecunia, vel in fundis.*
- 20 *Verius est pro dote communis filia matrem in totum se obligare posse, dummodo non fiat præiudicium legitime aliorum filiorum.*
- 21 *Obligatio mulieris rescinditur non in totum sed pro ea rata parte pro qua exceditur medietas dotis.*
- 22 *Vtrum hoc casu sit differentia inter magnam, & paruum dotem.*

Concurrentibus in quadam discussione creditoribus, Iudex qui sententiam ferre debebat, meam pro veritate opinionem super duabus difficultatibus requisivit. Prima, vtrum creditores vxoris possint in dicto iudicio discussionis generalis, excipere de nullitate obligationum per mulierem, quam sibi proprio & priuato nomine obligatam habebant, præstitarum pro marito; ex eo quod ipsa vltra dotis suæ medietatem per tales obligationes læsa reperiebatur. Secunda, vtrum hæc exceptio post rem iudicatam opponi posset.

1. In primo capite dubium faciebat contra creditores quod priuilegium mulieri concessum, vt obligationes rescindantur per quas indotata remanet, personale est: ideo non videtur transire posse ad tertios, quales sunt creditores: ad notata in *l. quia tale. ff. solut. matrim.* non enim tales contractus ipso iure nulli sunt; sed ita demum si mulier, de cuius præiudicio agitur, ad nullitatem agere velit; ante cuius declarationem non dicitur ius quæsitum creditoribus, sed quærendum; quo creditores vti non possunt. *Cancer. lib. 3. variar. resol. cap. 21. de transmiss. num. 154. & sequentib. Peregrin. de fideicom. artic. 2. num. 52. & artic. 31. num. 30. † Iura siquidem huiusmodi non sunt in bonis debitoris. Surd. consil. 463. num. 6. versic. sexto videmus. & decis. 140. per tot. Vincent. de Franch. decis. 101. num. 24. & sequentib. Gratian. discept. forens. 271. num. 27. & sequentib. Pacific. de Saluian. interdict. inspect. 3. cap. 2. num. 513. Burat. decis. 937. num. 7. cum ibi citatis.*
- 2.
- 3.
- 4.

Re tamen maturius consideratâ, fui in voto, ius illud excipiendi de nullitate obligationum per vxorem illorum debitricem præstitarum competere creditoribus; cum ipsi non agant; sed excipiant de dicta nullitate aduersus alios creditores; qui se præferendos esse prætendunt. † Ius autem tertij excipiendi proponi potest, quidquid sit si agendo proponeretur. *Gratian. discept. 691. n. 19.* exceptionem quippe iuris tertij, quilibet habens interesse opponere potest. *Rot. diuers. decis. 247. n. 5. part. 1. † Et non modò ius istud ad hæredes transmittitur, vt de beneficio restitutionis in integrum, vel de officio Iudicis, tradit Barbos. in dicta l. quia tale. 14. num. 2. ff. solut. matrim.* Sicuti & ius petendi dotem super bonis fideicommissis subiectis, transmittitur etiam ad hæredes extraneos. *Noal. in tract. de transmiss. ff. cas. 22. num. 2.* super quo ra-

men (quia non est præsentis indaginis) videri poterit *Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 189. num. 154. Fular. de sub. it. quæst. 53. num. 48.*

Et in specie, quoad ius agendi ad rescissionem, transire ad quoscumque mulieris indotatæ hæredes, tradit *Cancer. lib. 3. variar. resol. cap. 15. num. 117. Rot. apud Censi. decis. 31. num. 9. Fontanel. de pact. nuptial. claus. 7. glos. 2. part. 6. num. 43. & sequentib.*

Nec obstat si dicatur agi de iure quærendo: Quia imò verius est agi de iure quæsitio mulieri per mortem, aut per vergentiam mariti ad inopiam. *Bald. Nouell. de dote. part. 12. num. 24. & 25. quem sequitur Cancer. vbi supra.*

Et quamuis contractus non sit ipso iure nullus, vt supra dictum est ex *Fontanella*; sed ita si mulier voluerit, non tamen prohibentur creditores per viam exceptionis opponere de tali nullitate, etiamsi mulier nihil tale declarauerit. *Gratian. discept. forens. 691. num. 15.* idque ratione interesse quod habent in nullitate dicti contractus. *Rot. dicta decis. 247. num. 5. part. 1. diuers. & optimè Castrenf. in l. cum seruum. num. 2. Cod. de seruis fugitiu. vbi cum tractet de iure quærendo domino ob caducitatem, quod non acquiritur nisi eo volente & declarante, dicit de eo non posse per alium opponi ante declarationem domini. Deinde subiungit hæc verba: Nisi certius qui opponeret; haberet causam ab ipso domino directo, aut esset illius creditor, & haberet bona obligata: quia tunc posset etiam illo inuito de omni iure suo opponere.*

Multò igitur magis possunt dicti creditores opponere exceptionem illam læsionis & indotationis: cum nec personalis sit, nec circa ius quærendum versetur: ex DD. supra citatis: & nominatim ex *Cancer. dicta part. 3. cap. 15. num. 118.*

Quod attinet ad secundum caput, Censui exceptio nem illam etiam in executione sententiæ opponi posse: quia causa originalis rescissionis seu restitutionis quæ datur mulieri indotatæ, est fideiussio mulieris factæ pro marito, non enim existimandum est mulieribus ex quolibet contractu ex quo vltra dimidiam læsæ repertiuntur, competere ius agendi ad rescissionem, sed ex contractu duntaxat fideiussionis pro marito præstitæ: vt patet ex lectura omnium DD. qui de hac materia tractarunt, & nominatim *Theaur. 223. num. 1.* propter dispositionem *Authent. si qua mulier. Cod. ad S. C. Velleian.* *Gaill. lib. 2. obseruat. 90. num. 5. † Cum ergo causa primordialis huius remedij pendeat ex dispositione S. C. Velleiani, per consequens poterit ista exceptio post rem iudicatam opponi. l. tamen etsi. ff. ad Macedon. & ibi Bartol. Castrenf. & alij. Caroc. de except. cap. 87. num. 1. cum ibi citatis. Mozz. de contractib. tit. de diuis. indeb. num. 15. fol. 146.*

Et ex præmissis sequitur, quod cum rescissio detur mulieri indotatæ ratione fideiussionis pro marito præstitæ, vt mox dictum est; & faciunt tradita per *Bald. in l. si aduersa. Cod. ad Velleian.* vbi agit de locatione facta viro & vxori. *Hering. de fideiuss. c. 7. n. 405.*


Si mortuo marito mulier obligationes contraxerit, validæ sunt; quia soluto matrimonio mulier deteriorum dotis suæ conditionem facere potest. *l. Attilianus. ff. de pact. dotal. iuncta l. si quando. §. & generaliter. Cod. de inoffic. test. Cod. Fabr. lib. 2. tit. 13. ne fideiuss. dot. dent. definit. 14. Cancer. lib. 3. variar. resol. cap. 15. num. 100. in fine.*

Sequitur præterea quod si mulier, vt creditorum mariti executiones vitaret, se proprio nomine obligauit, & mobilium mariti depositariam reddidit; non potest indotationis exceptione vti, cum Velleiano minimè iuuetur, quod deceptis, & non decipientibus

13. pientibus mulieribus subuenire solet. † Idque etiam locum habet, quamuis, mulier se confessionatum, & non reale depositum suscepisse proponat: vt decisum fuit in Cod. Fabr. lib. 4. tit. 21. ad S. C. Velleian. definit. 17. Hering. de fideiuss. cap. 7. num. 416. & seq. per text. in l. si mulier. 3. in princip. ff. ad S. C. Velleian. l. si aduersarius. Cod. eod. tit. hoc enim casu non alienam mulier suscipit obligationem, sed proprium negotium principaliter gerit. Hering. ibidem, num. 419. & idem firmat præcisè Thesaur. Iun. lib. 4. quæst. forens. 53. num. 5.
14. Sequitur tertio, quod si mulier pro dote alterius mulieris se obliget, cum non iuuetur Velleiano, valida est in totum illius obligatio: Thesaur. decis. 223. num. 15. Trentacing. lib. 3. resol. 3. de fideiuss. num. 16. Lup. de donat. inter vir. & vxor. in quinto notab. in fine num. 14. fol. mihi 106. in octauo casu, colum. 3. & fol. 45. num. 10. etiamsi esset mulier extranea: vt post plures
15. tradit Hodiern. ad Surd. decis. 164. n. 4. † Et de obligatione de restituenda dote communi filia data, Bald. Nouell. de dote, part. 6. pr. mil. 1. 2. num. 2. versic. quinimo. Gratian. discept. forens. cap. 233. num. 44. Marefcot. lib. 2. varia. resol. cap. 5. num. 15.
16. Sed hoc non procedit, quando obligatio mulieris facta fuit causâ dotis pro vtilitate mariti, qui ad dotem seu pro dote erat obligatus; tunc enim mulier iuuatur Velleiano, & contractus rescissionem obtinet si lædatur vltra medietatem suæ dotis: & hic est casus de quo per Surd. decis. 164. vt ibidem aduertit Hodiern. num. 5. & in iisdem terminis Honded. consil. 45. num. 24. volum. 1. Hering. de fideiuss. cap. 7. num. 453. Christoph. Mart. Medic. decis. 48. num. 20. Cyriac. Nig. controuers. 295. num. 41.
17. Et sane pro matre magna est æquitas, quando pro dote vnus filia vel nurus se se obligans remanet tamen in totum vel pro maiori parte indotata: quia eâ ratione, vtilitas vnus dotis compensatur, & eius priuilegium conquassatur cum dote & priuilegio aliarum filiarum, quas mater dotare non posset, exhausto per primam obligationem patrimonio; præsertim si agatur de dote nurus restituenda, pro qua se mater obligasset; cum maius sit filiarum quàm nurus priuilegium. Mart. Medic. dicta decis. 48. num. 21. Marefcot. dicto lib. 2. cap. 5. num. 15. 17. & 19. Pic. ad stat. Urb. glos. 7. num. 240. & decis. 15. num. 3.
18. Hæc de dote nurus. In dote autem filia communis, mulieris obligationem etiam pro marito præstitam non solum ad concurrentiam medietatis dotis, sed etiam in totum sustineri voluit Bald. consil. 106. Punctus volum. 5. quem citat & sequitur Card. Tusch. litera M. conclus. 421. num. 28. & videtur applicari posse decisioni Senatus Neapolitani apud Gizzarel. decis. 4. per tot. Vincent. de Franch. decis. 237. 279. & 278. licet decisiones procedant in terminis Regiæ pragmaticæ, vt testatur Viscont. ad dictam decis. 237. sed & idem tradunt citati apud Medic. dicta decis. 48. num. 20. fol. 361. Pic. dicta glos. 7. num. 245. & sequentib.
19. Sed tamen Barbof. ad l. 2. part. 2. ff. solut. matrim. num. 10. versic. neque obstat. distinguit inter dotem consistentem in pecunia, & illam quæ consistit in bonis: hanc pro dotanda communi filia consumi non posse contendit, illam verò posse.
20. Ego indistinctè inclinarem in eam sententiã, vt non quidem pro dote nurus restituenda, sed pro communi filia dotanda, dummodò non fiat præiudicium legitimæ aliorum liberorum, mater se se in totum obligare possit: quia fauor dotis maior est fauore S. C. Velleiani; vt dicit Pic. dicta glos. 7. num. 248. & quia si pater est diues, vxor habebit regressum contra bona

mariti, si verò non sit locuples, mater se obligans pro dote filia, officium proprium exercet, & proprium debitum persoluit: atque ita non iuuatur Velleiano: vt arguit Pic. loco citato.

Quando autem mulieris obligatio rescinditur ex eo quod remanet indotata, licet Fontanel. de pact. dota. claus. 7. glos. 2. part. 6. num. 21. & sequentib. contendat obligationem in totum rescindi, quem sequitur Hodiern. ad Surd. decis. 86. num. 16. verius tamen est, & apud nos in iudiciis obseruatum, quod contractus mulieris rescinditur tantum pro parte, & pro rata læsionis, & non in totum; ita vt obligatio valida remaneat vsque ad concurrentiam dimidia partis dotis, adinstar remedij l. 2. Cod. de rescind. vendit. in quo licet vel rem restituere, vel iustum pretium refundere: & hæc fuit sententia Thesauri Iun. qui id bene explicat, & probat lib. 2. quæst. forens. 65. num. 4. Viscont. ad Vinc. de Franch. decis. 279. ad num. 3. Gratian. discept. forens. 108. num. 13. vbi quod obligatio remanet valida pro dimidia parte dotis: & discept. 723. num. 18. Cyriac. Nig. controuers. 216. num. 20. † Qui tamen limitat hoc procedere in magnis dotibus, & sufficientibus ad alimenta & vltra: in paruis verò non esse concedendam dotis obligationem, etiam in modico; nisi quatenus coniuges simul vel singulariter sibi victum propriis manibus parare possent. Cæterum non tam facile huic distinctioni adhærendum existimo, quia causa rescissionis obligationis muliebris dependet ex magna vel modica læsione mulieris. An autem magna vel parua sit læsio, consistit in proportionem alienationis partis, respectu habito ad totam dotem, quæ proportio æqualis est parua partis ad parua dotem, & magna partis ad magnam, cum in bona Arithmetica eadem sit proportio 32. ad 64. quæ 3100. ad 6400. & sic de similibus. Immo maior videtur ratio obligandi parua dotem; quia maior paupertas maiorque necessitas regulariter pro alimentis, aut pro marito excarcerando alijsve similibus causis versatur in mulieribus parua dotem habentibus: Ideo cogitandum relinquo.



CAPVT XLVI.

Quando bona mariti qui duas vxores habuit, posita sunt in generali discussione propter concursum creditorum; vtrum super augmento quod ipse lucratus est ob prædecessum secundæ coniugis, præferantur liberi primi matrimonij pro dote materna, & alij creditores; an verò liberi secundi matrimonij sub eo prætextu, quod lucrum illius augmenti prouenit ex dote ipsorum matris.

SVMMARIVM.

- 1 Parens binubus tenetur reseruare lucra primi matrimonij liberis ex eo prouenientibus, tam ex dispositione iuris, quam ex Regia ordinatione.
- 2 Augmentum pertinet ad liberos primi matrimonij, si ex illo proueniat, in eo tantum in quo est lucratiuum.
- 3 Prima alienationes imputantur heredi grauato in deductiones.
- 4 Inter duas dotes semper præfertur ea, qua prior est tempore.

- 5 *Limita nisi aliquid extaret de secunda dote; nam super bonis illius extantibus, vxor, eiusque liberi vel creditores præferendi sunt.*
- 6 *Augmentum quod maritus lucratur, non capitur solum super dote, sed etiam super omnibus bonis vxoris.*
- 7 *Lucrum dotis capitur ante legitimam liberorum.*
- 8 *Quæ sit differentia inter lucrum dotis, & augmentum.*
- 9 *Obligatio per vxorem præstita in contractu matrimonij, per quam marito certam summam augmenti nomine promittit, est conditionalis; & conditio verificatur adueniente casu prædecessus.*
- 10 *Creditum seu nomen augmenti dotalis debitum marito, consideratur vt res inanimata existens in bonis mariti; ita vt illius compensatio cum dote fieri nequeat in præiudicium creditorum.*
- 11 *Compensatio augmenti cum dote, fit quidem ipso iure in præiudicium ipsius mariti; sed non in præiudicium tertij.*
- 12 *Qui exactum non tenetur restituere, non cogitur etiam compensare.*
- 13 *Quæ sit differentia inter alienationem hæredis grauati, & alienationes seu obligationes mariti in præiudicium hypothecæ vxoris.*

1. **C**ertum est parentem binubum lucra nuptialia liberis primi matrimonij teneri referuare, nec ex illis plus vni quàm alteri liberorum assignare: per text. in *Authent. lucrum. Cod. de secund. nupt.* & in corpore vnde desumitur. Cui conformis est Regia ordinatio, quæ vtitur dictione illa, *Reseruet*, quæ hoc operatur vt ea quæ mater titulo lucratiuo ex priori coniugio acquisiuit, sint affecta liberis eiusdem matrimonij; adeo vt de illis disponere non possit, & sit veluti quoddam fideicommissum, & necessitaria restitutio: vt dicit Brodeau. *litera M. apud Loëtium. num. 3. colum. 6. circa finem Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 79. num. 3.*

2. Vnde donatio propter nuptias, quam hodie vocamus augmentum, ad liberos prioris coniugij pertinet in eo in quo excedit summam reciproce donatam, seu in parte lucratiua. Boër. *decis. 185. num. 10. Rot. Auen. decis. 144. num. 6.* sicuti & iocalia vxori per maritum facta, Thesaur. *Iun. lib. 1. quæst. forens. 29. num. 4.*

Sed tamen singularis aliàs mota fuit controuersia, inter liberos primi & secundi coniugij, in causa concursus creditorum communis eorum patris; non quòd prætenderetur augmentum in pœnam secundarum nuptiarum, sed quia liberi primi matrimonij petebant vigore hypothecæ dotalis agere contra augmentum, quod maritus titulo reciproco ex secundo coniugio ob præmortuam secundam vxorem obtinuerat: è contra verò liberi posterioris coniugij, qui vix mediam dotis maternæ partem in discussione consequi poterant, ipso iure compensatum fuisse cum dote eorum matris augmentum patri debitum asserbant; adeo vt v. g. si dos esset 1000. scutorum augmentum verò 200. non iam mille; sed octingentorum scutorum duntaxat se creditores esse contenderent: & si ex dote 1000. scutorum tantum super bonis paternis assequi possent, inanem reddi primæ dotis actionem quam eneruabat inopia patris debitoris: & per consequens non posse pro dote prioris matrimonij agi contra augmentum, quod non extabat; sed per compensationem extinctum & solutum erat. † Sicut enim

primæ alienationes per hæredem grauatum factæ imputantur ipso iure in detractiones hæredi grauato debitas, *l. Marcellus. §. res quæ. ff. ad Trebell.* cum aliis per Ludouic. *decis. 580. n. 2. & 7.* Ita videbatur dicendum, quòd per alienationes dotis secundæ per patrem factas, ipso iure absorptum & consumptum erat creditum augmenti maritalis.


Verum, contrarium Respondi, nempe augmentum illud quod ob secundæ vxoris mortem maritus superstes acquisiuit, fuisse liberis primi matrimonij pro dote materna obligatum, & per consequens aliis creditoribus: nec admittendam compensationem petitam: tum quia † inter duas dotes semper prima præfertur, *l. assiduis. Cod. qui potior. in pign. habeant.* etiam si adesset sola hypotheca tacita, & legalis. *Authent. vt exact. instant. dot. collat. 7. tit. 5.* vbi dicitur semper primam dote esse præferendam secundæ, & tempora hypothecarum permutanda, perimenda, vel minuenda non esse: † nisi quando aliquid extaret de secunda dote. Est etiam text. in *Authent. si quid. Cod. qui potior. in pign. habeant.* vbi dicitur quòd liberi primi matrimonij semper præferuntur pro dote materna liberis secundi; nisi in iis quæ extarent & apparetent de secunda dote: in quibus rebus sic de secunda dote extantibus, liberi secundi matrimonij præferendi essent: in reliquis verò, prima dos posteriorem excluderet. Cùm itaque supponatur tam primam quàm secundam dotem fuisse consumptam, sequitur liberos primi matrimonij vt creditores anteriores præferendos esse liberis secundi, in illa summa quam vxor illi in casum prædecessus promiserat. *Cancer. lib. 1. cap. 9. num. 16. aliàs 34. Castil. lib. 3. controuers. cap. 4. num. 28.*

Pro cuius rei comprobatione aduertendum est, **6.** augmentum quod marito per vxorem in casum prædecessus promittitur; non capi de parte dotis ipsius vxoris; quia regulariter marito promittitur per vxorem simpliciter super omnibus bonis: & ideo si vxor habeat bona extradotalia, quamuis tora eius dos esset consumpta debetur ex promissione super bonis extradotalibus: mortua itaque vxore, tale augmentum dicitur esse in patrimonio mariti; siue tale lucrum defertur vigore pacti, siue vigore statuti: vt dicit Roland. *de lucro dot. quæst. 90. num. 1. & 2.* Quamuis si lucrum capiendum esset de parte dotis, non eadem videatur esse ratio, quæ militat cùm capitur super vniuerso vxoris patrimonio: † vnde videmus, quòd lucrum dotis capitur ante legitimam liberorum: vt dicit *Surd. consil. 401. num. 5.* Rationem reddens, quia durante vita vxoris dos non est in bonis eiusdem, sed mariti: *l. doce ancillam. Cod. de rei vendic.* mortuâ verò vxore, maritus retinet sibi augmentum quod lucratus est, quod nunquam fuit in bonis vxoris, saltem pro ea portione quam maritus lucratur: vt tradit etiam *Surd. consil. 572. num. 71. & 72. & consil. 91. num. 14.* vbi dicit quòd filij tanquam matris hæredes non possunt agere nisi deducto lucro dotis, quod debet in primis detrahi tanquam æs alienum.

Sed si versaremur in terminis mariti, cui pars dotis ob vxoris prædecessum acquiritur; quamuis proposita doctrina per *Surdum* vera sit; non tamen inferret ad decisionem casus nostri: quia cùm capi deberet de ipsa dote, ipso iure dotem minueret: & si maritus non esset soluendo, liberi primi matrimonij, creditores primæ dotis, non possent exercere suas hypothecas super augmento, quod inutiliter maritus lucratus fuisset super dote secundæ vxoris, ex qua nihil extaret: & ideo si in matrimonij contractu dictum fuisset taxatiuè, quòd augmentum caperetur de dote, nulla existente dote ob insufficietiam bonorum, nullum augmentum deberetur creditoribus mariti

mariti ; sed in casu proposito vxor sese obligauerat soluere certā summam marito in casum prædecessus : & sic siue maritus esset soluendo pro certa parte dotis , siue non ; pro ea parte pro qua esset soluendo v.g. si ex mille dotis vxoris esset idoneus pro 300. scutis augmentum verò esset 200. creditores illius anteriores haberent illos 200. hypothecatos : & liberi secundi matrimonij tantum 100. consequerentur. † Quia licet augmenti solutio dilata sit ad tempus obitus vxoris , statim tamen à die contracti matrimonij ius est quæ situm coniugibus sub conditione prædecessus : & per consequens eius creditoribus. *l. res vxoris. Cod. de donat. inter vir. & vxor. Fontanel. de pact. nupt. laus. 7. glos. 1. p. 1. num. 28.* vbi licet de vxore loquatur, idem tamen obtinere debet in viro : argumento à correlatiuis. *l. fin. Cod. de indicta viduit. tollend.*

9. Et debitum istius augmenti quod maritus habet contra bona vxoris, quando non tractatur inter virum & vxorem ; sed agitur de creditoribus mariti , qui agunt contra liberos secundi matrimonij hæredes matris ; seu contra bona secundæ vxoris ; consideratur tanquam res inanimata reperta in bonis mariti, qui est eorum debitor principalis. *l. bonorum. §. final. & ibi Alciat. ff. de verb. signif. Surd. consil. 4. n. 18.*
10. † Vnde licet si solus maritus ageret , opponi posset illi compensatio ; tamen aliud est quando creditores agunt contra hæredes vxoris debitores mariti sui debitoris. † Quia creditor non tenetur soluere debita sui debitoris : vnde si ab illo exigat, non tenetur restituere : ergo neque compensare ; quia hæc duo pari passu ambulant. *l. si debitor. ff. qui potiores in pign. habe. & ita decidit Rot. decis. 703. n. 2. part. 3. recent. quam sequitur par. 7. recent. decis. 177. num. 8.*
11. Nec eadem est ratio hæredis grauati : quia is deductiones capit aduersus substitutum , nec agitur de interesse tertij ; at nos non negamus , si agatur inter ipsum maritum, & hæredes vxoris , compensationem opponi posse ; secus si de præiudicio creditorum : vt mox dictum est.



CAPVT XLVII.

Quando , & ex quibus verbis inducatur simplex & absolutum fideicommissum per prohibitionem alienationis ; non solum in casum alienationis , sed etiam in casum mortis. Et ex quibus dicatur prohibita alienatio tam inter viuos, quàm ex vltima voluntate. Et vtrum eadem res possit deberi ex duobus fideicommissis, ab eodem testamento prouenientibus. Vtrum sub prohibitionem alienandi extra familiam , fœminæ contineantur. Masculum ex fœmina non esse de familia , & cognomine. Et vltimum vocatum de bonis fideicommissi liberè disponere posse.

S V M M A R I V M.

- 1 Ex prohibitionem alienandi extra familiam facta per viam principalis dispositionis, oritur fideicommissum graduale, & absolutum.
- 2 Dictio sed tanquam aduersatiua, non habet vim illationis ; sed potius principalis dispositionis.

- 3 *Dictiones geminatae semper & perpetuò multum conferunt ad inferendum perpetuum, & graduale fideicommissum.*
- 4 *Explicatur text. in l. pater. §. filium. ff. de legat. 3.*
- 5 *Dictio vendi & alienari, vtrum etiam dispositionem testamentariam comprehendat.*
- 6 *Si testator mandet bona perpetuò conseruari in familia, censetur prohibita alienatio, etiam per viam vltima voluntatis.*
- 7 *Maxime si dixerit, se nolle ea alienari aliquo modo.*
- 8 *Verba remaneant, & remanere debeant, denotant successiuam vocationem.*
- 9 *Si prohibeatur alienatio per viam testamenti, censetur inductum fideicommissum absolutum in casum mortis.*
- 10 *Alienationis prohibitio relata ad institutos & substitutos, non egreditur illorum personas.*
- 11 *Prohibitio alienationis relata ad institutos & substitutos, non complectitur filios in conditione positos.*
- 12 *Si tamen testator adiecerit verba generalia denotantia intentionem conseruandi bona in familia ; prohibitio ulterius progreditur, & ad sequentes gradus extenditur.*
- 13 *Explicantur varia doctrina circa effectum prohibitionis alienationis, veluti Seraph. decis. 833. & in recent. decis. 300. part. 1. Fusar. q. 683. num. 20. & consil. 17. nec non Menoch. consil. 900. num. 7. & alij DD. de hac materia tractantes. num. 13. 14. 15. 16. & 17.*
- 18 *Præcedente fideicommissio vniuersali, inutile est particulare ; ex sententia quorundam Doctorum. Sed contrarium verius est. n. 19.*
- 20 *Fideicommissum vniuersale non destruit particulare certos casus vel personas respiciens : nec è contra ; sed vtrumque effectus suos producit in suo casu.*
- 21 *Fœmina continetur sub fideicommissio familia relicta.*
- 22 *Hoc procedit sine dubio quando fœmina extinctis omnibus masculis superstes remansit.*
- 23 *Multò magis si fœmina non sit nupta.*
- 24 *Idem si respectus habitus fuerit ad nomen absque mentione armorum.*
- 25 *Fœmina vltima superstes de familia potest liberè disponere de bonis familiae relictae.*
- 26 *Testator relinquens familia, intelligi debet de effectiua, id est, descendentibus suis.*
- 27 *Masculi descendentes ex fœmina, non sunt de familia nec de cognomine.*

TEstator pluribus masculis hæredibus institutis, & inuicem substitutis sine liberis decedentibus, filias suas substituit, & illas similiter inuicem substituit : subiungens postea, quòd voluit & ordinauit quòd bona quæ habet, & tempore sui obitus habebit in loco & territorio loci N. non possint per dictos hæredes tam institutos, quàm substitutos, casu substitutionis adueniente, aliquo modo vendi & alienari ; sed semper & perpetuò remaneant & remanere debeant in familia, & cognomine ipsius testatoris.

Mortuis omnibus masculis, superuixit Petrus qui tempore sui obitus reliquit filium suum Emericum, & eius sororem Catherinam tunc viduam, quæ fratre mortuo sola ex familia supererat, & bona dicti loci & territorij N. sibi adiudicari postulabat.

Dubitatum fuit primò vtrum ex illa prohibitionem alienationis, fuerit inductum simplex & absolutum fideicommissum in casum mortis.

Secundò,

Secundò, utrùm dicta fœmina superstes, sit de vocatis in dicto fideicommissò.

Tertiò, utrùm fœmina illa possit de dictis bonis ad libitum disponere.

1. In prima quæstione conclusum fuit pro simplici & absoluto fideicommissò: quia testator non per viam illationis, sed per viam dispositionis principalis alienationem prohibuit, & perpetuò in familia remanere debere mandauit: ex quo resultat fideicommissum graduale, per quod vnus alteri gradatim restituere grauatur: ex notatis per Roland. *consil.* 23. *numer.* 21. *libr.* 4. vbi dicit hanc esse communem opinionem: quia expressa dispositio testatoris, quæ vti lex seruanda est, tendit ad simplex fideicommissum per mortem. Peregr. *consil.* 45. *numer.* 3. *lib.* 3. & *numer.* 6. vbi dicit hoc casu nullam esse controuersiam inter Scribentes: & in *tract. de fideicommiss. art.* 14. *numer.* 13. Rot. *diuers. decis.* 561. *n.* 1. *part.* 1. Fufar. *de substit. quæst.* 688. *numer.* 30. Idemque communiter receptum testatur Odd. *de prohib. alien. quæst.* 11. *numer.* 46.

2. Illa autem verba, *sed semper, & perpetuò remaneant*, inducunt principalem dispositionem: quia dictio *sed*, aduertatur præcedentibus tam in iure, quam in factò; ita vt diuersum casum, & diuersum ius importet: vt tradit Sanch. *de matrim. lib.* 6. *disput.* 22. *numer.* 8. Castill. *lib.* 2. *controuers. cap.* 4. *numer.* 95. ergo necesse est vt in vltima illa clausula contineatur noua dispositio, tam in iure, quam in factò, diuersa à præcedenti prohibitione alienationis contenta in priori clausula.

Et licet non fuerit adiectum verbum *voluit*, post verbum *sed*; tamen tacitè subintelligitur: vt tenuit Rot. *diuersorum decis.* 121. *numer.* 2. *part.* 2.

Vnde in simili casu, dum testator dixit *Nolo bona mea alienari, sed volo permanere in familia*; fideicommissum simplex & absolutum oriri voluit Odd. *de prob. b. alien. dicta quæst.* 11. *numer.* 49. & *nu.* 236. & 2; 8. Peregr. *de fideicommiss. artic.* 14. *numer.* 33. Marta *de success. legal. part.* 4. *quæst.* 21. *artic.* 8. *n.* 60. Menoch. post quinque Clarissimos Iuriconsultos *consil.* 1029. *numer.* 1. Curt. *lun. consil.* 145. *numer.* 10. *versic. indagandum est igitur.* Ruynus, *consil.* 173. *numer.* 9. *lib.* 2. Decius, *consil.* 399. & pro hac opinione 28. Doctores allegantur per Menoch. *dict. consil.* 129.

3. Accedit dictio illa *semper & perpetuò remaneant*, non enim potest fieri perpetua prohibitio, nisi adesset perpetuum fideicommissum in familia. Rot. *decis.* 231. *numer.* 4. *part.* 2. *recentiorum.* Castill. *lib.* 2. *controuers. cap.* 22. *numer.* 90. & 91. Roland. *dict. consil.* 23. *n.* 18. 19. & 20. *lib.* 4. Rot. *diuers. dict. decis.* 121. *numer.* 4. Peregr. *dict. artic.* 14. *numer.* 45. Odd. *dict. quæst.* 11. *numer.* 239. & 242. Peregr. *consil.* 62. *numer.* 21. *lib.* 1. & *consil.* 49. *numer.* 7. *volum.* 3. & *consil.* 71. *n.* 7. *volum.* 6. Grass. *in §. fideicommissum. quæst.* 5. *numer.* 8.

4. Neque obstat textus in *l. pater. §. filium. de legat.* 3. vbi testator dixerat *veto ædificium meum de nomine meo exire, sed ad vernas meos quos hoc testamento nominavi pertinere volo*: & tamen ibi solum inducitur fideicommissum in casum contrauentionis, & non in casum mortis; quem text. ad hoc expendit Peregr. *dict. artic.* 14. *n.* 18.

Quia in casu de quo agitur magis præcisa & prægnantia erant verba testatoris: aderat enim prohibitio geminata verbis prægnantibus & perpetuitatem denotantibus expressa, in fauorem familiæ & cognominis: quæ non concurrebant in casu illius legis.

Præterea textus ille, si bene perpendatur, non infert in suo casu solum fideicommissum, in casum alienationis; cum non loquatur taxatiuè, neque includat casum mortis. Menoch. *consil.* 197. *numer.* 30.

Non obstant etiam illa verba, *vendi & alienari* 5. quæ videntur restringere prohibitionem ad alienationem inter viuos; ita vt bona illa potuerint alienari per viam vltimæ voluntatis.

Quia Respondetur, quòd licet nomen venditionis denotet alienationem inter viuos; tamen nomen generale alienationis, comprehendit quamcumque alienationem, etiam per viam vltimæ voluntatis. *l. alienationis verbum ff. de verb. signif. l. final. Cod. de reb. alien. non alienand.* vt optimè notat Anguissol. *consil.* 191. *numer.* 22. *volum.* 1. Menoch. *consil.* 1029. *n.* 4. Ofsalc. *decis.* 50. *numer.* 10.

Sed quia hæc solutio habet contradictores, vt testatur Fufar. *de substit. quæst.* 712. *numer.* 5. Ideo alia, & securior responsio est: † Quòd cum testator voluerit, bona perpetuò remanere in suo cognomine, & familia ipsius testatoris; censetur prohibita etiam alienatio per viam vltimæ voluntatis: vt probat Fufar. *dict. quæst.* 712. *numer.* 34. & 35. Quia eadem prohibitionis ratio militat in hæredis institutione, quæ in alienatione inter viuos; vt *ibidem* notat Fufar. cum DD. per eum citatis.

Et supradicta omni difficultate carent, stantibus 7. verbis prægnantibus in dicto testamento contentis, *noluit aliquo modo alienari*; quia hæc vniuersalis negatiua comprehendit alienationis prohibitionem, etiam per viam successionis ab intestato. Peregr. *consil.* 45. *numer.* 9. *lib.* 3. Menoch. *dict. consil.* 1029. *numer.* 5. Rot. *decis.* 10. *numer.* 5. & *decis.* 11. *numer.* 2. *part.* 1. *recent.*

Item adsunt verba illa, *remaneant, & remanere debeant*, quæ denotant successiuam vocationem. Menoch. *consil.* 1166. *numer.* 19. Item *semper & perpetuò*, quam geminationem & inculcationem verborum considerauit etiam Odd. *de prohib. alienat. quæst.* 11. *numer.* 230. Menoch. *consil.* 1032. *numer.* 11.

Et supradicta multò fortius procedunt ex eo, quòd testator in sequenti articulo sui testamenti disposuerat, quòd casu quo hæredes sui, vel substituti, vellent alienare aliquid de bonis ipsius testatoris; tali casu instituti, & substituti, & proximiores de familia semper omnibus emere volentibus præferantur, præterquam in bonis dicti loci N. quæ vt supra alienari non poterunt.

Ex quibus clarè constat, quòd testator voluit hæreditatem suam conseruare inter proximiores, & illis dare ius prælationis in casibus, in quibus fideicommissum non impediet alienationes veluti pro dotibus & similibus; sed quoad bona illius loci, noluit ea alienari nequidem in proximiores, etiam ex causa necessaria: Imò dispositio illa, quòd proximiores possint pretium offerre, ostendit posteriorem hanc clausulã intelligendam esse de alienatione inter viuos: ex *Surd. decis.* 124. *n.* 14. & patet ex illis verbis, *semper præferantur, & præferri debeant cuiuslibet emere volenti, offerendo simile pretium quo dicta bona venderentur, omni fraude cessante*: & declarat Ofsalc. *decis.* 50. *n.* 10.

† Sed quoad bona illius loci, prohibuit quacumque 9. alienationem inter viuos, vel etiam ex vltima voluntate, etiam ex causa necessaria: & sic inductum fuit fideicommissum successiuum in casum mortis, quod oritur ex sola prohibitione alienationis per testamentum. Rot. *diuers. decis.* 322. *numer.* 1. *part.* 1. Cum ad inducendum simplex & absolutum fideicommissum, sufficiant coniecturæ. Rot. *in recent. decis.* 231. *numer.* 4. *part.* 2. Seraph. *decis.* 1273. *numer.* 1. & 4.

Neque facit in contrarium *deciso* *Surd.* 85. & *Seraph.* 482. repetita *decis. diuers.* 649. *part.* 1. & *decis.* 473. *n.* 3. *part.* 4. *diuers.* vbi dicitur quòd prohibitio alienationis relata ad institutos & substitutos, non egreditur eorũ personas: eiusdemque sententiæ fuit Fufar. *consil.*

consil. 57. num. 18. & consil. 17. num. 143. 144 & 145. & consil. 9. num. 42. & 45. Rot. decis. 316. num. 6. part. 1. recent.

11. Ita vt tali casu non censeatur facta prohibitio filiis in conditione positus. Rot. dict. decis. 649. num. 1. & apud Seraph. decis. 482. num. 2.
12. Quia supradicta procedunt, nisi testator postea adiunxerit verba generalia, ex quibus constet eum voluisse bona conseruare in familia; prout in casu proposito Fusar. dict. consil. 49. num. 29. quæ non concurrebant in decisionibus in contrarium allegatis.
- Nam in *Faentina, Fideicommissi de Pasus coram Pamphilio* inserta apud Peregrin. decis. 134. n. 6. & decis. 473. p. 4. *diuersorum*, testator duntaxat fecerat substitutionem pupillarem, & adiecerat prohibitionem dependentem à principali substitutione, per modum illationis, non per viam principalis dispositionis.
13. In decisione verò *Fanenfi; Bonorum coram Seraphino* relata apud Peregr. dict. decis. 34. numer. 30 & inter decis. Seraph. 883. similiter prohibitio fuerat facta per modum illationis, & consequutiue ad præcedens fideicommissum: ideo ad illius terminos restringenda. Præterea ibi agebatur de hærede fiduciario: nil mirum si ad eius personam restricta erat prohibitio, ne ipse sub prætextu fiducia, quam erga illum testator habebat, bona alienare posset.
14. In decisione *Bononiensi, de Lambertinis*, de qua Peregr. numer. 9. dict. decis. 134. quæ etiam est in recent. decis. 300. part. 1. potius confirmatur decisio nostra, siquid negotio exactè discussio, & sequentia decisione pro existentia fideicommissi, vigore prohibitionis alienationis, quæ est decis. 193. par. 1. recent. Deinde Rota decis. 300. eadem part. 1. recedendo à decis. declarauit nullū adesse fideicommissum: quia verba prohibitiua fuerunt apposita duntaxat per modū illationis, per hæc verba: *Quonia volo, & c.* Sed quādo prohibitio facta fuit principaliter, & non cōsequutiue; semper Rota tenuit pro fideicommissō absoluto: vt decis. 221. part. 2. *diuers.* & dict. decis. 300. numer. 22. *versic. vnde videtur part. 1. recent.* vbi loquitur de clausula illa, *sed remaneant, & c.*
15. Neque applicari possunt casui proposito doctrinæ Fusarij *quæst. 683. num. 20. in 6. casu*, nec non in 4. casu, numer. 13. Menoch. *consil. 900. numer. 17.* cum DD. ibi citatis.
- Quia patet, quod in illis casibus præcedebat fideicommissum; deinde sequebatur prohibitio alienationis relatiua ad præcedentem substitutionem: & sic per modum illationis, non autem principalis dispositionis: & sic adaptari potius potest casus tertius Fusarij de quo numer. 12. & casus quintus Menochij dict. *consil. 900. num. 18.*
16. Similiter Fusarij, *consil. 17.* & alijs in locis loquitur de prohibitione illatiua, & consequutiua.
17. Quod autem dicitur ex Seraph. *decis. 482.* filiis in conditione positus alienationis prohibitionem fieri non posse, verum est; nisi filij in conditione positus essent tacite vocati ex coniecturis: vt notat Fusar. *consil. 114. num. 24.* vbi dictam decisionem ita intelligendam esse existimat.
18. Denique non obstat si dicatur, præcedente fideicommissō vniuersali, inutile esse fideicommissum particulare super re certa factum: ex Ludouif. *decis. 433. num. 19.* Gabriel. *consil. 132. num. 68. lib. 1.* Honded. *consil. 78. num. 47. volum. 1.* Fusar. *de substit. quæst. 688. numer. 101.*
19. Quia contrarium verius est, stantibus verbis prægnantibus & geminatis in fideicommissō particulari apposis; prout in simili notauit Peregrin. *consil. 45.*

num. 21. 22. & 23. vol. 1. Rimin. Iun. *consil. 20. n. 18. volum. 1.* Fusar. *de substitut. quæst. 683. num. 28.*

Præterea non est inconueniens vnā eademq; rem 20. deberi ex duobus fideicommissis; quorum alterum sit vniuersale, alterum verò particulare, circa certæ rei alienationem in vno eodémque testamento appositū; ita vt quoad effectus procedentes ex legis prohibitionem, sit locus fideicommissō quoad personas duntaxat in vniuersali substitutione comprehensas, & specificatas: sed quoad effectus procedentes ex prohibitionem hominis; tunc illa specialis prohibitio quoad personas in ea contentas, præualeat in casibus ac personis, in eadem comprehensis: & sic vtraque dispositio sortiatur effectum, quælibet in suo casu: vt notauit Odd. in dict. tract. de fideicom. ex prohib. alienat. resultant. *quæst. 14. num. 130. 131. & 155. & 160.* Bertazol. *consil. ciuil. 6. num. 28. & sequentibus. lib. 1.*


Posito ergo, quod fideicommissum vniuersale expirauerit per obitum Petri cum liberis; semper tamen remanet fideicommissum particulare ex prohibitionem alienationis resultans; quod extenditur ad Catherinam, quæ tanquam de nomine & familia existens vocata reperitur ad dictum fideicommissum particulare certorum bonorum in eodem testamento contentum.

In secunda quæstione non est difficilis resolutio: 21. quia foemina sine dubio sub nomine familiæ comprehenditur. l. voluntas Cod. de fideicom. l. final. Cod. de verb. signif. l. pronuntiatio. §. familia. ff. eod. tit. & textus est magis expressus in *Authen. de restit. fideicom.* vbi quod prohibitus alienare, quia testator volebat bona permanere, & perpetuari in sua familia, & nunquam egredi de suo nomine, potest hæredem instituere propriam matrem Fusar. *consil. 143. num. 20. & 22.* vbi ampliatur etiam si testator vsus fuisset verbo perpetuitatis, & filia esset nupta. † Quod 22. magis procedit quando sola foemina superstes est omnibus masculis prædefunctis; tunc enim fatentur DD. absque dubio talem foeminam admitti ad fideicommissum fauore familiæ relictum; quumvis testator habuisset rationem agnationis. Fusar. *de substitut. quæst. 352. num. 12.* Peregr. *de fideicom. artic. 25. num. 43. & consil. 58. num. 2. & sequentibus. volum. 5.* Odd. *de prohib. alien. quæst. 9. num. 58.* etiam si mulier esset nupta in aliena familia. Peregr. *consil. 42. num. 10. volum. 5.* † Multò magis si sit vidua & innupta, & 23. per consequens extra familiam mariti. Ludouif. *decis. 464. num. 7.* repetita in recent. part. 2. *decis. 282.* † præsertim cū non fuerit adiectum onus deferendi 24. arma testatoris, sed solum habitus respectus ad cognomen, & familiam; quo casu non censetur habitatio agnationis. Odd. *d. quæst. 9. num. 151.* iuncto *num. 58.* Giurb. *decis. 32. num. 27. & 28.* Peregr. *consil. 70. num. 22. volum. 3.*

Ad tertiam quæstionem Respondetur, foeminam 25. illam de bonis fideicommissi liberè potuisse disponere: quia erat vltima ex vocatis, nec post eam aderat aliquis de cognomine & familia testatoris, iuxta text. in l. cum pater. §. libertis. & l. qui solidum. §. penult. & ibi DD. *de legat. 2. & in Authen. di restit. fideicom. §. nos igitur.* Peregr. *de fideicom. artic. 52. numer. 2. & artic. 14. numer. 49.* Castill. *lib. 2. controuers. cap. 11. num. 45.* Bellon. Iun. *consil. 1. num. 18. & 19.* Gratian. *discep. cap. 930. num. 40.* Mart. *de success. quæst. 23. artic. 4. num. 21. part. 4.* † Senferat enim testator de familia effectiua, non 26. contentiua; id est de descendentiis, non de collateralibus, propter illa verba *de cognomine & familia ipsius testatoris.* Peregr. *decis. 134. numer. 6. & consil. 57. numer. 9. volum. 5.* † Exclusi quoque erant 27. mascul

masculi descendentes ex illa fœmina, qui non erant de cognomine : tum ex communi vsu loquendi, qui attendendus est, ex Fufar. *quæst.* 352. *numer.* 18. tum etiam de iure. Rot. *decis.* 203. *numer.* 7. *part.* 2. *recent.* Mart. *consil.* 60. *numer.* 13. & 14. neque descendentes ex familia dicuntur de domo. Intrigliol. *de substit. centur.* 3. *quæst.* 83. *numer.* 13. Menoch. *lib.* 4. *presumptr.* 88. *num.* 12. & in propriis terminis Mantic. *de coniect. lib.* 8. *tit.* 12. *num.* 8. Odd. *de prohib. alienar. quæst.* 9. *num.* 35. Peregrin. *de fideicom. artic.* 14. *num.* 38. & expresse *consil.* 31. *num.* 8. *lib.* 4. Gabriel. *consil.* 112. *num.* 6. *lib.* 2. Olasc. *decis.* 127. *in fin. num.* 9. vbi fuit iudicatum, quod fœmina, tanquam existens de cognomine & de familia, admittitur ad talia fideicommissa; non autem eius liberi, qui sunt de alia familia, & alio cognomine.

Et ex his conclusum fuit, fœminam ad dictum fideicommissum admitti quidem, deficientibus masculis, ex voluntate testatoris; sed fideicommissum in eius persona expirasse: & ideo illam de præfatis bonis ad libitum disponere posse.



C A P V T XLVIII.

De aquis & aquarum decursibus; An & quomodo dominus prædij, per quod aqua defluit, de ea disponere possit. Domini prædiorum inferiorum, qua ratione ius ducendi aquam præscribere possint: Et ex quibus quis dicatur vsus fuisse aqua iure familiaritatis, vel seruitutis. Temporis antiquitas, & publica vtilitas quid operetur in materia deriuationis aquarum. De concessione aquæ pluribus facta: Et de constructione molendini. De aqua turbida ad impinguanda prædia. De deductione aquæ per vias publicas: Et de ponticellis. De clausula cum aquis, & aquarum decursibus. De fossis, & excauationibus. De remediis possessoris pro aquis, & aquarum decursibus introductis: Et quod illis non obstantibus liceat pro illis intentare remedium summarissimi possessorij. In quibus casibus necessaria sit tituli productio, super possessorio aquarum. Possessio quando priuatiuè, vel cumulatiuè pro aquis adiudicanda. Præscriptio iuris irrigandi, vel iuris ducendi aquam, quod tempus & quas probationes requirat: Et alia multa circa materiam aquarum, & deriuationis ipsarum.

S V M M A R I V M.

- 1 Quando aqua fundum alicuius est ingressa, ipse efficitur dominus aquæ, & de ea ad libitum disponere potest.
- 2 Hoc procedit, siue aqua deducatur ex flumine publico, siue ex prædio aut loco priuato.
- 3 Alueus qui fit ad latus fluminis publici priuatus est, non publicus.
- 4 Aqua ad flumen publicum reuersa, efficitur publica per commixtionem.

- 5 Nemo ius aquæ ducenda præscribere potest, nisi doceat se illa vsus fuisse iure seruitutis, non autem iure familiaritatis.
- 6 Aqua possessio non procedit, nisi scientia aduersarij probeatur.
- 7 Scientia colonorum in materia ductus aquæ, non præiudicat domino.
- 8 Iure seruitutis aquam possidere dicitur, qui illam deducit opere manu facto; si tale opus factum fuerit in prædio illius contra quem prætenditur possessio.
- 9 In materia aquarum attendenda est consuetudo, & temporis antiquitas. Intelligit, ut *num.* 10. ut procedat, quando inferior præscripsit ius aquæ ducenda.
- 10 Quando agitur de publica vtilitate, non potest impediri aquarum deriuatio.
- 11 Concessio aquæ facta à Principe, intelligitur sine præiudicio iniuriam terrij. Intelligit ut *num.* 13. quando ius terrij est quæsitum ante concessionem.
- 12 Si aqua duobus sufficere potest, prima concessio non impedit quin aqua alteri etiam concedatur.
- 13 Aqua dicitur sufficere duobus, quando illius vsus diuidi potest per tempora.
- 14 Quamuis aqua duobus sufficere possit; si tamen ex restagnatione fiat præiudicium molendino superiori, non subsistit secunda concessio.
- 15 Aquam turbidam ad impinguanda prædia, nemo accipere prohibetur.
- 16 Concessio aquæ generaliter facta, intelligenda est de ea, qua superest deducto vsu publico.
- 17 Concessio aquæ per Principem facta, nulla est, si ex ea oriatur publicum incommodum.
- 18 Aqua ad publicos fontes destinata, non potest pro hortorum deliciis per meatus subterraneos diuertere.
- 19 Aquam nemo per vias publicas sine speciali Principis licentia deducere potest.
- 20 Via publica sunt de Regalibus.
- 21 Ponticellus super via publica sine Principis licentia fieri nequit.
- 22 Clausula cum aquis, & aquarum decursibus, in inuestitura quid operetur.
- 23 Excauationes in proprio facere licet, dummodo non ad emulationem.
- 24 Opus in proprio facere licet, quamuis vicino noceat.
- 25 Aquam ad meum prædium cuniculo, vel fouea deducere possum.
- 26 Venas aquæ in suo prædio quilibet incidere potest.
- 27 Puteum in meo possum aperire, licet puteus vicini exarescat.
- 28 Solitum aquæ cursum possum impedire per opus factum in meo prædio, si nulla seruitus sit constituta.
- 29 Qui est dominus fundi, est quoque dominus aquæ.
- 30 Pro aquis, & fontibus dantur interdicta possessoria.
- 31 Pro aquis datur interdictum de aqua quotidiana & æstiuæ.
- 32 Quod interdictum admixtam habet causam proprietatis; ideo appellationem admittit: licet quidam id non admittant.
- 33 Interdictum de corruualibus, requirit tituli productionem.

36. *Maximè quando vterque habet concessionem à Principe.*
37. *Pro aquis & fontibus competit etiam summarissimi possessorij remedium.*
38. *Titulus producendus est, quando duo contendunt possidere ex concessione Principis.*
39. *Item dum agitur de pratendente in re aliena vsufructum.*
40. *Vel si constet de dominio prædij seruiantis.*
41. *Si duo coniunctim aquam possident, vnius possessio alteri suffragatur.*
42. *Maintenance aqua in dubio cumulatiuè concedenda*
43. *Possessio priuatiuè concessa, si de illa qualitate non constet, dicitur ff. foliatiua.*
44. *Quid sit probandum ad obtinendam possessionem priuatiuam.*
45. *Seruitus irrigandi est discontinua.*
46. *Seruitus discontinua solo tempore immemoriali præscribitur.*
47. *Contrariam sententiam multi amplectuntur, sed à conclusione non est recedendum: num. 48.*
49. *Contraria sententia quomodo procedat, & quid in tali præscriptione sit probandum: num. 50, & 51.*
52. *Seruitus aqueductus, qua est continua, præscribitur decem annis inter presentes, & viginti inter absentes.*

Variæ sæpenumero in frequenti & vtili aquarum materia, occurrunt difficultates; quas sequentibus conclusionibus exponere, non abs re futurum esse existimaui.

1. Prima ergo sit Conclusio. Postquam aqua in alicuius fundum est ingressa, dominus illius fundi efficitur dominus aquæ; & eam alteri vendere, donare, & ad libitum concedere potest; etiam si ex tali concessione oriatur damnum aut præiudicium illorum, qui inferiora prædia possident. Hæc conclusio est Theauri, *decis. 245. Viuij, decis. 411. num. 5. & sequentib. Decij. consil. 243. num. 2. & 3. Cancerij, lib. 3. variar. resol. cap. 4. num. 240. Nouatij, quæst. forens. part. 1. quæst. 87. per tot. Surdi, decis. 9. num. 11. Barbofæ, in 2. part. l. 2. in princip. num. 41. ff. solut. matrim.*
2. Ampliatur vt procedat, siue aqua deducatur ad fundum proprium alicuius ex flumine publico, siue ex priuato. Bertrand. *consil. 351. num. 3. volum. 2. part. 1. Vbi ad hoc allegat Bart. Bald. Alex. & Iason. Item Boër. decis. 352. num. 5. Bart. in l. quominus. num. 22. Rip. num. 83. Iaf. num. 88. ff. de fluminib. Dec. d. consil. 243. Hering. de molend. quæst. 19. de clusarum edificatione, num. 13. qui ad hoc allegat etiam Vesebec. consil. 197. num. 26. 27. & 31. Ruyn. consil. 96. num. 4.*
3. qui eodem consilio, num. 1. † docet alueum qui fit ad latus fluminis publici, & per quod ducitur aqua, esse locum priuatum; si talis aqua decurrat per loca priuatorum.
4. Secunda Conclusio. Postquam aqua priuata ex molendino aut alueo alicuius priuati proueniens, reuersa est ad flumen publicum; iam non ampliùs priuata est; sed efficitur publica, per commixtionem cum aqua fluminis publici. Ratio est, quia non inspicitur in aquarum ductu principium aquæ, sed aluei & meatus vnde emanat: ita docet Mascard. post Bald. & Paris. in tract. de probat. conclus. 123. aquam esse propriam, num. 9. & 10.
5. Tertia Conclusio. Dominus prædiorum inferiorum non potest præscribere aquam, seu potiùs eius vsum; nisi doceat se illà vsum fuisse iure seruitutis; etiam si per mille annos aqua vsum fuisset. Probat in l. proculus. 26. cum l. sequenti. & in l. fluminum. 24. §.

final. ff. de damno infect. Rot. diuers. decis. 164. num. 1. part. 2. Morot. respons. 8. num. 3.

Ampliatur vt non solum sufficiat ad præscriptio- 6.
nem vltus aquæ fundandam probare, quòd illam possidens fuerit vltus aqua iure proprio, & iure seruitutis; non autem iure familiaritatis: sed etiam probandum sit id factum fuisse sciente & patiente domino fundi superioris. Rot. dict. decis. 164. num. 3.

Adco vt non sufficiat scientia colonorum, Marta 7.
consil. 124. num. 24. & 25. post Balb. in tract. de præscript. 2. parte, 4. partis princip. quæst. 1. num. 12. versic. & nota quòd scientia & patientia conductoris.

Quarta Conclusio. Ad probandum quòd quis vltus 8.
fuerit aqua iure seruitutis, non sufficit probare quòd aqua ad propria prædia deduxerit opere manufacto; sed præterea probandum est quòd tale opus manufactum fuerit intra propria illius prædia, contra quem prætenditur ius seruitutis. Rot. diuers. d. decis. 164. num. 2. part. 2. Cepol. de seruit. rustic. prædior. cap. 4. de aqueduct. num. 56. & 58. Cyriac. lib. 2. controuers. 310. num. 160. qui id bene explicat, rationem reddens; quia superioris prædij dominus non potest impedire possessores prædiorum inferiorum, ne faciant canales in suo ad libitum; sed si facerent canale aut simile opus manufactum in loco, in quo dominus prædij potest prohibere; tunc si dominus prædij sciens, id pateretur fieri, tale opus & deductio aquæ in consequentiam facta diceretur fieri iure seruitutis.

Quinta Conclusio. Quamuis generalis sit regula 9.
in materia aquarum, attendendam esse temporis antiquitatem, & aquam à solito & antiquo cursu diuertere non posse: vt per Surd. post alios *consil. 447. num. 11.*

Tamen regula illa intelligenda est, vt loquum ha- 10.
beat quando inferior præscripsit ius aquam ducendi iure proprio: secus est, quando inferior nullam seruitutem aquam ducendi acquisiuit: hoc enim casu non sufficit aquam ad inferiora prædia per longissimi temporis spatium fuisse deductam; quia censetur deducta potiùs iure facultatis, quàm iure proprio seu iure seruitutis. Surd. d. consil. 447. num. 12. vbi dicit contrariam Cuman sententiam procedere, quando alij non est quæsitæ seruitus aquam ducendi: & ad hoc allegat Rimin. Iun. lib. 1. consil. 86. num. 16. vbi dicit doctrinam illam Cuman in l. 2. §. penult. ff. de aqua pluuiæ arcend. esse intelligendam vt procedat quando auertens aquam non debet seruitutem: tunc enim potest aquam diuertere. Eiusdem sententiæ est Barbof. in 2. parte l. 2. ff. solut. matrim. num. 41. vbi refert & sequitur Riminaldum dicto consil. 86.

Sexta Conclusio. Si agatur de publica utilitate ve- 11.
luti de construendo molendino, ad vsum totius Vniuersitatis, & particularium ipsius, necessariò tunc dominus prædij superioris non potest impedire deriuationem aquarum, vt publicis vsibus inseruiat, & vt necessitati Reipublicæ consulatur: Theaur. Iun. post Riminald. sen. quem ipse allegat in addit. 1. ad decis. Paris. 245. Cancer. lib. 3. variar. resol. cap. 4. num. 244. versic. videndus etiam. Francisc. Marc. decis. 111. num. 12. part. 2. Caualecan. decis. 5. num. 49. part. 5.

Septima Conclusio. Quamuis verum sit concessio- 12.
nem alicui à Principe facultatis aquam ducendi factam, intelligendam esse sine præiudicio iuris tertij: l. 2. §. merito. & §. si quis à Principe. ff. ne quid in loco public. Ruynus, consil. 98. num. 13. 14. & 15. volum. 4.

Tamen hoc intelligendū est de tertio qui habet ius 13.
anterius, nempe acquisitum ante concessionem; quia iuri iam tertio quæsitæ Superior concedens derogasse

non censetur: secus est in eo qui ius posterius acquisiuit, cui anterior concessio derogare potuit, & derogauit. *Surd. consil. 321. num. 6. Cyriac. Niger, controuerf. 310. num. 9. Cepola, dicto cap. de seruit. aqueduct. num. 23. versic. & propterea.*

14. Octaua Conclusio præcedentis declaratoria est. Quod prima concessio alicui per Principem, aut alium ad id potestatem habentem facta, facultatis & iuris aquam deriuandi & ducendi, non impedit quominus eadem aqua, alteri concedi possit, si talis aqua sit sufficiens ad vsum vtriusque; hoc est illius qui primam, & eius qui secundam concessionem obtinuit: ita Menoch. *remed. 6. retinend. possess. num. 111. & 112. & sequentib. Bertrand. consil. 243. num. 5. volum. 3. part. 2. per text. in l. in concedendo. & in l. Lucio cum ibi notatis.*
15. ff. de aqua quorid. & æstiu. † Et hoc etiam procedit, quando aqua vtrique sufficere potest, illam diuidendo per tempora: veluti; si agatur de aqua destinata ad irrigationem pratorum, qua non indiget is, cui facta est concessio, nisi certis hebdomadæ vel mensis diebus. *Cualer. decis. 7. num. 3. Surd. consil. 130. num. 15.*
16. Sed hoc ita intelligendum est, vt in simplici aquæ concessione locum habeat; verum si inferioris loci dominus molendinum in eo construere velit, quamuis aqua vtrique, tam superiori quàm inferiori molendino sufficere possit, non tamen concessio ad effectum molendini poterit suffragari, si ex ea cursus aquæ impediatur; & inde efficiatur vt propter aquæ stagnationem damnum fiat, & impedimentum oriatur in præiudicium vsus superioris molendini. † Non dico ex eo quòd minor sit in superiori molentium concursus; sed ex eo quòd illius vsus per aquæ stagnationem impediatur: Ita fuit decisum in *Cod. Fabrian. lib. 3. titul. 24. de seruit. & aqu. definit. 5. Quod fufius explicat Practic. Papiens. in titul. de actione confess. in verb. seruitus aquæ ductus, num. 7. & sequentib. vbi multas circa molendina quæstiones decidit.*
17. Nona Conclusio. Quando agitur de aqua turbida & tumefcente ad irriganda priuatorum prædia destinata, quam certissimum est tempore inundationum omnibus plusquam sufficientem esse, nemo potest impediri quin eâ vtatur ad impinguanda propria prædia: quia nemini fit præiudicium, & agitur de publica vtilitate, cum inter sit Reipublicæ prædia esse fecundiora: prout decisum refert Riccius, *collect. 3697. versic. limita secundo.*
18. Et concessio aquæ generaliter facta intelligitur de ea quæ superest, deducto vsu publico. *l. 1. Cod. de mancip. & colon. lib. 11. Sard. consil. 321. num. 46. & 47. & in diuisione aquarum, maior vtilitas præualere debet minori. l. 1. §. plerumque. & §. plerosque. ff. ne quid in flum. public. Thesaur. dicta decis. 245. num. 7. & ibi Ad-dent. Amendol. ad Vincent. de Franch. decis. 183. num. 5. Francisc. Marc. decis. 589. num. 15. part. 1. cum aliis supra citatis.*
19. Immo concessio aquæ alicui priuato facta per Principem nulla est; si fiat cum publico incommodo. *l. seruitutes. 14. §. publico loco. ff. de seruit. l. quominus. ff. de flumin. ibi si modo ea aqua in vsu publico non erit: & tot. tit. Cod. de aqueductib. lib. 11. Iaf. in dicta l. quominus. num. 20. † Maxime si aqua ad publicos fontes destinata per subterraneos meatus pro hortorum deliciis traheretur, quod prohibitum est sub pœna 10. librarum auri, & sub aliis grauissimis pœnis. l. fm. Cod. de aqueductib. lib. 11. iuncta l. 4. eod. tit.*
20. Decima Conclusio. Concessio aquæ per Supetiorum facta, nemini suffragatur ad effectum vt deduci

possit per vias publicas, nisi specialis de hoc fiat in concessione mentio, & reseruato interelle & vtilitate publica: text. est in dicta *l. seruitutes. 14. §. public. ff. de seruit. per quem text. ita tenet Iaf. in dicta l. quominus. num. 20. ff. de flumin. Atetin. consil. 30. num. 5. per text. in l. hoc iure. §. ductus aqua. ff. de aqua quorid. & æstiu. & in l. 1. §. permittitur. ff. eod. tit. † 22. (via enim publicæ sunt de Regalibus. *Cepol. de seruit. rustic. cap. 3. quæst. 7. numer. 17. 24. 25. † præsertim sine ponticello, quod etiam fieri non potest sine licentia Principis. Bart. dicta l. quominus. 24. Rip. num. 90. & sequentib.**

Vndecima Conclusio. Concessio alicui facta cum clausula ista, *cum aqua, & aquarum decurrentibus*, soli concedenti, non autem tertio præiudicat. *Crauet. consil. 54. n. 9. versic. in hoc tamen non facio. & in respons. pro genero. n. 431. Roland. consil. 82. num. 17. volum. 2. Cancr. lib. 3. variat. resol. cap. 4. n. 62. & talis concessio non comprehendit aquas priuatas. Capiblanc. de iure Baron. pragmat. 8. part. 2. n. 28.*

Duodecima Conclusio. Licitum est cuilibet in proprio fundo, fossas vel excauationes aut aliud opus facere; quamuis ex tali opere vicino damnum inferatur, aut aqua à solito cursu diuertatur; dummodo id non fiat ad æmulationem.

Probatum primò per text. in *l. Proculum. 26. ff. de damno infecto. vbi dicitur licere cuilibet in proprio fundo, opus sibi beneuolum facere, etiam si ex tali opere vicinus damnum sentiat. † Et ideo licitum est in vicino meo agro, cuniculo, vel fouea aquam meam auocare: quia non debet videri damnum facere, qui vicinum prohibet vti eo veluti lucro, quo adhuc vtetur.*

Secundò probatur in *l. si in meo fundo. 21. ff. de aqua pluuiæ arcen. vbi dicitur, quòd si in meo fundo aqua erumpat, quæ ex tuo fundo venas habet; si eas venas incideris, & ob id deserit aqua ad me peruenire; tu non videris vim fecisse, si nulla seruitus eo nomine mihi debita fuerit.*

Tertio ex *l. fluminum §. final. ff. de damno infecto. vbi dicitur quòd si in domo mea puteum aperio, quo aperto, venæ putei tui præcisæ sunt; non teneor de damno infecto, neque enim existimari debet operis mei vitio damnum tibi dari in ea re, in qua iure meo vsus sum.*

Quartò ex iis quæ tradit Crauet, in tract. de antiqu. temp. part. 4. cap. ult. num. 39. vbi dicit quòd licet aqua scaturiens in fundo meo fluxerit per longum tempus ad fundum tuum; non tamen iure seruitutis: possum præscindere venas illius in fundo meo, & solitum cursum impedire. Idem tenet *Gail. lib. 2. obseruat. 69. num. 12. Caualc. decis. 23. num. 113. Viuius, decis. 411. lib. 3. vbi dicit † eum, qui est dominus fundi, esse etiam dominum aquæ. l. aquam. Cod. de seruit. & aqu. & non cogi de ea gratiam facere illamque posse à solito cursu diuertere.*

Decimatertia Conclusio. Interdictum possessorium competit pro vsu aquarum, & quasi possessione iuris aquandi, aquæ ductus, fontis, & venæ. *Fontan. de pact. nuptial. claus. 7. glos. 3. part. 10. num. 44. tom. 2. Plot. de in litem iurand. §. 3. num. 29. & 33. Rota apud Postium, decis. 213. num. 1. Idem alios referens obseruat. 10. num. 50.*

Decimaquarta Conclusio. Proditum est hoc casu particulare remedium ex interdicto de aqua quotidiana & æstiuæ, quod dicitur habere admixtam causam proprietatis; cum in eo necesse sit vt ille qui præterdit possessionem, non solum probet bonam fidem, sed etiam iustum titulū exhibeat: *Menoch. remed. 6. rer. possess. n. 11. † Et ideo tale interdictū propter mixtionem illam*

illam causâ proprietatis, admittit appellationem tam quoad effectum suspensiuum, quàm quoad effectum deuolutiuum, ex eodem Menoch. *d. remed.* 6. n. 164. Cuius tamen opinionem non esse tutam dicit Sigismund. Scacc. *de appellat. quest.* 17. *limit.* 6. *memb.* 5. *num.* 6.

35. Idem dicendum est si intentatū fuerit interdictum de corruualibus, quod admixtam similiter habet proprietatis causam, & interdictū duplex nuncupatur: l. 1. §. si inter rinales. ff. de aqua quorid. & astiu. & in l. Lucio. ff. eod. tit. & utrobique Batt. & Angelus. † Vbi ponitur exemplum de duobus inuicem de aqua contententibus, quorū vterque suam habet à Principe aquæ concessionem; tunc enim necesse est vt de validitate tituli cognoscatur. Ruyn. *consil.* 230. *num.* 13. *volum.* 1.
36. Decima quinta Conclusio. Quamuis pro aquæ seruitute, prodita sint remedia illa particularia ex interdictis possessoriis, quæ dicuntur remedia ordinaria; non tamen propterea impeditur actor intentare remedium possessoriū summarissimū, ad hoc vt in statu suæ possessionis manuteneatur interim, lite pendente: & de differentia vtriusque remedij, & quodd vnum ab alio non impediatur, optimè Monach. *decis.* Bonon. 36. *per totam.* qui licet loquatur de simili interdicto de itinere, actūque priuato; tamen idem dicendum est de istis interdictis, quæ ratione ductus aquarum prodita sunt: vt post Rotam Bononiensem ostendit Postius *in tract. de manutent. obseruat.* 10. *num.* 49. *noū impressionis,* & tradit (quamuis non sic explicet) Fontanel. *de pact. nuptial. claus.* 7. *glos.* 3. *part.* 10. *num.* 44. Plot. *de in litem iurand.* §. 3. *num.* 29. & 33. Rot. apud Postium, *decis.* 213. *num.* 1. Seraph. *decis.* 971.
38. Hæc tamen conclusio non procedit in certis casibus, in quibus nemo potest obtinere nisi prober suum titulum. Primò si agatur de duobus, qui habent ambo concessionem Principis; tunc enim necessariò de titulo agendum est. Marefcot. *lib.* 1. *variar. resol. cap.* 11. *num.* 47. & 48. Post. *de manutent. obseruat.* 44. *num.* 62. & supra diximus *num.* 35.
39. Secundò, si agatur de prætendente vsufructum in re aliena; hic enim titulum ostendere & producere debet: quia vsufructus pars est dominij. l. 4. ff. de vsufruct. Franc. *in cap.* 1. *num.* 11. *de præscript. in 6.* Marefcot. *d. cap.* 11. *num.* 46. *versic. limita.*
40. Tertiò, quando agitur contra proprietarium prædij seruiantis, de cuius proprietate & dominio constat: nam si de eius dominio non constaret danda esset manutentio possessori, etiam non docto de titulo suæ possessionis. Marefcot. *d. cap.* 11. *num.* 51.
41. Cæterum, prima limitatio non procedit, quando duo illi qui à Principe concessionem obtinuerunt, communiter possident; tunc enim ad effectum manutentionis non est opus producere titulum: cum hoc casu possessio vnus suffragetur alteri, nec vnus censeatur possedisse animo confortem sua possessione priuandi. Marefcot. *d. cap.* 11. *num.* 49. & 50. Postius, *d. obseruat.* 44. *num.* 63. & tradit Rot. apud Seraph. *decis.* 971.
42. Decimasexta Conclusio. Manutentio in iure ducendi aquam, probatâ simpliciter possessione, concedenda est cumulatiuè, non autem priuatiuè; hoc est vt quis aquam ducere possit, non vt alium prohibere queat, dum vtrique aqua sufficiens est. Seraph. *decis.* 339. *numer.* 2. † Et si possessio daretur priuatiuè, diceretur spoliatiua. Idem *decis.* 7. *num.* 1. † Quia ad acquirendam quasi possessionem priuatiuam, oportet præcessisse prohibitionem, & prohibitum illi acquirisse. Ludouif. *decis.* 472. *n.* 1. & 493. *n.* 1. & ibi Addent. Postius, *de manutent. obseruat.* 73. *n.* 29. Et hanc

duplicè aquarum possessione agnouit Rota, *decis.* 734. *n.* 2. *versic. & rebus sic stantib.* *part.* 2. *recent.* & magis decisiuè *decis.* 150. *num.* 3. *part.* 1. *recent.* Surd. *consil.* 130. *num.* 18. Costa, *de facti scient. censur.* 2. *distinct.* 1. *num.* 52.


Decimaseptima Conclusio. Seruitus iuris irrigandi, cum requirat factum hominis, nec continuè fiat, sed statis & interpolatis anni temporibus; dicitur discontinua: ex traditis per Guid. Pap. *decis.* 573. *n.* 3. & ibi Addent. *litera A.* Practic. Papien. *in tit. de action. confessor.* *in verb. seruitus aqueductus.* *num.* 20. † Vnde non potest præscribi nisi spatio temporis, cuius initij memoria non extet. Papiens. *ibidem, versic. aut seruitus habet.* Mynting. *centur.* 4. *obseruat.* 53. Guid. Pap. *d. decis.* 573. Cuiac. *ad l. sequitur.* §. *libertatem.* ff. de vsucap. Cauale. *lib.* 5. *decis.* 3. *n.* 5. Vincent. de Franch. *decis.* 183. *n.* 13. Thesaur. Iun. *lib.* 2. *quest. forens.* 27. *num.* 36.

Sed tamen hîc subsistendum est; nam multi Doctores contrariam sequuntur opinionem, existimantes non esse constituendam differentiam inter continuas & discontinuas seruitutes; sed omnes spatio decem annorum inter præsentis, & viginti inter absentes præscribi: vt multis rationibus comprobat Fachin. *controuers. quest. iuris.* *lib.* 8. *cap.* 22. Zanger. *in tract. de except.* *part.* 3. *cap.* 10. *n.* 178. & sequentibus, vbi hanc dicit veriore sententiam, licet contraria communibus calculis frequentata sit, & in foro recepta. Berlich. *comm. conclus.* *part.* 2. *conclus.* 6. *num.* 12.

Verum à communi sententia non est recedendum; 48. quamuis contraria in puncto iuris forte sit verior: sed distinctio illa inter continuas, & discontinuas seruitutes factum hominis requirentes, veluti viæ, itineris, actus, iuris irrigandi, & similes, receptor est: vt colligitur ex Doctoribus citatis apud Berlich. *d. conclus.* 6. *num.* 11. & apud Rot. *decis.* 101. *num.* 5. *partis.* 4. *recent. tom.* 2. quos hîc non transcribo. Gratian. *discep. forens.* *cap.* 681. *num.* 36.

Cæterum, si quis contrariam sententiam amplecti 49. vellet, nempe sufficere decem annos, vel viginti, in præscribendis tam continuis quàm discontinuis seruitutibus; deberet allegare aliquem titulum in principio litis certitudinariè, à quo, vel à quibus fuerit habitus, & quod vsus fuerit seruitute, tanquam ex titulo allegato, sciente & patiente aduersario. Gratian. *d. discept.* 681. *num.* 39. & 40. Rot. *d. decis.* 101. *n.* 9. & 10. *part.* 4. *recent. tom.* 2. † Constare itaque debet 50. de continua possessione, durante toto illo tempore; ita vt testes deponere debeant de vsu per illum tempus, & quodd talis vsus factus fuerit, non iure familiaritatis, sed iure seruitutis; cum bona fide, & iusto titulo. Menoch. *consil.* 447. *a num.* 19. *vsque ad* 35. Gratian. *loc. citat.* *num.* 41. † Debet etiam probari per testes deponentes in his causis de initio possessionis, certo tempore, & de annis inchoatis tali tempore, & finitis tali. Gratian. *id explicans vbi sup.* *n.* 45. cum pluribus per eum citatis. Pract. Papiens. *in d. tit. de confessoria,* *in verb. seruitus aqueductus.* *n.* 20. *in fin.*

Decimaoctaua Conclusio. Seruitus aqueductus, 52. cum causam habeat continuam, inducitur præscriptione decem annorum inter præsentis, & viginti inter absentes. Bart. *in l.* 1. §. *denique.* *num.* 3. ff. de aqua pluuiæ arcend. Rimin. Iun. *consil.* 86. *num.* 1. cum aliis citatis per Cyriac. *controu.* 179. *num.* 4. & 5.



CAPVT XLIX.

Cedens nomen vel redditum annuum iam constitutum, quamuis euictionem promiserit, tenetur tantum præstare veritatem nominis, non autem quod debitor cessus sit idoneus facultatibus: maximè si cessio per viam simplicis assignationis creditori facilioris solutionis gratiâ facta fuerit; secus si per viam dationis in solutum interueniente quitancia, & liberatione per creditorem facta in fauorem debitoris eedentis; nisi liberatio facta fuerit cum clausula, *Et moyennant ledit Bail en payement, &c.* Quid si creditor seu cessionarius ignorauerit insufficientiam debitoris cessi; aut vterque, nempe cedens ac cessionarius, essent in probabili ignorantia. Vtrum in hoc sit aliquid speciale fauore dotis. Quæ sit vis clausularum, *d'Euiction de droit, & de fait; Garantir, fournir, & faire valoir; Prendre à soy; fournir, & faire valoir tant en principal qu'arrerages. Item d'estre de bon & exigible debte, faire auoir & tenir; faire iouir paisiblement & perpetuellement; de present & à l'aduenir; maintenir exigeable.* Quando & quas diligencias facere teneatur cessionarius aduersus debitorem cessum. Quid si cessionarius fuerit in culpa, aut impedimentum interuenerit ob factum Principis.

S V M M A R I V M.

- 1 *Quamuis cedens nomen debitoris promiserit euictionem cessionario non tamen tenetur de idoneitate & sufficientia debitoris cessi, sed sufficit quod præstet veritatem nominis cessi.*
- 2 *Ampliatur etiam si cessio facta fuerit cum clausulis amplissimis non excedentibus metas euictionis: & num. 5.*
- 3 *Si agatur de simplici assignatione vel indicatione, totum nominis cessi periculum spectat ad cedentem.*
- 4 *Quando cessio dicatur facta per viam simplicis assignationis; & quando per viam solutionis, seu dationis in solutum.*
- 6 *Liberatio facta creditori cum clausula & moyennant ce à quitté, &c. quem effectum producat.*
- 7 *Clausula moyennant ce, &c. quid operetur, siue per viam conditionis, siue per viam modi adiecta dicatur.*
- 8 *Ob modum non adimpletum, qua actio competat contra non adimplentem, vel eius heredem.*
- 9 *Datur cessionario actio in factum contra cedentem non adimplentem quod promisit.*
- 10 *Cedens tenetur de bonitate hypothecarum & sufficientia debitoris cessi, habito respectu ad tempus cessionis; quamuis id non esset expressè promissum.*
- 11 *Hoc procedit si cessionarius ignorabat insufficientiam debitoris cessi; secus si sciisset illum non esse soluendo.*

- 12 *Intellige dummodo ignorantia cessionarij fuerit probabilis.*
- 13 *Probabilis ignorantia suffragatur cessionario; quamuis etiam cedens ignorasset insufficientiam debitoris cessi, tempore cessionis.*
- 14 *Si cessio facta fuerit pro dote, ignorantia quamuis culposa suffragatur cessionario, fauore dotis.*
- 15 *Lex nullam in dote captionem admittit, nec unum ex coniugibus cum damno alterius locupletari patitur.*
- 16 *Promittens euictionem nominis cessi tam de iure, quam de facto; tenetur de insufficientia debitoris cessi.*
- 17 *Reditus annuus an possit minori pretio emi, quando illius euictio tam de iure quam de facto promissa fuit.*
- 18 *Dictio garantir, utrum impedimenta tam iuris quam facti comprehendat.*
- 19 *Concluditur dictionem garantir sola iuris impedimenta continere.*
- 20 *Quid si dictum fuerit garantir de tous troubles & empeschemens.*
- 21 *Quid importet clausula Gallica, fournir & faire valoir.*
- 22 *Quid inferat clausula Prendre à soy, in instrumento cessionis apposita.*
- 23 *Quid de clausula, fournir & faire valoir tant en principal qu'arrerages.*
- 24 *Quid si addatur clausula tant & si longuement que la rente aura cours.*
- 25 *Clausula d'estre de bon & exigible debte, quid importet.*
- 26 *Promissio exigibilitatis quando impleta dicatur.*
- 27 *Qui promisit exigibilitatem nominis, tenetur si debitor cessus obtinuerit à Principe saluum conductum.*
- 28 *Bonum nomen promittere minus est, quam si promittatur exigibile.*
- 29 *Promittens nomen bonum intelligitur promittere bonitatem tempore cessionis tantum, non in futurum.*
- 30 *Fallit nisi adiecta fuerint verba tempus futurum denotantia, veluti si promissum fuerit manuteneri nomen bonum.*
- 31 *Dictio manuteneri, respicit tam sortem quam fructus futuros.*
- 32 *Clausula faire auoir & tenir, quid importet.*
- 33 *Promissio faciendi habere & tenere, tribus modis fieri potest, qui ibidem exponuntur.*
- 34 *Seruus potest sibi stipulari habere & tenere, quia facti incapax non est.*
- 35 *Stipulatio habere & possidere licere, valde differt à promissione habere licere, vel habere & tenere, & quid operetur.*
- 36 *Habere & tenere stipulatio ad obligationem facti refertur.*
- 37 *Verba habere & possidere à contrahentibus prolata, ad ius referuntur.*
- 38 *Sed si à testibus proferantur, vel à statuentibus, referuntur ad factum.*
- 39 *Verba promissionis de faire paisiblement iouyr referenda sunt ad factum.*
- 40 *Promissio d'estre de bon & exigible debte, quid importet.*
- 41 *Exigibilitas promissa cum verbis tractum temporis importantibus, censetur promissa pro aliquot annis; sed non in perpetuum: ex mente Rota.*
- 42 *Hæc tamen decisio in dubium renocatur.*
- 43 *Si promissioni exigibilitatis adiecta fuerint verba*

perpetuitatem denotantia, cedens tenetur illam præstare absque præfinitione temporis.

- 44 Non obstante promissione bonitatis, cessionarius tenetur facere suas diligentias.
- 45 Ampliatur ut procedat etiam stante clausula de fournir & faire valoir, vel etiam de prendre à soy.
- 46 Tenetur creditor cui cessio facta est facere diligentias usque ad bonorum debitoris cessi subhastationem.
- 47 Item tenetur denunciare cedenti, ut veniat ad defendendum.
- 48 Limita, nisi in instrumento onus denunciationis fuerit remissum.
- 49 Quando cessionarius agit actione cessa, non est necessaria denunciatio.
- 50 Diligentias nemo tenetur facere, quando constat quod si eas fecisset, fuissent inuiles.
- 51 Limitatur etiam quod dictum est de diligentibus, ut non procedat si nominis exigibilitas fuerit promissa.
- 52 Si cessionarius nominis fuerit in culpa, propter quam debitor cessus factus est minus idoneus, ipsi imputandum est.
- 53 Euictio cessat quando emptor fuit in culpa.
- 54 Euictio cessat propter casum superuenientem post contractum.
- 55 Dispositio l. Lucius. ff. de euict. non procedit in eo, qui ab ipso Principe ius habet: & numer. 56.
- 56 Quando agitur de edicto Principis facto ex mera & absoluta illius potestate, non est locus euictioni: quia tunc inter casus fortuitos numeratur.

Fræquentissima est cessionis nominis materia, & in hisce partibus sæpius agitata; præsertim ratione annuorum reddituum, qui vel ex Regis edicto reducti sunt, aut diminuti; vel ex debitorum impotentia inutiles redditi: qua de causa aduersus cedentes fuit actum ad regressum, & immunitatem; in qua diuersimodè responsum, vel iudicatum fuit, secundum diuersas factorum circumstantias. Hanc igitur materiam sequentibus conclusionibus breuiter & resolutiue terminare conabimur.

1. Prima Conclusio. Cedens nomen quamuis euictionem suo cessionario promiserit; non tamen tenetur de bonitate hypothecarum; sed liberatur quamuis debitor cessus non sit soluendo. Probatur per text. in l. si nomen. ff. de hered. vel action. vend. ibi locupletem esse debitorem non debere præstari. Tenetur ergo cedens duntaxat de veritate nominis cessi, non autem de exigibilitate illius. Roderic. de ann. redit. lib. 2. q. 21. Thesaur. iun. lib. 3. q. forens. 73. Gratian. discept. 527. num. 4.
2. Ampliatur etiam si promissio euictionis facta esset, cum clausalis amplissimis non excedentibus terminos euictionis; quæ omnes ad veritatem nominis, non autem ad illius bonitatem extenduntur: per text. in d. l. si nomen. ff. de hered. vel action. vendit. & in l. si plus. §. fin. ff. de euiction. & in l. pupilli. 96. §. soror. ff. de solut. Menoch. consil. 778. numer. 1. Roderic. de ann. redit. d. lib. 2. quest. 21. num. 15. & sequentibus. Surd. consil. 441. num. 7. Anton. de Marin. quotid. resol. c. 42. n. 2.
3. Secunda Conclusio. Si nomen fuerit alicui remissum per viam assignationis, potius quam per viam cessionis, aut dationis in solutum; tunc quæcumque interueniat nominis periculum, etiam

ex eo quod debitor cessus, non esset soluendo tempore cessionis, vel ex post ad deteriorem fortunam deueniret, pertinet ad cedentem. † Pro cuius conclusionis intelligentia supponendum est duobus modis posse alicui creditori per suum debitorem dari, aut remitti nomen. Primo, per viam dationis in solutum, per quam fit ut debitor cessus acceptetur per creditorem loco pecuniæ numeratæ, & occasione illius cessionis suo debitori quittance faciat. Secundò per viam assignationis seu indicationis pro faciliore solutione, & satisfactione creditoris, ita tamen ut creditor intendat saluas sibi remanere semper actiones contra debitorem cedentem, seu assignantem aut indicantem. † Primo casu, locum obtinent ea quæ diximus in prima conclusione, limitata & intellecta secundum conclusiones sequentes. Secundo casu, totum nominis periculum spectat ad cedentem, seu assignantem, aut faciliore solutionis gratia indicantem.

Ista distinctio approbatur per Mastrill. decis. Sicil. 179. num. 12. & sequentibus. & num. 19. Marilian. decis. 2. n. 8. Surd. consil. 22. num. 33. Gratian. discept. forens. 527. num. 3. Socin. Sen. consil. 37. n. 2. & per tot. volum. 4.

Tertia Conclusio. Si nomen creditori remissum fuerit per eius debitorem, & creditor ipsum liberauerit ab obligatione, cum clausula moyennant ce, l'a quitte &c. quamuis tunc non per viam simplicis assignationis, sed per viam dationis in solutum cessio facta fuerit, nihilominus periculum nominis cessi spectat, aut non spectat ad cedentem, seu in solutum dantem, secundum varietatem casuum & pactorum iuxta sequentes conclusiones. Et omnia quæ de venditione nominis decidimus, hoc etiam casu locum habent, & ad illum applicanda sunt. † Probatur, quia verba illa moyennant ce, seu his medianibus, important conditionem: ex traditis per Bart. in l. 1. numer. 35. de condit. & demonstr. quia ablatiui absoluti conditionem continent. l. à testatore. ff. de condit. & demonstr. Pacif. decis. 293. numer. 3. † Vel saltem important modum, & per consequens modo non adimpleto, datur actio contra debitorem, aut eius heredem; & si excipiat de cessione, replicabitur de dolo non adimplentis conditionem. Griuel. decis. Dolan. 111. num. 31. Thesaur. iun. lib. 2. quest. 88. numer. 5. Negusant. de pignor. 5. part. membr. 1. numer. 54. & part. 6. membr. 2. numer. 6. versic. sed dubitatur. † Et generale est, ut si cessio hoc casu non possit habere effectum, detur creditori cessionario actio in factum ad interesse ex contractu. Asin. de execut. §. 4. cap. 2. numer. 2. 3. & 4. & §. 7. cap. 290. num. 3. & cap. 277. num. 1.

Quarta Conclusio. Quamuis nulla facta fuerit promissio euictionis, tamen cedens tenetur erga cessionarium, si debitor cessus non erat soluendo tempore cessionis. Hæc conclusio est notabilis, & pauci ad eam aduertunt, sed probatur ex traditis per Gaspar. Roderic. de annuis reditibus. lib. 2. quest. 21. numer. 22. versic. si autem debitor. Vincent. de Franch. decis. 108. numer. 3. Anton. de Marin. d. cap. 42. num. 1.

Intellige tamen hoc procedere, quando creditor cessionem huius nominis minus idonei acceptauit ignoranter; secus est si sciuisset debitorem cessum non esse soluendo: ut probatur per text. in l. promittendo. 42. §. si à debitore. ff. de iur. dot. in verb. sciens. argumento à contrario sensu, & tenet Bart. in l. si cum dotem. §. mulier. & ibi Alexand. num. 4.

- num. 4. ff. solut. matrim. Barbof. in l. estimatis. num. 12. 11. ff. solut. matrim. † Vbi hoc intelligit si emptor nominis iustam allegauerit causam ignorantie. Roderic. dict. quæst. 21. num. 22. Vincent. de Franch. dict. n. 3. & 4. Costa, de facti scient. lib. 1. distinct. 44. in fin. Felician. de censib. tom. 2. lib. 2. c. 1. n. 13. versic. contrariū tamen. Censius, in tract. de censibus quæst. 72. n. 23. conclus. 1. in fin. versic. declaratur etiam.
13. Ampliatur dicta conclusio vt procedat, etiam si cedens aut vendens, seu in solutum dans nomen debitoris, ipse etiam ignoraret inopiam debitoris cessi: quia nihilominus cessionarius propter probabilem ignorantiam haberet regressum contra cedentem: quia cum debitor non sit soluendo, perinde est ac si nihil illi deberetur: & sic cum agat de lucro captando, potius emptori seu cessionario succurrendum est, qui agit de damno vitando: vt post Alex. dict. §. si mulier. in l. si cum dotem. num. 4. versic. sed ad hoc. notauit Barbofa dict. l. estimatis. § 1. num. 11. versic. ex quibus inferrur. ff. solut. matrim.
14. Quod autem supra diximus cessionarium tunc demum agere posse, si minus idoneum acceptauerit debitorem, quando allegat probabilem ignorantiam, in omnibus causis locum habet, præterquam in dote, in qua auditur maritus agere volens contra eum, qui dotis nomine non idoneum debitorem remisit; quamuis culposa fuerit eius ignorantia: per. text. in dict. l. promittendo. §. si a debitore. in verb. sciens. ff. de iur. dot. † Ratio specialitatis est, quia in causa dotis nulla captio admittitur, neque toleratur aliquem ex coniugibus cum damno alterius locupletari: quod explicat Barbof. dict. l. estimatis. numer. 11. in fin. & num. 12. ff. solut. Matrim.
16. Quinta conclusio. Quando vendens seu cedens nomen debitoris, promisit euictionem tam de iure quam de facto; tenetur præstare debitorem non solum verum, sed etiam idoneum facultatibus, & facilis exactionis: vnde siue de iure impediatur in exactione nominis, siue de facto propter insufficientiam debitoris cessi, seu propter impedimentum aliunde proueniens; datur regressus contra cedentem: quia videtur ipse proprio nomine se obligasse, & quasi nouum reditum constituisse in defectum solutionis per debitorem cessum faciendæ. Gasp. Roder. lib. 1. q. 8. n. 23. Giurb. decis. 117. n. 14. † vbi propterea concludit reditum non posse minoris emi, quando promissio euictionis de iure & de facto in contractu cessionis apposta est: quia emptor nullum periculum potest incurrere. Quod ego non ita generaliter verum intelligo; quia multa contingere aliunde possunt, propter quæ emptor, seu cessionarius periculum incurrere potest: veluti si ipsemet cedens non esset soluendo, aut quid simile.
18. Sed dubitatum fuit vtrum verbum (*garantir*), ad molestias seu impedimenta tam iuris quam facti referri possit? Ad vtrumque referre videtur Loyseau in tract. de la garantie des rentes, cap. 3. n. 15. & sequentibus. & numer. 17. quia nomen de *garantie*, significat euictionem. Thesaur. decis. 26. num. 14.
19. Contrarium verius est, nempe verbum *garantir*, simpliciter & sine alio adiecto appositum, solam iuris, & non facti euictionem continere; & sic nominis veritatem, non autem bonitatem respicere: vt tenet Castrenf. consil. 370. num. 2. volum. 2. quem citat Tusch. liter. C. conclus. 181. num. 6.
20. Nec quidquam facit in contrarium Loyseau dict. cap. 3. de la garantie des rentes, cum non loquatur de simplici dictione *garantir*, sed cum hac adiectione *garantir de tous troubles, & empeschemens*: quæ verba ad molestias, & impedimenta tam iuris quam facti referuntur.

Clausula verò Gallica, quæ vendens seu cedens censum promittit de *fournir, & faire valoir*; referenda est ad euictionem facti, & ad exigibilitatem nominis cessi; quia verbum *fournir* significat supplere quidquid deest: verbum autem *faire valoir*, significat præstare, & in se recipere periculum futurum, seu vt gallicè dicitur † *prendre à soy*, vt notat Loyseau, in dict. tract. 22. de la garantie des rentes, cap. 4. n. 1. & 11. & clausula illa est maioris efficacis, quam clausula de *faire auoir & tenir*, vt dicit idem Author, cap. 4. numer. 4. de dicta clausula, Louet litera D. num. 25. & ibi Adident. vbi plures alij DD. Galli citantur.

Multò magis operabitur hæc clausula, si addantur illa verba *fournir & faire valoir, tant en principal que arrerages*; Loyseau in d. tract. c. 5. n. 7. & 12. † Præsertim si addantur hæc verba, *tant & si longuement que la rente aura cours*: vt d. n. 12. & c. 6. n. 11. quamquam etiam cessante hac vltima clausula, sola promissio de *fournir & faire valoir*, includat promissionem bonitatis hypothecarum: vt dict. num. 11. in fine versic. *mais quand il n'y auroit*.

Sexta Conclusio. Promissio euictionis additæ clausulæ d'etre de bon & exigible debte, facit vt cedens teneatur de periculo nominis cessi. Scacc. de com. §. 2. glos. 5. n. 254. post Becci. consil. 105. n. 25. † Quia promissio exigibilitatis tunc tantum dicitur impleta, quando nomen tale est vt facile exigi possit. Bart. per illum text. in l. 1. in fin. ff. ad Macedon. Mantica. de tacit. & ambig. conuent. lib. 4. tit. 13. n. 11. Cost. de facti scient. centur. 1. distinct. 44. n. 7. & 8. Roderic. de ann. reddit. lib. 2. quæst. 21. n. 21. Censi. de censib. quæst. 72. n. 23. in 2. conclus. versic. Ampliatur hæc conclusio. † Neque dicitur nomen exigibile, si non sit facilis exactionis, & ideo si debitor obtinuerit saluum conductum, statim venditor tenetur erga emptorem nominis, aut si aliud superueniat impedimentum stante promissione exigibilitatis. Rot. Genuens. decis. 156. n. 10. versic. vltimo. Felician. de censib. tom. 2. lib. 2. c. 1. n. 14. Monach. decis. Bonon. 35. n. 3. & 19. Quia (inquit) non dicitur exigibile quod cum difficultate exigitur: † & licet bonum, & exigibile conuertantur; tamè fortior est significatio si vtrumque iungatur, promittendo nomen fore bonum & exigibile. Monach. d. decis. 35. n. 4. & 5.

Septima Conclusio. Promissio bonitatis nominis cessi simpliciter facta, intelligitur de bonitate habito respectu ad tempus cessionis. Cancr. lib. 2. variar. resol. c. 6. de solut. n. 176. in antiqua impressione. & 194. in noua ita vt si postea debitor cessus fiat non soluendo; periculum pertineat ad cessionarium. Becc. dict. consil. 105. num. 26. & 37.

Dixi de bonitatis promissione simpliciter facta: quia si adiciantur clausulæ habentes tractum ad tempus futurum, cedens tenebitur, si in futurum debitor cessus fiat non idoneus; veluti si cedens promisit nomen bonum manutene, quod facit vt bonitatis obligatio, etiã ad tempus futurum protendatur. Barz. decis. Bonon. 110. n. 20. Gratian. discept. forens. § 27. n. 1. §. & 7. † vbi dicit quod in vim illius verbi, venditor nominis tenetur ad illius bonitatem, tam ratione sortis, quam pensionum seu fructuum in futurum: cum nullus terminus sit obligationi præfixus. Censi. in d. tract. de censibus, qu. 72. n. 23. versic. præterquã. Felician. de censib. tom. 2. lib. 2. cap. 1. num. 16. versic. præterea.

Octaua Conclusio. Si vendens aut cedens, seu in solutum dans nomen debitoris, aut censum annuum promiserit, illum facere habere & tenere, *faire auoir & tenir*, videtur dicendum ipsum vigore huius clausulæ teneri etiã ad præstandam debitoris idoneitatem, & debiti exigibilitatem: cum in ea clausula non solum iuris, sed etiam facti impedimenta comprehendantur, & per consequens

- consequens exigibilitas : ex notatis supra hoc capite
33. num. 16. † Probatum conclusio ; quia in hac materia, tres termini diuersi considerandi sunt. Primus est promissio seu stipulatio *habere licere*, secundus est stipulatio seu promissio concepta per verba *habere & tenere*. Tertius, dum dicitur *habere & possidere*. Prima stipulatio refertur ad ius, & ideo solam iuris eni-
dionem continet : vnde si seruus qui ex persona sua iuris incapax est, stipulatus fuerit, sibi *habere licere*, inutilis erit stipulatio. Secunda concepta per verba *habere & tenere*, potius ad factum quam ad ius re-
34. ferenda est : eaque ratione † seruus qui facti incapax non est, potest sibi stipulari habere & tenere licere.
35. Tertia possessionis mentionem faciens, magis ambigua est ; si enim ad possessionem iuris referatur, non subsistit in persona serui ; si verò ad detentionem facti, valida est. Supradicta probantur per text. in l. *stipulatio ista*. 38. §. *si quis fortè*, & §. *hi qui*. & ibi Cuiac. & alij DD. ff. *de verb. obligat.* † Cum igitur verba illa *faire auoir & tenir* ad factum referantur, censetur in vim illorum verborum cedens promississe etiam euictionem facti ; si nempe cessionarius seu emptor nominis, ob insufficientiam debitoris, aut propter aliquod aliud factum impediatur in exactione nominis cessi.
37. In tertio verò casu ; si de sola possessione agatur, difficile existimo vt promissa videatur exigibilitas : quia ad iuris impedimenta promissio referenda videtur, quando verba illa proferuntur à contrahentibus,
38. tunc enim ad ius referenda sunt : † secus si à testibus rusticis, vel à statuentibus prolata essent, quia detentionem facti respicerent, & secundum communem modum loquendi essent intelligenda : vt distinguit Castrenf. in d. §. *hi qui*. n. 1.
39. Verum si additum fuisset quòd cedens promittit pacificam fruitionem, *de faire paisiblement iouir*, tunc existimandum est, promissam quoque euictionem facti, & remocionem impedimentorum quæ de facto emergere possunt : siquidem possessio pacifica sic intelligitur, vt cessent omnes controuersie & impedimenta, tam iudicialia quam extraiudicialia ; tã iuris quam facti. Mangil. *de euictionib. quest.* 33. n. 9. post Card. & Paul. de Eleaz. in *Clement. gratia. de rescript.*
40. Nona Conclusio. Promissio exigibilitatis nominis tribus modis fieri potest. Primò simpliciter, dum promittitur nomen esse exigibile, vel *estre de bon & exigible debte*, vel quid simile. Secundò, cum adiiciuntur verba tempus futurum respicientia, veluti si adiecta sit clausula, *De present & à l'aduenir*. Tertio, quando adiiciuntur verba temporis perpetuitatem denotantia, *De present & à l'aduenir à perpetuité*.
41. Primo casu procedunt tradita in septima conclusione ; secundo casu locum habent dicta *ibid.* n. 30. † Sed cum hoc temperamento, vt non censetur cedens aut vendens obligatus in perpetuum, de nominis cessi bonitate & exigibilitate ; sed durantibus aliquot annis arbitrio Iudicis : vt decidit Rota apud Cens. *tract. de censibus*, *decis.* 506. & 507. & *decis.* 476. † Vbi per solutiones factas per spatium duodecim annorum, & in alijs supra citatis per spatium duorum vel trium annorum, (quod tamen durum mihi videtur in censu annuo, qui sui natura perpetuus est) censetur adimpleta promissio exigibilitatis, tam ante quam post cessionem in obligationem deducta. Quia vt ibi dicitur n. 5. & 6. tractus temporis successiuus non est contra cedentis intentionem ad perpetuitatem trahendus.
43. Tertio verò casu, cedens eâ ratione ad perpetuam nominis cessi exigibilitatem adstrictus, tenetur in perpetuum absque vlla temporis limitatione. Felician. *de censib. tom. 2. lib. 2. cap. 1. num. 16. versic. præterea pe-*

riculum. Quod & tacitè videtur innuere Rota, *d. decis.* 476. *numer.* 6. vbi dicit non esse verisimile quòd venditor voluerit se obligare ad exigibilitatem nominis cessi in perpetuum, & per consequens subsistere illius obligationem, si perpetuam nominis exigibilitatem promiserit.

Decima Conclusio. Quamuis cedens, aut vendens 44. seu in solutum dans nomen debitoris, illius bonitatem promiserit ; tamen ab hac obligatione liberatur, si cessionarius non docuerit se debitas fecisse diligentias aduersus debitorem cessum. Cens. *lib. 2. variar. resol.* c. 6. *de solut.* n. 169. aliàs. 184. *Mastril. decis.* 179. *numer.* 5. Gaspar. Roderic. *de ann. redit. lib. 2. q. 17. num. 33.* Menoch. *d. consil.* 778. *num.* 3. Anton. de Marin. *d. cap.* 42. *num.* 5. & 6. † Et id admittunt etiam 45. DD. Galli in terminis clausulæ *de fournir, & faire valoir* ; vel etiam *de payer par soy mesme* : Loysseau in *d. tractat. de la garantie des rentes cap. 8. num.* 10. hoc idem tradit Mornac. in l. *quod te. ff. si cert. petat.* Louet. *d. luera F. num.* 25. & ibi Addent. per text. in l. *decem.* 116. ff. *de verb. obligat.* ibi à Mauio ante excussum Titium non rectè petetur. † Et tenet non suffi- 46. cere quamlibet diligentiam ; sed præterea requiri solemnem substationem bonorum debitoris. Cyriac. Niger. *controu.* 476. n. 5. & 374. n. 28. & *controu.* 110. n. 7.

Tenetur etiam interpellare cedentem, vt veniat ad 47. defendendum, eique litem denunciare. Cyriac. *d. controuers.* 374. n. 29. & *sequentib.*

Intellige, nisi per instrumentum cessionis fuerit cessionario remissum onus denunciationis, per text. in l. *Herennius. ff. de euiction.* Gomez. *tom. 2. c. 2. de empt. & vendit.* n. 39. *column. 4. versic. item addo quòd ista necessitas.* Trentacinq. *var. resol.* 4. *de empt. & vendit.* n. 7. Mascard. *de probat. conclus.* 615. *num.* 19.

Imò quando cessionarius agit actione cessa, non 49. esse necessariam denunciationem, tenet Rebuff. in *constit. Regias, tom. 3. tit. de dilat. artic. 5. glos. vnica, n. 42.* Tusch. in *verb. Euictio. conclus.* 353. n. 63. Mangil. *de euiction.* q. 4. n. 54. & benè Decius, *consil.* 102. *Præstantissimè. per totum,* qui loquitur in casu quo veritas & bonitas nominis promissa fuit : rationem reddens, quia cessionarius fuit effectus procurator in rem suam, & potest intentare directas actiones ex persona domini ; quia cum sit cessionarius ab eodem cedente causam & agendi potestatem habens ; ipse cedens videtur præsens fuisse in iudicio per cessionarium ex illius persona intentato : & ideo non est opus alia denunciazione.

Idem dicendum est nempe cessionarium non teneri 50. facere aliquas diligentias, vel denunciations ; si docuerit quòd si illas fecisset, fuissent inutiles. Cyriac. *controu.* 321. n. 83. Capell. Tholos. *decis.* 256. *propè finè, versic. ergo effectus.* Rimin. iun. *consil.* 42. n. 69. Burat. *decis.* 106. n. 19. *repetita in recent. decis.* 676. n. 11. p. 2.


Cæterum conclusio ista intelligenda est, vt proce- 51. dat in suis terminis, nempe quando promissum fuit nomen fore bonum, aut debitorem idoneum, vel hypothecas sufficientes ; secus tamen erit, si præterea cedens promiserit fore exigibile ; tunc enim exactionis facilitas promissa censetur, & propterea non cogitur cessionarius vt tot diligentias : vt diximus supra hoc eodem cap. n. 26. & *sequentib.*

Vndecima Conclusio Si cessionarius nominis fue- 52. rit in culpa, veluti si dum poterat exigere non exegit, & postea debitor cessus, factus fuit non soluendo, seu minus idoneus ; ipsi debet imputari : nec habebit regressum contra cedentem, cui culpa cessionarij nocere non potest. Cyriac. *controu.* 110. n. 7. Thesaur. iun. *lib. 4. quest. forens.* 10. *num.* 8. Menoch. *consil.* 778. n. 4. Rayn. *consil.* 45. *num.* 5. *lib.* 5. † Et in materia euictionis, si culpa illius interuenerit, qui alioquin agere 53. de

de euictione potuisset, cessabit actio. l. si rem quam. §. si dupla. & l. si mancipium. ff. de euict. Mangil. de euict. quæst. 104. n. 18. & in nostris terminis ostendit Decius consil. 105. num. 25.

- Pro Coronide aduertendum est, magnam esse controuersiam inter cedentes, & cessionarios occasione annuorum reddituum cessorum super Communitatibus, quæ fuerunt declaratae insufficientes, & non solum obtinuerunt reduci census, & sortem ad minores summas; sed etiam ex speciali Regis edicto creditores summæ reductæ solutionem in bonis capere coacti sunt, prætendentibus cessionariis immunitatem aduersus cedentes, vigore clausularum in instrumentis cessionis contentarum. Quibus tamen Respondetur per cedentes, dictas reductiones, nec non solutiones in bonis ordinatas fuisse à Rege Christianissimo: imò & in nonnullis, sed paucis Communitatibus Comitatus Venayssini: veluti in loco de Pilles, & de Intercalis, à summo Pontifice supremo Principe nostro, quorum voluntas numeratur inter casus fortuitos: † Ideo non esse locum euictioni, cum casus contigerit post venditionem seu cessionem nominis redditus: ex l. Lucius. ff. de euictionib. Mangil. de euict. quæst. 200. num. 30. & sequentibus. † Maxime cum emptores seu cessionarij non habent ius à Principe mediata, vel immediate; & sic multò magis locus sit dispositioni dictæ l. Lucius. † Quæ non procedit in eo, qui ius ab ipso Principe habet: vt dicit Peregr. de iur. fisc. lib. 5. tit. 2. num. 69. qui ita intelligit decis. Olfaci 48. cuius etiam meminit Rota Auen. decis. 133. num. 12.
57. Et præsertim cum edictum Regium fuerit factum ex mera gratia, & plena Principis potestate, vt supponitur; Pute. decis. 381. lib. 3. sequitur Mangil. in dict. tract. de euiction. quæst. 17. num. 8. & 11. Caualler. decis. 618. num. 23. Burat. decis. 106. num. 13. & 25. Rota decis. 699. n. 2. part. 3. recent. & in propriis terminis edicti Regij, Thesaur. iur. dict. lib. 4. qu. 10. num. 5. & per totam.

Sed quia lis pendet adhuc indecisa circa hanc quæstionem, & maxime quia illius determinatio & vera resolutio dependet ex variis facti circumstantiis, & ex verbis ac clausulis contractuum: ex quarum clausularum diuersitate, diuersimodè iudicatum vidi; ideo nihil etiam quoad hoc caput determinandum existimaui.



CAPVT. L.

De electione vnus ex pluribus alicui testamento commissa, ad materiam l. vnum ex familia. ff. de legat. 2. Vtrum grauatus de restituendo liberis, possit vnum ex illis eligere in præiudicium aliorum. Quomodo in hoc differant fideicommissum prohibitorium, & restitutorium. Promissio de eligendo habetur pro vera electione. Quid de verbis volo eligere, aut verbis enunciatiuis, aut de simplici mandato alicui facto ad eligendum, vtrum hæc vim veræ electionis habeant. Per generalem institutionem hæredis, vel donationem, censi factam electionem. Donatio simpliciter

facta ab eo, qui eligendi commissionem habebat, vtrum censeatur facta de propriis bonis; an verò de bonis in quibus cadebat eligendi facultas. Quid si donauerit cum clausula à prendre sur tous biens. Electus non potest ab eligente grauari, nisi in fauorem eligibilium aut nisi electo bona alia sua propria æquivalentia relinquat; aut nisi in eius libertate positum sit, an eligere velit, vel non. Vxorem per transitum ad secundas nuptias non priuari eligendi facultate. Electionem tempore mortis faciendam præueniri non posse in præiudicium tertij, & ex quibus coniecturis facultas eligendi ad tempus mortis ipsius electoris relata censeatur.

S V M M A R I V M.

- 1 Grauatus de restituendo liberis, non potest vni totum relinquere, sed omnibus restituere debet; nisi eligendi facultas sibi concessa fuerit.
- 2 Emphyteusi alicui concessa pro se, & filiis; pater non potest renunciare in præiudicium liberorum.
- 3 Pater non potest feudum vni filiorum prælegare, quia ius illud morte finitur.
- 4 Pater non potest disponere in præiudicium proximorum, aut aliorum qui sub nomine collectiuo vocati sunt.
- 5 In fideicommissio prohibitorio fauore familie locus est gratificationi aliquorum de familia; secus est in restitutorio.
- 6 In parlamento Tholosano indicatur, vocatis liberis, patrem vnum aut plures ex ipsis eligere posse.
- 7 Promissio de eligendo vim effectualis electionis obtinet.
- 8 In electione nihil agendum superest, statim ubi facta est animi declaratio.
- 9 Promissio de donando vim habet donationis.
- 10 Virum ex promissione de donando sola personalis actio, an verò etiam ad rem donatam tradendam oriatur.
- 11 Verba illa volo eligere vim vera electionis habent.
- 12 Verbum, volo, in quibus casibus habeat vim disponendi.
- 13 Verbum volo, vim habet disponendi & eligendi, quando ex certa animi deliberatione prolatum est.
- 14 Verbis enunciatiuis expressa voluntas an sufficiat ad inducendam nominationem, seu electionem.
- 15 Quoties ex facti circumstantiis apparet de voluntate deliberata eligere debentis, electio habetur pro facta.
- 16 Mater que habet facultatem eligendi vnum ex liberis, vtrum constituendo procuratorem ad eligendum censeatur elegisse.
- 17 Mandatum nihil prodest, nisi probata illius effectuatione.
- 18 Mandatum solum ad nominandum habet vim nominationis, si illud faciens demonstrauit determinatam eligendi voluntatem.

- 19 Per generalem haredis institutionem, electio facta censetur.
- 20 Quando alicui permittitur de aliqua re disponere, si res illa sub generali dispositione comprehendendi possit, censetur etiam comprehensa in generali haredis institutione.
- 21 Per donationem vniuersalem censetur quis elegisse in vim facultatis eligendi sibi concessa.
- 22 Simplex vsufructuarius disponendo non censetur nominasse, seu elegisse per generalem haredis institutionem.
- 23 Donatarius vniuersalis habetur loco haredis.
- 24 Virum is, qui habet facultatem eligendi, si simpliciter donauerit, censeatur potius donare de proprio, quam de bonis circa quae cadebat electio.
- 25 Alienata titulo lucratio, per eum qui habebat facultatem eligendi, non imputantur in legitimam, super bonis ipsius electo debitam.
- 26 Contrarium tamen verius est, vt donatio censeatur facta de bonis propriis donantis.
- 27 Hoc tamen non procedit si in contrarium adsint coniectura.
- 28 Si donator dixerit se donare certam rem, vel summam à prendre sur tous les biens, vtrum censeatur donasse de bonis propriis tantum.
- 29 Ius eligendi includitur in bonis illius cui competit electio.
- 30 Donatio facta per aliquem de bonis suis comprehendit omnia per eum possessa.
- 31 Bonorum meorum appellatione continentur omnia quae ego possideo.
- 32 Si pater filio medietatem bonorum suorum donauerit: deinde alteri filio tertiam partem, reseruato sibi semper vsufructu; tertia pars computanda est ponendo in globo medietatem donatam.
- 33 Qui habet eligendi facultatem electum grauare non potest.
- 34 Electus non habet ab eligente, sed à mandante fieri electionem.
- 35 Electus grauari potest ab eligente in fauorem aliorum eligibilium.
- 36 Ius patronatus erga liberos aequaliter pertinet ad omnes liberos, & tamen pater illud vni relinquere potest.
- 37 Grauat de eligendo potest electum onerare, si illi bona propria relinquat in compensationem.
- 38 Pater potest filium grauare in legitima relinquendo illi alia bona aequalentia.
- 39 Acceptando hereditatem sine inuentario electus tenetur ad onera sibi per eligentem imposita.
- 40 Electus hares ab eligente institutus, si confecerit inuentarium non tenetur ad onera sibi per eligentem imposita, nisi pro rata lucri.
- 41 Quando testator posuit in voluntate alicuius, vt possit eligere vel non eligere, tunc electus ab eo grauari potest: & ad hoc expenditur text. in l. vtrum. 8. §. cum quidam. ff. de reb. dubiis, num. 42.
- 43 Verba denotantia potestatem relata ad haredem, non inducunt necessitatem electionis.
- 44 Quando libertas eligendi vel non eligendi alicui data est, tunc electus dicitur habere ab eligente, non à testatore.
- 45 Verbum rogo inducit necessitatem electionis, vel restitutionis.
- 46 Mater transiens ad secunda vota, non amittit facultatem eligendi.
- 47 Dispositio leg. hac edictali, Cod. de secund. nupt. non comprehendit ius eligendi.
- 48 Grauat de eligendo tempore mortis, non potest eligere ante mortem.
- 49 Si electus in vita sit mortuus ante eum qui moriens eligere debet; electio nulla redditur.
- 50 Electio tempore mortis facienda, si fuerit facta in vita, confirmatur morte, nisi fuerit renouata.
- 51 Dispositio relata ad tempus mortis, est condicionalis.
- 52 Qui habet facultatem eligendi, tenetur sequi voluntatem testatoris etiam tacitam.
- 53 Grauamen de eligendo, censetur ex coniecturis relatum ad tempus mortis; quamuis testator id expressè non dixerit.
- 54 Variè referuntur coniectura, ex quibus onus eligendi relatum censetur ad tempus mortis.

MVLTA quotidie occurrunt difficultates circa electionis & nominationis facultatem, haredi testamento datam: quarum praecipuas hinc adducere, & paucis resolvere non incongruum existimaui.

In primis igitur aduertendum est haredem grauatum pluribus personis restituere, veluti liberis aut aliis incertis ex certo genere personarum non posse vnum ex liberis, aliisque sub nomine collectiuo vocatis eligere, sed omnibus substitutis restituere teneri, nec remotiores in praedictum eorum qui anteriorem gradum obtinent nominare. Probat per text. in l. heredes mei. 57. §. pero à te. ff. ad Trebellianum, in illis verbis, Propter gradus fideicommissi praescriptos: & in l. cum ita 33. §. in fideicommissio. ff. de legat. 2. ibi, qui ex his primo gradu procreati sunt: & in l. fin. & ibi DD. Cod. de verb. signif. & probatur in cap. 1. ibi, nulla defuncti ordinatione valente, de success. feud. vnde Bald. & Angel. in l. apud Iulianum. §. si quis alicui. ff. de legat. 1. dicunt; † Quod si conceditur emphyteusis alicui pro se, & filiis; pater non potest renunciare in praedictum filiorum. Idem Angel. & Bart. in l. Item videndum. §. nunc videamus. ff. de petit. hared. vbi referunt Iacob. Butrigarium confuluisse, † quod pater vni filiorum non possit feudum praelegare; quia ius quod pater habet, eius morte finitur. Idem Bartol. in l. iurisiurandi. §. liberis ff. de operis libert. & facit à simili text. in Authent. lucrum Cod. de secund. nuptiis. & in l. mater. Cod. ad Tertull. & ne per argumenta procedamus vbi adsunt decisiones punctuales, hoc ita determinat Pereg. consil. 53. num. 12. lib. 1. vbi dicit † patrem non posse vllomodo disponere in praedictum proximorum, qui sub nomine collectiuo liberorum, aut alio simili vocati sunt: nec posse remotiorem aut parem praeferte vocatis. Et in tract. de fideicom. artic. 14. num. 7. versic. at secus est. & in consil. 38. num. 1 volum. 3. consil. 113. num. 1. volum. 4. Mantica de coniect. lib. 8. tit. 12. num. 42. Castrenf. consil. 383. num. 1. volum. 1. Card. Tusch. litera L. conclus. 78. Ioan. Anton. Bellon. consil. 1. num. 32. iuncto num. 37. & 59. Fufar. de substi. quaest. 380. num. 1. † Qui omnes distinguunt inter fideicommissum prohibitorium, quo videlicet bonorum alienatio extra familiam prohibetur; & restitutorium, quo demandatur restitutio facienda certis gradibus aut personis. Primo quidem casu, fatentur posse grauatum haredem testari, aut alio modo disponere in fauorem remotiorum de familia, vel vnus ex proximioribus, caeteris exclusis. At in secundo casu concludunt omnes eiusdem gradus aequaliter esse admit-

- tendos, nec posse remotiorem nec parem in gradu cæ-
6. teris vocatis præferri. † In parlamento tamen Tholosano aliter iudicatur, nempe patrem qui grauatus est liberis restituere, vnum ex illis eligere posse, ex Maynard. *lib. 6. cap. 3.* d'Oliue. *lib. 5. cap. 14.* Ferrer. ad Guid. *decis. 184.* Barry, *de success. lib. 8. tit. 8. quando ex pluribus, &c. num. 2. fol. 310.*
 7. Secundo loco aduertendum est promissionem de eligendo, vel nominando factam per eum, cui eligendi potestas concessa est; haberi pro vera & effectuali nominatione. Quia licet verum sit promissionem de vendendo, de locando, & similes, non habere vim veræ emptionis vel locationis, idemque in
 8. similibus contractibus obtinere. † tamen in contractibus electionis aliud statuendum est: quia in aliis per promissiones nihil actum est, nisi accedat vltèrius conuentio & mutuis vtriusque partis consensus; in electione verò quæ ex sola eligentis potestate dependet, statim declarata voluntate, resultat effectus electionis; cum nihil substantiale faciendum superfit: vt bene declarat Cancer *lib. 3. variar. resol. cap. 7. num. 126.* † Sicut promissio de donando, vim habet donationis. Cancer. *ibidem, num. 125.* non quidem ad effectum vt transferatur dominium; sed ad producendam actionem personalem contra promittentem. Ludouic. *decis. 98. num. 6.* † Quanquam &
 10. actionem præcisam hoc casu dari ad rem promissam nonnulli existiment: vt testatur Christoph. Mart. Medic. *examinat. 5. num. 15.* quo in capite fusè explicat quid intersit inter promissionem de contrahendo, & contractum ipsum.
 11. Si autem quis simpliciter dicat volo eligere Titium ad talem hæreditatem, vtrum hæc verba vim veræ electionis habeant? affirmatiuè respondendum est: vt notauit Castill. *lib. 2. controuers. cap. 26. numer. 88.* & Sanchez. *de matrim. lib. 6. disput. 22. numer. 7.* & 8. † Quo loco bene explicat quibus in casibus, verbum *volo* habeat vim dispositionis: quod etiam pluribus exponit Rip. *in l. serui electione. num. 17.* & sequentibus. ff. *de legat. 1.* Caldas. *de emphyt. part. 2. quaest. 1. numer. 12.* & sequentibus. † vbi id duntaxat admittit, dum ex facti circumstantiis apparet verba illa *volo nominare*, prolata fuisse cum animi deliberatione, & cum deliberata voluntate; non autem ex primo animi impetu: quod
 14. existimo esse verissimum. † Idemque verum est, si voluntas nominandi, verbis enunciatiuis expressa fuerit: vt idem Cald. *loc. citat. numer. 33.* & multis sequentibus copiosè demonstrat; vbi explicat quando & quibus in casibus verba enunciatiua disponant.
 15. † Ego autem existimo æquum Iudicem omnia ex facti circumstantiis arbitrari debere, vt quoties de deliberatione animi eligere debentis constiterit, electio pro facta habeatur; cum animus non ex verbis rantum, sed ex factis quoque colligatur. Castill. *dict. lib. 2. cap. 2. num. 67.* & multis seqq.
 16. Sed fuit dubitatum aliàs, vtrum ex eo quòd mater quæ sibi in contractu matrimonij potestatem eligendi vnum ex liberis sibi reseruauerat, censeretur elegisse per constitutionem procuratoris ad eligendum: † Dubium ex eo petebatur, quia mandatum nihil prodest nisi probata illius effectuatiue: Rip. *in cap. cum Ecclesia Sutrina. numer. 92.* & 93. *versic. quintò requiritur. de caus. possess. & propr.* Rota, *decis. 560. num. 2. part. 3. recent.* † Sed tamen Respondi, mandatum illud vim electionis habere: quia in eo mater expressè declarauerat se velle filium nominare, & talem esse suam intentionem & verbis & factis demonstrauerat: & ideo cessabat omnis difficultas, ex traditis supra, *num. 11.*

Tertio notandum est; eum, cui eligendi facultas data est, fatis elegisse, & facultatem eligendi ad actum deduxisse, si personam eligibilem generaliter hæredem instituerit. Probat per text. *in l. vnum ex familia. §. si duos. ff. de Legat. 2.* †

Quia quando alicui permittitur, vt de re aliqua disponere possit, si res illa comprehendendi possit sub generali dispositione, tunc generaliter disponendo, censetur etiam de re illa disposuisse. Menoch. *consil. 21. numer. 67.* & *consil. 1154. numer. 6.* Boër. *decis. 204. numer. 32. versic. & ideo.* Et hæc sententia, quòd per generalem hæredis institutionem censetur facta electio ab eo, qui ad id potestatem habebat, verior est & receptior; ac in praxi approbata: quidquid senserit in contrarium Socin. *sen. consil. 92. num. 23. volum. 3.* vt probat Paris. *consil. 72. num. 62.* & 63. *volum. 3.* Peregr. *de fideicom. artic. 40. n. 57. vsque ad 60.* Menoch. *consil. 1130. num. 15.* Fufar. *de substit. quaest. 444. num. 8.* & *quaest. 550. num. 10.* & *quaest. 507.* Caldas, qui ad hoc bene inducit text. *in dict. l. vnum ex familia. §. si duos.* post Bart. *ibidem, numer. 3.* in tract. *de nominat. emphyt. lib. 2. quaest. 7. numer. 1.* Didac. à Segura, *in dicta l. vnum ex familia. §. si fundum. numer. 154.* Ioseph. de Sese, asserens ita decisum in Senatu Aragoniæ. *decis. 53. numer. 6.* & 7. Fontanel. *decis. Catalonia. 172. numer. 24.*

Eodem modo is qui facultatem habet eligendi, fatis dicitur potentiam illam deduxisse ad actum per donationem inter viuos, vel causa mortis vniuersalem, in fauorem alicuius personæ eligibilis factam: Fontanel. *decis. 467. numer. 6.* & sequentibus. & in tract. *de pact. nuptial. class. 4. glos. 5. numer. 64.* Fufar. *consil. 129. num. 1.* quidquid contradicere videatur, numer. 3. qui numer. 4. † hanc opinionem nostram locum non habere concludit, quando habens facultatem eligendi erat simplex usufructuarius; quia disponendo non censetur disposuisse, & electionem fecisse ratione bonorum, quorum nudum habebat usufructum. Eandemque sententiam, quòd electio censetur facta, dum eligendi facultatem habens bona sua donauit personæ eligibili; tenuit & comprobauit Cald. *de nominat. emphyt. dict. cap. 2. numer. 1.* Et sanè non videtur constituenda differentia inter donationem vniuersalem, & hæredis institutionem: † Quia donatarius vniuersalis loco hæredis est; ad tradita in *l. aris alieni.* & *ibi Bald. Cod. de donat. Tusch. litera D. conclus. 651. num. 12.* Cost. *de remed. subsid. 108. num. 15.*

Sed quæsitum fuit vtrum pater, vel alius, qui eligendi facultatem habet, simpliciter donando certam pecuniarum quantitatem, vel certa bona, censetur id fecisse animo donandi de proprio; vel potius donatio illa personæ eligibili facta censetur animo eligendi; & sic non de bonis propriis, sed de bonis super quibus exerceri poterat facultas eligendi? Quætionem istam in vtramque partem disputauit Crot. *in l. filiusfam. §. diui. numer. 16. in 4. conclus. ff. de legat. 1.* aduersus Socin. *in l. Marcellus. §. res qua ff. ad Trebell.* qui voluit † alienata titulo lucratiuo in personam eligibilem, censeri translata in vim facultatis eligendi; non de bonis propriis donantis, seu titulo lucratiuo alienantis: ideo non imputari in legitimam super bonis ipsius debitam. † Sed contrarium optimis rationibus comprobatur Crot. *ibidem*, nempe censeri factam donationem de bonis propriis; & ideo imputari in detractiones super bonis donantis. Sequitur Peregr. *de fideicom. artic. 39. n. 10.* Māgil. *de imput. qu. 136. n. 58.* Videndus tamen & examinandus est in hac materia

Sfort. Odd. *de prohib. alienat. quest. 34. numer. 106. & seqq.*

27. Hæc disputatio locum habet, quando donatio simpliciter facta fuit; secus si in contrarium adsint coniecturæ; veluti si donator qui post mortem restituere debebat, donat ante tempus restitutionis personæ eligibili, reseruando sibi vsumfructum: in quo casu Fontanel. *decis. 38. num. 7.* voluit restitutionem non censi factam in vim electionis, cum donator non restituat, nec aliquid donet iuxta formam electionis, quæ exigebat totalem abdicacionem bonorum, absque reseruacione. Sed tamen è contra dici potest, quòd ratione proprietatis quam ex tunc donator transfert, videtur facta electio anticipata, morte postea confirmanda: ideo super hoc cogitandum.
28. Cæterum, si donator personæ eligibili dixerit se donare talem rem vel summam capiendam de bonis suis, à prendre sur tous ses biens, vtrum censeatur donasse de bonis propriis, vel de bonis super quibus cadebat eligendi facultas.
- Respondi donationem intelligi factam, tam de bonis electioni subiectis, quam de bonis propriis. De illis quidem in subsidium, quatenus propria non sufficiant. De istis verò, primò & principaliter.
29. Quia verba illa à prendre sur tous ses biens, includunt ius illud nominandi seu eligendi, quod includitur & continetur in bonis illius cui competit electio. Menoch. *consil. 210. num. 32.* Fusar. *de substit. quest. 550. num. 13. 14. & 16.*
30. Præterea cum donator tempore donationis collatæ in personam eligibilem, nullam adhuc electionem fecisset; imò bona in quibus cadebat electio essent permixta cum propriis ipsius bonis, quibus tunc actualiter fruebatur; dum de bonis suis loquutus est, omnia quæ tunc per eum possidebantur in tali sermone comprehendebantur; quamuis illorum medietas fideicommissio supposita esset in fauorem personarum eligibilium. Menoch. *lib. 4. præsumpt. 197. num. 19. & 20.* † Bonorum quippe meorum appellatione intelligo, non illa solùm quorum ad me spectat plena proprietas irreuocabiliter, sed ea quoque quibus fruor, & quæ possideo: *l. meorum. & ibi DD. ff. de verb. signif.* intelligendo tamen vt infra *cap. 74.*
31. † Vnde si pater filio medietatem bonorum suorum donauerit, reseruato sibi vsumfructu; deinde verò alteri filio tertiam partem bonorum suorum etiam donauerit: computanda erunt in calculo illius tertie partis bona primo loco donata, quæ bonorum suorum appellatione continentur; cum donator tunc temporis illorum fruitionem, & possessionem obtineret. Bertrand. *consil. 153. num. 2. versic. que si ita se habeant; volum. 3. part. 2.* quem citat & sequitur Barry, *de success. lib. 2. tit. vlt. in fin.* Ex eo quia reuocatio vsumfructus, differt executionem vsque ad mortem donantis; & sic bona primo loco donata videntur adhuc esse in bonis illius. Menoch. *consil. 1006. num. 57. 58. & 59.*
32. Quartò hoc etiam sciendum est; hæredem, cui vnus ex liberis, aut ex aliis incertis personis, ex certo tamen genere eligendi commissio data est, electum regulariter grauare non posse. † Ratio est, quia electus non habet ab eligente, sed à mandante fieri electionem. *dict. l. vnus ex familia. §. si fundum. & §. si de falcidia.* Ibi, qui quod reliquit, omnino reddere debuit. Gomes. *in l. 40. Tauri num. 49.* Molin. *de primogen. lib. 2. c. 4. n. 10.* Fusar. *de substit. quest. 507. num. 5.* cum ibi citatis.
33. Dixi regulariter, quia nonnulli sunt casus in qui-

bus is qui eligendi potestatem habet, electum grauare potest. Et primò quidem, si grauamen iniunctum sit in fauorem aliorum quos grauatus eligere potuisset: quia sicut poterat totum vni, vel totum alteri relinquere, ira potest eum, cui relinquit, in fauorem alterius cui totum relinquere poterat onerare. Bart. *in dict. l. vnus ex familia. §. si duo. num. 2. de legat. 2.* Bereng. Fernand. *De matrimon. ad morgant. contract. cap. 9. num. 4.* Ferrer. ad Guid. Pap. *decis. 84. Cancr. lib. 3. cap. 7. de pact. num. 119.* Duran. *decis. 171. num. 9.* † Idque adinstar iuris patronatus erga libertos, quod licet æqualiter ad omnes liberos pertineat, illud tamen pater vni duntaxat ex liberis suis assignare potest: vt notauit Ferrer. *loc. citato ex l. 1. ff. de assignat. libert.* Idem quod supra tenet Boër. *decis. 204. num. 33.*

Secundò, grauatus de eligendo, potest electo onus & grauamen indicere, si multa bona propria & acquisita grauato reliquerit, quæ oneri imposito æquiualeant; tunc enim electus voluntatem eligentis seu nominantis adimplere tenetur, ne bona propria sibi ab eligente relicta amittat: text. est in *dict. l. vnus ex familia. §. sed si fundum.* ibi, dixi ita demum peri posse, si præterea tantum ei relictum sit, quod fundi pretium efficiat: & ita decisum est apud Gamam. *decis. 70. numer. 2.* Cald. *de emphyt. lib. 3. cap. 17. numer. 6.* † sicut aliàs videmus, quòd licet onus de legitima ipso iure remoueatur; tamen si pater filio bona oneri æquiualentia reliquerit, grauamen tenet. Gomes. *lib. 1. variar. resol. cap. 11. num. 24.* Et donator licet perfectâ donatione grauamen super bonis donatis imponere non possit, tamen grauamen subsistit, si donator donatario bona æquiualentia reliquerit: † præsertim si ipse onus acceptauerit, aut à donatore hæres institutus, hæreditatem sine beneficio inuentarij adiuerit. Castil. *lib. 3. controuers. cap. 10. num. 46. & sequentibus.* † Sed si hæreditatem donatoris, aut electoris, seu nominatoris electus cum beneficio inuentarij acceptauerit; poterit petere separationem bonorum, nec tenebitur nisi pro rata lucri, quod ab eligente vel donante consequetur. Cald. *de emphyt. lib. 3. capit. 17. numer. 6.*


Tertiò electus grauari potest ab eligente, quando testator vel donator eligentem non simpliciter adstrinxit ad eligendum, vel nominandum personas certas de incertis; sed in eius potestate posuit si vellet aut nollet eligendi facultatem: text. in *l. vtrum 8. §. cum quidam. ff. de reb. dub.* † cuius hæc sunt verba; cum quidam, pluribus hæredibus institutis, vnius fidei commississet, vt cum moreretur vni ex cohæredibus cui ipse vellet, restitueret illam partem hereditaris quæ ad ipsum peruenisset: verissimum est vtile fuisse fideicommissum; nec enim in arbitrio eius qui rogatus est positum est, an omnino velit restituere, sed cui potius restituat: plurimum enim interest an in potestate eius quem testator obligare cogitat, faciat si velit dare, an imposita necessitate dandi, distribuendi liberum arbitrium concedat: hæc sunt verba Iurisconsulti ex quibus apertè constat; † Quòd per verba donantia potestatem relata ad hæredem, non inducitur necessitas restitutionis vel electionis: quod etiam voluit Bart. *in l. fideicommissa §. si quis ita. ff. de legat. 3.* per text. in *l. sape. 8. ff. de offic. Præsid.* Peregr. *de fideicom. artic. 1. num. 49.*

Ideo in facti contingentia aliàs obtinui matrem potuisse liberos electos inuicem grauare; quia in testamento mariti non erat illi simpliciter iniunctum onus

- onus eligendi, sed illi data erat potestas & libertas disponendi ad libitum in fauorem vnus ex liberis ; ita vt ex lectura testamenti constaret ab eius voluntate pendere , vtrum vellet eligere , vel absque electione decedere : quo casu decisum fuit illam liberis electi
44. grauamen imponere potuisse : † cum non à patre testatore , sed ab ipsa matre eligente bona ad eos deuenirent : aliqua ita distinguit *Surd. consil. 29. num. 18. egregie Peregr. decis. 106. numer. 3. & de fideicommiss. artic. 32. numer. 33. circa medium ; versic. cuius sententia. Gabriel. consil. 132. n. 75. & 76. Fufar. quæst. 511. n. 2.*
45. Neque obstat text. in *l. fideicommiss. 11. §. hac verba. ff. de legat. 3. de quo textu Peregr. de fideicommiss. artic. 1. numer. 47. quia ibi testator vsus fuerat verbo Rogo : dixerat enim , Rogo fili , vt prædia quæ ad te peruenerint diligenter colas vt possint ad filios tuos petuenire, sed in casu proposito testator dixerat se velle vt vxor haberet libertatem, vt posset ad voluntatem suam disponere de bonis absque vllis verbis necessitatem importantibus ; cum tamen in alio casu , nempe si vxor ad secunda vota conuolaret ; præcisè verbis electionem vnus ex liberis fieri mandasset.*
46. Sed quid iuris si testator nullam de secundis nuptiis mentionem fecisset ; vtrum mater facultatem eligendi sibi datam amisisset ? Respondendum est non amisisse : quia per illam nominationem vel electionem nihil matri acquiritur ; sed est tantum nuda ministra : & ita determinat *Sanch. in tractat. de matrimon. lib. 7. disput. 88. numer. 15. † Et propterea si vxor donet marito vt restituat filio prioris matrimonij, non erit locus dispositioni, l. hac edictali. Cod. de secund. nupt. ideo quia maritus fuit tantum adhibitus tanquam nudus minister. Baldus, in d. l. hac edictali. n. 19. Salicet. n. 7. Cancer. lib. 3. variar. resol. cap. 15. n. 340. & 341.*
48. Quintò aduertendum est ; eum , cui eligendi potestas data est , & à testatore commissa , vt eligat tempore mortis ; non posse illud tempus præuenire : Ratio est quia ex hac præuentione electionis fieri posset præiudicium illis , qui tempore mortis superessent capaces electionis passiuæ. *Surd. consil. 264. per tot. † Et ideo si electus in vita, non esset in humanis , aut aliàs esset inhabilis tempore mortis illius , cui competeat electio ; non posset frui bonis in quibus fuit electus : quia electio ad tempus mortis collata redditur nulla, si ante tempus mortis facta fuerit.*
50. Verum est tamen , quòd si electio facta in vita non fuerit reuocata ante mortem eligentis , & electus fuerit habilis tempore mortis ; electio illa , quamuis nulliter facta , confirmatur morte eligentis. *Cald. de potest. eligen. lib. 3. cap. 2. num. 17. & eod. lib. 3. cap. 3. num. 15. & 16. Surd. d. consil. 264. numer. 27. Sed si fuerit eo tempore inhabilis propter incapacitatem, aut mortem, electio facta in vita nulla remanet : quia cum supponamus testatorem mandasse vt electio*
51. fieret tempore mortis , † dispositio illa ad tempus mortis relata conditionalis est ; & per consequens adimplenda in forma specifica. *l. qui heredes, & l. Manius. ff. de condit. & demonstr. vt tradit Surd. consil. 264. num. 45. versic. & quod septimò : Cyriac. controu. 209. numer. 49. Ruyn. consil. 24. numer. 9. volum. 2. † Vbi quòd habens facultatem eligendi tenetur sequi voluntatem testatoris etiam tacitam : quem citat licet corruptè alleget, *Castill. controuers. lib. 2. cap. 26. numer. 26. & 86. præmissis accedit Molin. de primog. lib. 2. cap. 4. numer. 36. versic. si in vltima voluntate. Rot. decis. 323. num. 2. versic. potuit autem reuocari. part. 1. recent.**

Cæterum, quamuis testator purè heredem grauauerit de eligendo ; tamen ex coniecturis restitutio seu electio ad tempus mortis referenda est : vt aduertit *Peregr. de fideicom. artic. 45. n. 2. & sequitur Fufar. de subst. quæst. 270. n. 12.*

Vnde aliàs restitutionem ad tempus mortis ex mente testatoris differendam esse iudicatum fuit ; quamuis verbis id expressum non esset : nam cum testator Ioanni , & Moneto , & eorum cuilibet certam pecuniarum quantitatem reliquisset post annum soluendam , non solum voluerat inuentarium per vxorem fieri ; & legata solui ; sed legatum etiam illud , cuius dies post annum veniebat , per vxorem solui mandauit : quod non poterat fieri si purè & statim post mortem liberis hereditatem restitui voluisset. Accedebat quòd restitutionem Ioanni & Moneto aut eorum liberis fieri mandauerat ; quod tractum temporis præ se ferebat : maximè cum illi nondum vxorem duxissent , & sic liberos legitimos habere non possent eo tempore ; vnde fideicommissi præstatio in aliud tempus dilata omninò fuit ; per text. in *l. fideicommissa. §. si filio. ff. de legat. 3. Accedebat denique declaratio voluntatis ex pluribus aliis coniecturis quas hîc consultò omittimus ; veluti ex dispositione posteriori per viam donationis ab eodem testatore facta : item & obseruantia subsequuta : ex quibus omnibus fuit declaratum electionem fuisse ad tempus mortis dilatam ; & per consequens inutilem propter mortem electi quæ euenit ante tempus electionis : vt superius probatum est.*



CAPVT LI.

Eum , cui vnus certi ex pluribus incertis eligendi seu nominandi commissio data fuit ; non solum vnum , sed etiam plures eligere posse ; & nullâ factâ electione , omnes æqualiter succedere ; lege testatoris voluntatem adimplente , & eligentis negligentiam supplente ; nisi agatur de re quæ apud electum perpetuò non sit permanens ; veluti de emphyteusi ad vitam concessa : aut si ex coniecturis constet de voluntate disponentis , quòd vnus duntaxat eligeretur ; ad quod sufficiunt coniecturæ , veluti sæpius repetita vnus vocatio in numero singulari : & hoc casu nullâ factâ electione ; non omnes , sed solus primogenitus admittitur. Qui liberos suos eligere debet vtrum possit eligere nepotes : Et vtrum nascituros : Quid de vocatione facta cum clausula *qui tunc erunt viuentes*. Factâ semel electione , licita est variatio si ante tempus facta sit ; secus si post aduentum diei vel conditionis appositæ. Quid si nominatio facta fuerit causa dotis ; an liceat variare & reuocare electionem. Quid si duo eligere debeant , & vnus elegerit ac mortuus fuerit , vtrum superuiuens variare queat.

S V M M A R I V M.

- 1 Qui eligendi facultatem demandatam habet, non solum unum, sed etiam plures eligere potest.
- 2 Si is qui eligere tenebatur nullam electionem fecerit omnes eligibiles aequaliter admittendi sunt.
- 3 Quamuis nulla facta fuerit electio per deputatum, remanet tamen valida dispositio.
- 4 Mandatario non eligente, lex eligit pro ipso.
- 5 Quando agitur de re qua apud eligendum non est perpetuo remansura, unus & non plures nominari seu eligi debent.
- 6 Unus & non plures eligendi sunt, quando constat testatorem seu disponentem noluisse ut bona sua diuiderentur, sed ad unum deuenirent.
- 7 Nulla electione facta, solus primogenitus admittitur, quando disponentis voluit bona sua ad unum, & non ad plures deuenire.
- 8 Voluntas disponentis quod unus solus eligatur, colligitur ex sapè repetita mentione persona eligende in numero singulari.
- 9 Primogenitus succedit, si bona ad unum deuenire debeant.
- 10 Si nulla eligendi data sit facultas, solus primogenitus succedit in bonis qua in plures portiones secari nequeunt.
- 11 Qui habet facultatem eligendi liberos suos, vel les enfans, non solum liberos primi gradus, sed etiam nepotes eligere potest.
- 12 Dictio enfans, aequipollet dictioni liberorum; & non solum masculos, sed etiam feminas comprehendit.
- 13 Nepotes eligi possunt, quamuis disponentis locutus fuerit de liberis suis, vel ex se descendètibz.
- 14 Idem, si disponentis mandasset eligi aliquem, vel eius liberos, vel si dixisset suos liberos, vel meos liberos.
- 15 Magna est differentia inter dictionem liberorum, & filiorum.
- 16 Filij differunt à liberis, tanquam species à genere.
- 17 Filiorum nomen est appellatiuum, liberorum verò collectiuum.
- 18 Quando electio in tempus incertum & futurum confertur, tunc non solum nati, sed etiam nascituri sunt eligibiles.
- 19 Si testator mandauerit eligi unum ex liberis, quem uxor capace magis iudicasset, eligi possunt nascituri: quia si de iam natis disponentis cogitasset, ipsemet elegisset, neque electionem fragili sua uxoris iudicio commisisset.
- 20 Quamuis disponentis retulerit verba sua ad liberos tunc viuentes, tamen ex coniecturis Rota Romana iudicauit referri debere ad postea natos.
- 21 Grauius de eligendo unum ex liberis, non potest eligere nepotes, quando verba dispositionis sunt relata ad primum gradum; vel liberi primi gradus sunt nominati nomine proprio.
- 22 Nepotes eligi nihil obstat, quamuis disponentis loquendo de liberis adiecerit verba suos vel meos.
- 23 Explicatur decisio Aragoniæ 64. apud Ioseph. de Sese.
- 24 Quando disponentis discretiue loquutus est de liberis, & de liberis liberorum; veluti si dixerit volo quod heres meus eligat unum liberorum meorum, & si liberi mei moriantur sine

liberis, &c. tali casu, liberis in electionis dispositione vocatis, non continentur nepotes.

- 25 Stante discretina locutione de liberis, & liberorum liberis, electio de persona nepotum facta nulla est, vti facta contra intentionem disponentis.
- 26 Quando unus solus ex eligibilibus superest, cessat electio, & ille solus succedit.
- 27 In electione rerum, an & quando licita sit variatio. Remissiue.
- 28 In electione personarum variatio licita est, quando commissio, seu mandatum de eligendo datum fuit in diem, aut sub conditione, si electio fiat ante diei vel conditionis euentum; si verò mandatum datum fuerit pure, facta semel electione, actus dicitur consummatus, & variatio licita non est.
- 29 Expenditur ad hoc text. in l. cum pater. 79. §. à filia. ff. de legat. 2.
- 30 Si electio facta fuerit ex causa dotis, sequenda traditio, cum promissione de non reuocando, variare non licet, & electio est irreuocabilis.
- 31 Sed si electus non sit in humanis tempore euenientis conditionis, quo fieri debet electio; ipsa pro non facta habenda est.
- 32 Si maritus & uxor, unum nominare debent ad bona paterna & materna, & maritus consentiente uxore unum nominauerit, non potest uxor variare post mortem mariti etiam quoad bona materna.
- 33 Quando pluribus eligendi facultas commissa est, vel reseruata; uno ex illis post factam electionem vita functo, superstes non potest variare, quia quando requiritur aliena voluntas, variatio debet fieri de consensu utriusque.

Continuando materiam præcedentis capituli: sexto loco aduertendum est, regulam generalem tradid; cum, qui eligendi facultatem habet, non modo unum sed plures etiam eligere posse: quia ad omnes personas eligibiles disponentis respexisse censetur æquali affectione. l. si quis testamento. 16. circa med. Cod. de fideicommiss. libertat. & in l. unum ex familia. §. si duos. ff. de legat. 2. vbi omnes. DD. † Et propterea nullam factam electionem, omnes eligibiles æqualiter succedunt. d. l. unum ex familia. §. rogo. l. cum pater. §. hereditatem, & §. rogo. eod. tit. de legat. 2. cum quidam ita. §. idem ait. l. si quis Titio. §. fin. ff. eodem tit. Roderic. Suarez, in repetit. l. quoniam in prioribus, in declarat. l. Regni, quest. 5. n. 1. † Et sic non redditur inutilis dispositio illius qui eligendi facultatem concessit; quamuis nulla facta fuerit electio. Surd. consil. 375. numer. 21. versic. & quamuis mandauerit. † Igitur eo cui electio demandata est non eligente, & mandatum non exequente, lex ipsa eligit & admittit omnes eligibiles, tempore & forma per testatorem præscripta. Cyriac. Niger, controuerf. 548. num. 64. iuncto num. 46.

Illam tamen regulam locum non habet, quando agitur de re qua non est perpetuo penes personam nominandam remansura, veluti si ageretur de emphyteusi ad certum & limitatum tempus vitæ alicuius concessa: dum enim agitur de re perpetuo ad personam nominandam remansura, non interest alicuius, siue vnus siue plures fuerint nominati: secus est si res non sit perpetuo apud eum reman-

remansura, quia tempus vitæ vnus, non est tempus vitæ alterius, & vita plurium longior est quam vita vnus: ideo interest substituti, imò & disponentis, pro conseruatione & executione voluntatis eiusdem, vnum & non plures nominari: quæ ratio cessat dum res apud electum perpetuò est remansura: vt explicat Gomef. lib. 2. *variar. resol. cap. 11. num. 7. in quarta conclus. versic. quam tamen sententiam* Steph. Gratian. *decis. Marchia* 135. num. 8. Alia ratione mouetur Cald. *de emphyt. lib. 2. quæst. 10. num. 31.*

6. Præterea regula illa locum non habet; imò vnus tantum, & non plures eligi possunt, quoties ex coniecturis apparet testatorem aut alium disponentem noluisse, quòd bona per eum relicta diuiderentur; sed apud vnum semper conseruarentur: vt dicit Imol. in *d. l. vnum ex familia. §. si duos. num. 16. versic. potes dicere quòd si ex coniecturis.* Molina, *de primog. lib. 2. cap. 4. num. 45. & 54. †* Quamobrem si testator aut alius disponens de vno senerit, non solum irritatur electio de pluribus facta; sed etiam si nulla electio facta sit, non admittuntur omnes vocati, sed vnus tantum: vt mox exponemus, & tradit Molin. *loco citato num 42.*
8. Voluntas autem disponentis in casu aliàs proposito, satis colligebatur ex iterata mentione vnus filij masculi nominandi: quia per octo vices facta fuerat mentio *d'vn fils male que seroit nomme.* cum tamen ex numeri singularis quadruplici repetitione; non plures, sed vnus duntaxat eligendum esse concludat Surd. *consil. 375. per totum, & maximè num. 16. & 25.* In eodemque casu consulens, & ad dubia respondens, ideim Surd. *consil. 369. num. 24. & sequentib. & num. 35. in fin. versic. præterea si inspecta.* Menoch. *consil. 1007. num. 15.* Addit. ad Molin. *de primogen. lib. 2. cap. 4. num. 45. & 46.* Fusar. *de substitut. quæst. 380. num. 5.* vbi etiam alias affert coniecturas; ex quibus colligi possit disponentem de vnus duntaxat electione intellexisse.
9. Obiicies, quid ergo fiet de istis bonis, si is qui facultatem habet eligendi, neminem nominauerit, aut plures contra disponentis voluntatem.
 Respondeo, solum primogenitum in his bonis succellurum: hæc enim ab omnibus recepta est conclusio; quòd quotiescumque electio non potest fieri nisi de vnus persona, primogenitus admittitur si nulla facta fuerit electio. Gabriel *consil. 85. num. 7. volum. 2. †* Aut si simpliciter dispositione aliqua caueatur bona ad vnum duntaxat deuenire debere; nullà datà alicui eligendi facultate censetur solus primogenitus vocatus. Roderic. Suar. *ad l. quoniam in prioribus. Cod. de inoffic. testam. ampliat. 10. num. 26.* Couar. *lib. 3. variar. resol. cap. 5. num. 3.* Guid. Pap. *decis. 467.* Peregr. *consil. 101. num. 8. volum. 4.* Surd. *d. consil. 375. num. 16. & consil. 369. num. 21.* Simon de Præt. *de interpret. ultim. volunt. lib. 3. interpret. 3. dubit. 4. solut. 3. & ultima num. 11. fol. mihi 224.*
11. Septimò decidendum est, vtrum si alicui data fuerit facultas eligendi liberos suos, possit eligere nepotes. Regula generalis est liberorum appellatione, vel etiam dictione Gallica collectiua *Enfans*, contineri quoque nepotes. *l. liberorum. ff. d. verb. signif.* Maynard. *lib. 5. cap. 51. num. 2.* Ludou. Bellus. *consil. 89. num. 12.* Charond. *aux memorables observations, in verb. Enfans.* Barry *in tract. de success. lib. 17. de condit. & demonstr. in tit. de condit. si sine liberis. num. 18. fol. 283.* & hæc verba non solum masculos comprehendunt; sed etiam fœminas: non per verborum interpretationem, sed ex propria verborum significatione. Mantic. *de coniect. lib. 11. tit. 14. num. 11.*

Coccin. *decis. 111. num. 10. & 480. num. 3.* Tusch. *litera L. conclus. 337. num. 1. & 2.*

Præmissa ampliantur vt procedant, etiam si disponens vsus fuisset dictione liberorum suorum; vel ex se descendendum; vt etiam in nomine *filiorum* tenuit Gratian. *discept. forens. 629. num. 12. & de dictione liberorum, Fusar. quæst. 327. num. 22.* Lud. Bell. *consil. 89. num. 9. 10. & 11.* Barbof. *de appellat. verb. cap. 130. num. 9. †* Idem si testator vocasset aliquem, & eius liberos, quòd eo non obstante descendentes in vltiori gradu sint comprehensi, cum non debeat fieri differentia inter nomen *eius*, & *suos*, vt tradit Menoch. *lib. 4. præsumpt. 70. num. 24. & 25.*

Fieri tamen debet differentia inter nomen *filiorum* & *liberorum*, nam nomen *filiorum* propriè fœminas non comprehendit; secus est de nomine *liberorum*, quod est nomen commune. Menoch. *lib. 4. præsumpt. 84. num. 25. & consil. 877. num. 16. & 17.*

Præterea filij à liberis differunt tanquam species à genere, & vocati sub nomine *filiorum*, dicuntur specialiter vocati; qui verò sub nomine *liberorum*, dicuntur vocati in genere. Tusch. *litera L. conclus. 337. num. 18. †* & nomen *liberorum* est collectiuum, *filiorum* verò appellatiuum, quod excludit nepotes. Lud. Bell. *d. consil. 89. num. 9. & 12.* Peregr. *de fideicom. artic. 19. num. 25. versic. vltimus autem. & num. 27. & consil. 40. num. 28. & 29. volum. 6.*

Et non solum nati continentur, & eligibiles sunt; sed etiam nascituri, quando electio in tempus futurum & incertum quod venturum sit, colliata est. Lud. Bell. *consil. 89. num. 15.* Rot. *decis. 162. num. 1. part. 6. recent.*

Idem dicendum est, si testator vxori mandasset de eligendo vnum ex liberis quem magis capacem iudicaret, ex quo colligitur ipsum suam dispositionem etiam ad nascituros retulisse: Quia si ad solos iam natos respexisset, ipsemet elegeret, nec fragili vxoris iudicio electionem commisset: vt in simili arguit Rota super testamento Illustriss. Domini Doyle *decis. 77. num. 22. versic. Quarta. parte 6. recent.* vbi est casus in fortioribus terminis: † Quia testator suam dispositionem restrinxerat ad tunc viuentes, & tamen quamuis eidem testatori nulli essent nati liberi, Rota adiudicauit fideicommissum liberis post ipsius testatoris obitum conceptis & procreatis; quidquid in contrarium scripisset Excellentissimus Dominus Bellonus Præses, qui scripserat contra aperturam fideicommissi; scripseram & Ego, cum nonnullis Iuriconsultis Auenionensibus; sed Rota ex coniecturis, & ex tractu temporis appposito in testamento iudicauit contrarium, & fideicommissum fuit apertum in fauorem filij post obitum testatoris nati: vt in *dict. decis. 162. part. 7. recent.* Peregr. *de fideicom. artic. 22. num. 50.*

Et quòd grauatus de restituendo liberis, seu de eligendo vnum ex liberis, possit restituere; vel respectiue eligere vnum ex nepotibus, fuit decisum apud Ioseph. de Sese *decis. Arag. 53. in secundo dubio, à n. 8. vsque ad finem. & maximè num. 21.* vbi dicitur electionem non posse fieri in persona nepotum, si fuerit ordinatum eligendos esse Petrum, Ioannem & Martinum, expressis illorum propriis nominibus; secus est si hæreditas fuerit alicui relicta distribuenda in filios non restringendo se ad filios primi gradus; quo casu absque dubio dicitur comprehendi nepotes, idque non ex fictione, sed ex iusta interpretatione; & sic dicit bene fuisse iudicatum nepotes in illo casu esse eligibiles.

Et Notandum est, quòd in casu illius decisionis testator vsus fuerat illa clausula, quòd bona diui-



dat inter filios suos, & meos, & tamen non obstantibus illis verbis *suos, & meos*, fuit iudicatum electionem fieri posse in persona nepotum: vt etiam monuimus supra *num. 14.*

23. Et licet in contrarium facere videatur decisio eiusdem authoris 64. tamen illa loquitur in terminis vocationis filiorum; nos autem agimus de vocatione liberorum; quæ duo valde differunt: vt diximus *n. 15. & sequent.*

Præterea in eadem decisione 64. *num. 47.* dictus author protestatur se nolle decidere casum illum, in quo adiecta sunt illa verba *filios suos, & meos*; immò in eadem causa, *num. ult. versic. his attentis.* fuit decisum filiorum appellatione, non comprehendi nepotes, quando filij sunt vocati propriis nominibus: sed quando non sunt vocati filij propriis nominibus, *ibidem* dicitur ex quinque Iudicibus quatuor pro vocatione nepotum iudicasse.

24. Cæterum, quòd superius dictum est, datà facultate eligendi liberos, eligi posse nepotes; non procedit quando disponens, discretinè loquutus est de liberis & de nepotibus seu liberis liberorum; veluti si dictum fuerit quòd si filius haberet liberos, & isti liberi haberent alios liberos, volebat hæreditatem suam restitui, &c. tunc enim quia alio modo loquutus est de liberis primi gradus, quàm de liberis vterioris; electio vel restitutio liberis facienda non comprehendit liberos liberorum, seu nepotes disponentis. *Caualer. decis. 465. num. 2. Menoch. consil. 328. n. 8. & 10. Surd. consil. 574. num. 6. versic. ad quod ostendendum.*

25. Ideo electio de persona nepotum hoc casu nulla erit, tanquam facta contra voluntatem disponentis. *Ioseph. de Sese, d. decis. Aragon. 53. in 2. dubio, à num. 8. vsque ad finem, & decis. 164. per totam maximè num. 110. & 112.*

26. Præterea regula in principio huius capituli proposita, quòd electio potest fieri de pluribus, locum non habet quando vnus solus ex eligibilibus superest; ille siquidem solus admittendus est, & cessat eligendi facultas, quæ non potest exerceri nisi inter plures. *Cald. de emphyt. lib. 3. cap. 10. numer. 3. in fine versic. cæterum. Cyriac. controuers. 57. numer. 3. & per totam, Menoch. consil. 1226. per totum.*


27. Octauò dum quæritur, vtrum facta semel electione licita sit variatio; Notandum est quæstionem restringendam esse ad terminos suos: quia alioqui nimis ampla esset variationis materia circa electionem, circa res, vel remedia, &c. in contractibus, in iudiciis, in vltimis voluntatibus, de quibus *Imoi. in dict. l. vnum ex familia. in princip. numer. 7. Rip. in l. serui electione. ff. de legat. 1. &*

28. alij qui breuitatis gratiã omittuntur. † Ideo loquendo de electione personarum incertarum ex certis, solemnibus est illa distinctio quam afferunt *Glof. Bart. Imol. & alij in dict. l. vnum ex familia*; Quòd si electio alicui purè commissa sit, facta semel electione, non admittitur variatio, nec noua nominatio: quia cum electio sit valida, & actus electionis seu nominationis fuerit consummatus, non est amplius de variatione tractandum. Sed si electio fuerit commissa in diem, vel sub conditione; veluti cum relata est ad tempus mortis, vel aliàs dilata, & non purè concessa fuit eligendi potestas; si electio fuerit facta ante tempus, licebit variare: quia actus nulliter factus non consummauit eligendi facultatem: hanc distinctionem sequuntur *Gomel. ad l. 17. Tauri. numer. 6. Surd. consil. 264. numer. 29. Molin. de primog. lib. 2. capit. 4. numer. 22. Videntur addit. ad Gammam decis. 36. Valasc. consult. 102. numer. 23. & sequentib. Cuiac. obseruat. lib. 10.*

capit. 39. Rota decis. 323. & 263. part. 1. recent. Seraph. decis. 589. Gratian. discept. forens. capit. 746. numer. 12. Barry, de success. lib. 8. tit. 8. quando ex pluribus &c. numer. 4. fol. 310. † Videndus etiam 29. est text. & DD. in l. cum pater. 79. §. à filia. ff. de legat. 2. A filia pater petierat, vt cui vellet ex liberis suis prædia cum moreretur restitueret: vni ex liberis, prædia fideicommissaria vna donauit; non esse electionem propter incertum diem fideicommissi certa donationis videbatur: Nam in eum destinatio dirigi potest, qui fideicommissum inter ceteros habiturus est, remotà matris electione. Hactenus, I. C. qui prædictam distinctionem egregiè confirmare videtur.

Si tamen electio facta fuerit ex causa dotis, cum promissione de non reuocando, aut subsequenti traditione, non datur variationi locus; sed electio semel facta in vita irrevocabilis est: vt ostendit *Additio ad Molin. de primog. lib. 2. cap. 4. n. 22. in fine versic. limitatur etiam.* post *Valasc. Caldas, Castill. & alios ibidem allegatos, & videtur tenere Cald. de emphyt. lib. 1. cap. 2. num. 49. & Addit. ad Gamm. decis. 36. num. 1. in fin.* vbi generaliter loquitur de electione facta ob causam matrimonij, quam dicit esse irrevocabilem. † Ego tamen Censeo ex quacumque causa facta sit nominatio, si ipsa ad tempus mortis eligere debentis relata fuerit, & nominatus moriatur ante nominationem, quòd electio non subsistat in præiudicium illorum, qui tempore mortis quo nominatio facienda erat superstites fuerint; ob rationes & iura supra allegata.

Hoc etiam aliàs Consului, quòd si inter maritum & vxorem conuentum sit vnum ex liberis tam ad paterna, quàm ad materna bona eligi, de communi vtriusque consensu; Maritus autè Paulum Aldonsum primogenitum præsentem & cõsentiente vxore nominasset, mortuo marito non poterat vxor nominationi factæ de illo primogenito contrauenire, nec illam etiã quoad bona materna reuocare. † Quando enim pluribus eligendi facultas commissa seu reseruata est, vno ex illis post factam electionem mortuo, alius superstes non potest variare: quia in iis in quibus requiritur voluntas aliena, vnus absq; eo cuius exigitur voluntas variare nequit. *Castill. lib. 2. controuers. c. 20. num. 84. vbi ostendit quòd in voluntate aliena non licet variare; licet in propria admitteretur variatio. Cod. Fabr. lib. 6. tit. 20. definit. 19.*



CAPVT LII.

Fundus dotalis non censetur constitutus, quamuis marito traditus fuerit præcedente dotis promissione in certa pecuniæ summa; nisi tamen datio in solutum promiscuè facta fuerit vtrique coniugi; vel maritus nomine vxoris, vel tanquam ipsius procurator prædia receperit sed si nulla præcesserit dotis certæ promissio in pecunia, fundus dotalis manet non obstante æstimatione, & fructus illius soluto matrimonio statim ad vxorem pertinent, etiamsi agatur de annuis redditibus: quia loco immobilium sunt.

S V M M A R I V M.

1. Fundus in solutum datus pro dote promissa in pecunia, non est dotalis.

2. Hoc

2. Hoc procedit quamuis nulla præcesserit æstimatio talis fundi, quia æstimatio censetur facta à lege pro pretio quod tunc bona valebant.
3. Facta reditus annui datione in solutum pro pecunia dotis nomine promissa, dominium illius transit in maritum, & vxor remanet creditrix pecunia.
4. Vxor soluto matrimonio non potest prætere fructus reditus annui; vel aliorum bonorum, marito pro pecunia dotali in solutum datorum.
5. Quæ sint coniectura ex quibus colligi possit fundum esse dotalem.
6. Leges loquentes de dote æstimata locum habent duntaxat, quando maritus bona in solutum proprio nomine accepit.
7. Fundus non efficitur dotalis nisi datio in solutum facta fuerit ipsi marito nomine proprio, & tanquam marito.
8. Maritus fundo in solutum accepto remanet pecunia debitor, si pecuniam vxori recognouerit, & restituere promiserit.
9. Si pater filia fundum in solutum dederit, & filia in eodem contractu illum marito in dotem constituerit; perinde est ac si pater ipse marito in solutum dederit, stante recognitione dotis per maritum facta cum promissione de restituendo dotem in pecunia.
10. Fundus dotalis efficitur si maritus illum receperit vti coniuncta persona vxoris, vel nomine ipsius.
11. Maritus recipiens fundum nomine vxoris censetur illud fecisse vti procurator ipsius, & in vim mandati quod habet à lege.
12. Fundus quamuis æstimatus à patre filia assignatus, remanet profectitius & proprius ipsius, & hac qualitas à fundo separari non potest.
13. Æstimatio fundi in solutum pro dote dati, si nulla præcedat certe summa in pecunia promissio, censetur duntaxat facta vt verus valor sciatur, non vt dominium in maritum transferatur.
14. Æstimatio tacitè facta dicitur, quando dantur in solutum res, quæ consistunt in pondere, numero & mensura.
15. Reditus annuus dotalis statim restituendus est vxori, soluto per mortem viri matrimonio, non expectato anno.
16. Reditus annui accedunt ad naturam bonorum immobilium.
17. Expenditur consil. D. Ludou. Belli. 72. vbi tractatur quæstio restitutionis dotis consistens in annuis reditibus: & refutatur: & num. 18.
19. De quibuscumque reditibus annuis agatur, semper loco immobilium haberi debent, & releuant ab onere satisfaciendi; & ab Ecclesia vel minoribus sine decreto alienari nequeunt, exceptâ tamen alienatione necessariâ.
20. Reditus annui non ex eo solum inter immobilia computantur, quod bonis immobilibus adherent; sed etiam ex eo quod sunt perpetui.

sexcentorum aureorum cesserat super quadam Communitate Prouinciæ, quæ inter eas quæ facultatibus non idoneæ declaratæ fuerunt numerabatur; soluto matrimonio posset contra hæredes mariti 600. aureos in pecunia petere, an verò reditum illum annuum vti dotalem in deductionem dotis periculo suo capere teneretur.

Respondi ex iis quæ in facto proponebantur posse mulierem ad dotis repetitionem agentem petere 600. aureos sibi in pecunia numerata restitui; nec capitale super illa Communitate marito cessum in solutum capere teneri: quia capitale illud annui reditus cessum fuit marito pro certa summa, quam illi focer in pecunia promiserat: † fundus autem dotalis non dicitur, quando dote in pecunia promissâ, census annuus aut res seu prædium aliquod in solutum marito datur. DD. in l. quories. Cod. de iur. dot. & in l. si æstimatis. ff. solut. matrim. Couar. præct. quæst. 28. numer. 1. versic. secundò apparet. Surt. consil. 39. numer. 6. Fontan. de pact. nupt. claus. 5. glos. 8. part. 13. n. 26. † vbi post Seraph. decis. 1207. num. 1. dicit hoc procedere, quamuis nulla expressâ facta fuerit æstimatio, quia illa censetur facta à lege pro pretio, quo tunc bona valebant. Gratian. discept. forens. cap. 38. num. 29. † siquidem dominium reditus annui cessi fuit translatum in maritum; & vxor remansit creditrix pecuniæ. Adden. ad Ludouis. decis. 573. num. 16. versic. quod maximè. Menoch. lib. 3. præsumpt. 74. num. 4. Anchar. Iun. lib. 1. quæst. 28. num. 3. & 4. Vrsel. in verb. æstimatio. conclus. 68. num. 1. 3. & 12. vbi plures citat Anton. de Amat. resol. 49. numer. 10. † Vbi propterea concludit fructus bonorum, sic marito in solutum datorum, non posse prætendi per vxorem soluto matrimonio. Adden. ad Burat. decis. 361. † vbi ponuntur coniecturæ ex quibus fundus censi debet dotalis, quæ ibidem videri poterunt.

Neque dici poterat quod census ille fuisset assignatus & in solutum datus vxori, & non marito: † leges autem loquentes de dote æstimata locum habent duntaxat quando maritus bona in solutum proprio nomine accipit. Oldrad. consil. 245. num. 6. hoc autem casu non solus maritus, sed ipse vnâ cum vxore censum in solutum acceperat: verba quippe cessionis sic concepta erant: cede auxdits mariez, & sic cessione factâ vtrique coniugi, † agebatur de cessione mixta, non autem facta simpliciter marito; quo casu fundus non efficitur dotalis. Bald. consil. 160. in fin. versic. & ita retentis. volum. 2. quem sequitur Tusch. in verb. dos, conclus. 758. num. 27. & 28.

Primò siquidem, quia maritus in eodem contractu summam illam 600. scutorum se habuisse & recepisse falsus fuerat eandemque vxori recognouerat; & soluto matrimonio illi, aut quibus de iure, restituere promiserat; ita vt non esset amplius disputandû, quin verè quantitatis esset debitor. Dominus Ludouic. Bell. consil. 74. num. 1. & 2. Fontan. d. claus. 5. glos. 8. part. 13. num. 6.

Secundò, quia statim in eodem contractu vxor marito omnia bona sua in dotem constituit, & sic cum reditus ille fuisset coniugibus in solutum datus pro certa æstimatione; fuit etiam per vxoré marito, statim & in eodem contractu, sub eadè æstimatione assignatus, qui illius æstimationem vxori recognouit, & restituere promisit: maximè cum dotis assignatio præcedens facta fuerit vxori, & pro ea illius marito: † fuit igitur vnus contractus occultatus cû alio, & celeritate coniungendarum actionum, eodem contextu pater filia, & filia marito censum eundem æstimatum tradidisse censetur. Iuxta notata in l. singularia. ff. si cert.


Cum dubitaretur vtrum filia, cui pater dotis nomine summam sex milliam scutorum constituerat, in cuius solutionem annuum censum seu capitale

petat. l. si inter & ibi Bald. Cod. de iure dot. Fontan. de pact. nupt. d. claus. 5. glos. 8. par. 13. n. 12. fol. mibi 197.

Cæterum si maritus vxori fumnam illam non recognouisset, & pecuniam illi restituere non promississet, negari non posset quin census ille cessus, esset dotalis ex supradictis, *num. 6.*

10. Ad quod optimè faciunt tradita per Beroium, *onsil. 204. num. 42. volum. 1. vbi dicit fundum esse dotalem si maritus illum receperit, vt coniuicta persona suæ vxoris. Roland. consil. 64. num. 1. & 9. volum. 4. † Vbi dicit quòd quando maritus nomine vxoris recipit prædia censetur id fecisse tanquam procurator vxoris, & in vim mandati quod habet à lege, ita vt quamuis regulariter æstimatio videatur facere emptionem, nihilominus emptio illa censetur facta nomine vxoris, & illi prædia debentur, & non pretium; licet in casu suo aliter concludat: quia cessio facta fuerat marito iure proprio, & in perpetuum, pro se & suis hæredibus & successoribus quibuscumque stipulanti: sequitur ipsum Cyriac. lib. 2. *controuers. 220. num. 8.* Conferunt etiam tradita per Cauale. *in Indice decis. in verbo maritus & eius hæres non est obligatus, num. 3.* Trentacinq. *variar. resol. lib. 3. tit. de iur. dot. resol. 1. numer. 26.* Bene Gutier. *de gabel. quæst. 25. numer. 6. versic. Carolus.**
11. † Ratio est quia hoc casu fundus ille quamuis fuerit æstimatus, tamen remanet propriū patrimonium filia, & est profectitius, tanquam à patre proueniens; quæ qualitas ab ipso fundo separari non potest, nisi id expressè dicatur; aut solus maritus (provt in casu proposito factum fuit) illum proprio nomine recipiat. *l. cum a socero tuo pro vxore dos tibi daretur, & l. 1. l. si gener. Cod. de iur. dot. l. ex morte, in fin. Cod. de pact. conuent.*
12. Et præmissa locum habent retentis suis terminis, nempe quãdo præcedit promissio dotis in certa pecuniæ quantitate, nam nulla præcedente tali promissione, si facta fuerit æstimatio, illa potius facta censetur ad hoc vt sciatur valor rei, quàm vt dominium in maritum transferatur. Gratian. *d. scept. forens. c. 489. numer. 4.* & ideo fundus semper dotalis remanet non obstante æstimatione. Seraph. *decis. 1207. num. 1.* vbi fundat resolutionem suam in eo quòd præcedebat promissio certæ quantitatis.
14. Aduertendum autem est, duo in hac materia considerari æstimationum genera, aliquando enim fit æstimatio expressè, aliquando verò tacitè autoritate legis; videlicet quando dantur in solum res consistentes in pondere, numero, & mensura: *l. res in dotem. ff. de iur. dot.* Glos. singularis in *l. æstimatis. ff. solut. matrim.* Fontan. *de pact. nuptial. d. claus. 5. glos. 8. part. 13. n. 4.* Barbo. in *l. æstimatis. §. 1. n. 7. & 8. ff. solut. matrim.* vbi agit de nomine in solum dato.
15. Et iuxta præmissa aliàs Respondi vxorem soluto matrimonio consequi debere fructus annui redditus in dotem constituti: quia ipsi marito pro vxore & nomine vxoris assignatus fuerat, neque maritus in casu restitutionis dotis pecunias, sed simpliciter dotem vxori reddere promiserat: immò neque certa dotis in quantitate promissio facta erat: ideo fructus vxori debebatur, soluto matrimonio. Gratian. *discep. forens. c. 38. n. 39. in fine.* Seraph. *decis. 1207. n. 3. versic. verum, cū hac via agendo.* Antonin. *de Amat. resol. 49. n. 10.* Census in *tract. de censib. quæst. 67. n. 24. & seqq.*
16. Nam cū census annui quodammodo sortiantur naturam bonorum immobilium; ex fusè notatis per
17. Cens. *de censib. quæst. 30.* † dominium ipsorum soluto matrimonio confestim absque dilatione anni; reddit ad vxorem; & fructus à die mortis mariti ad illam pertinent. Cens. *dict. quæst. 67. num. 26. ex l. unica. §.*

exactio. Cod. de rei vxor. actio. & cū de hoc ageretur anno 1625. Ego pro Nobili & Illustri D. Petro de Guillens scripsi † aduersus ea quæ tradidit D. Ludou. 18. Bellus *consil. 72.* pro hæredibus D. Consiliarij Raynaud: ideo ab eius consilio cauendum est. Nam distinctio illa in tria censuum genera huic casui adaptari non potest: † cū in quocumque genere censuum versetur, semper pro immobilibus habeantur: releuant enim ab onere satisfaciendi: per eos qui immobilium incapaces sunt, possideri nequeunt: à minoribus sine decreto, vel ab Ecclesiis sine solennitate alienari nequeunt exceptâ alienatione necessariâ: ex tradit. per Cens. *dict. quæst. 30. num. 13. & sequentibus.* † 20. Neque ex eo solo quòd immobilibus cohærent pro immobilibus reputantur, verum etiam ex eo quòd perpetui sunt, & non temporales: vt notat Cens. *dict. quæst. 30. num. 20. & sequentibus.*



CAPVT LIII.

De eo qui petit se immitti in possessionem vigore testamenti requirentis altiorem indaginem, & quibus in casibus hæres possidens sit legitimus contradictor aduersus fideicommissarium non possidentem. Quæ sit differentia inter possessorem docentem in promptu de titulo suæ possessionis, & illum qui dat fumum Iudici de suo titulo probabili & verisimili. Articulum iuris dubium & difficilem dici requirere altiorem indaginem. Articuli & testes super possessorio quando sint reiiciendi, non obstante clausula, *saluo iure impertinentium, & non admittendorum*: & aliis clausulis salutaribus: Et de interpretatione statuti Auenionensis super admissione articulorum.

S V M M A R I V M.

1. In possessorio iudicio non admittuntur exceptiones requirentes altiorem indaginem, sed ea ad petitorium reiicienda.
2. Hoc locum habet non solum in remedio *l. fin. Cod. de edict. diu. Hadri.* sed etiam in omnibus aliis remediis adipiscenda possessionis.
3. Materia legitimi contradictoris in Saluiano, æquiparatur cum dict. *l. fin.*
4. Vt detur immissio, constare debet de fideicommissio ex sola lectura testamenti.
5. Quæstio dicitur requirere altiorem indaginem, quando is qui petit se immitti non est nominatus in testamento.
6. Hæres non possidens est legitimus contradictor aduersus fideicommissarium petentem se immitti, si ius istius pendeat ex facto dubio.
7. Quando certum est hæredi competere detractiones, denegatur immissio fideicommissario.
8. Quando hæres potest facere detractiones, Index grauat si concedat immissionem etiam cum clausula detractis detrahendis.
9. Si fideicommissarius petat se immitti in casibus in quibus immitti non debet, hæres debet absolui ab obseruatione iudicij, saluo aëtori iure rectius agendi.

10. *Interdictum quorum bonorum, non datur contra possidentem cum titulo, quando is fuit acquisitus bona fide; secus si mala fide.*
11. *Interdictum quorum bonorum, vel remedium l. fin. de edict. diu. Hadrian. non competunt in vim contractus.*
12. *Possidens & allegans parem titulum, est legitimus contradictor ad excludendam viam executivam, & obtinendum ut ordinariè agatur.*
13. *Non possidens est legitimus contradictor adversus actorem non possidentem, si alleget titulum exclusivum iuris ipsius, si res non sit omninò dubia, nec omninò clara, ad effectum ut causa ordinariè tractetur.*
14. *Remedium l. fin. de edict. diu. Adrian. sæpe datur contra possidentes.*
15. *Possidens non est legitimus contradictor, si non alleget titulum probabilem.*
16. *Si possidens alleget titulum probabilem, ex quo ius actoris reddi possit dubium; tunc est legitimus contradictor.*
17. *Qui possidet, facilius est legitimus contradictor, quam non possidens.*
18. *Sufficit dare fumum tituli ex parte possessoris.*
19. *Intellige ad effectum, ut detur illi dilatio ad probandum titulum, suspensà interim immiissione.*
20. *Quando dubitatur de existentia tituli, si de eo detur fumus, concedenda est dilatio ad illum probandum: sed si non dubitetur de existentia illius; dato fumo, causa debet ordinario iudicio terminari.*
21. *Si de vocatione constet ex lectura testamenti, & nihil releuans dicatur in contrarium, datur immiissio.*
22. *Satis expressum dicitur in testamento, quod per coniecturas probabiles elicitur.*
23. *Remedium l. fin. de edict. diu. Adrian. competit tacitè substituto.*
24. *Qui se ex eodem testamento vocatum pretendit, impedit immiissionem.*
25. *Quando probanda est actori descendencia, & alia multa in factò; tunc ordinariè agere debet.*
26. *Qui potest immiissionem pretendere non possidens, multò fortius illam impedire potest possidens.*
27. *Articulus iuris difficilis & intricatus, equiparatur questioni facti.*
28. *Vt impediatur immiissio propter detractiones hæredis, sufficit quòd detractiones sint possibiles, nec necessaria est illarum probatio in specie.*
29. *In interdicto Saluiano, possibilitas detractionum excludit actorem.*
30. *Statutum Auen. lib. 2. rubric. 9. artic. 9. circa admiissionem articulorum explicatur.*
31. *Clausula saluo iure impertinentium, non debet apponi, si articuli sint impertinentes notoriè.*
32. *Clausula Ius & Iustitiam, non operatur circa remedia contraria intentioni articulantis.*
33. *Clausula salutare in articulis non faciunt, ut comprehendatur possessorium quòd fuit suspensum.*
34. *Sententia prolata in petitorio suspensò, est nulla.*
35. *Suspensò petitorio, suspenditur quoad illud iurisdictionis Iudicis.*
36. *Sententia est nulla si proferatur simul in petitorio & possessorio, quando constat ex actis petitorum fuisse suspensum.*

37. *Quando petitorium fuit suspensum, non debent admitti probationes ad discolorandum iuratum.*
38. *Testes examinati durante suspensione nihil probant, etiam post reuocatam suspensionem.*

Actore petente se immitti in possessionem bonorum prætenso fideicommissò suppositorum, & remedia possessoria sibi vtiliora intentante aduersus hæredem bona illa possidentem; Dixi denegandam illi immiissionem, & ipsum à limine iudicij possessoriij repellendum, saluis iuribus in petitorio; provt sic iudicatum postea fuit in causa Illust. Domini de Caumons, contra Illust. Dominum del Baron, qui non erat in testamento nominatus, & agebat contra possessorem, eiusque probationes † altiore¹ requirebant indaginem; Ideo ad petitorium erant reiiciendæ, aut ad aliud remedium ordinarium, l. 2. & ibi DD. *Cod. de edict. diu. Adrian. & in l. fin. Cod. quorum bonorum. Deci. consil. 467. num. 12. versic. præterea, & num. 13. & 14. & consil. 424. num. 19. & 20.*

Quod non solum obtinet in remedio *l. fin. de edict. diu. Hadrian.* sed etiam de similibus possessoriis adpiscendæ, vt in interdicto Saluiano Rota, *decis. 755. part. 3. in recent, † Equiparatur enim materia legitimi contradictoris in materia Saluiani, & d. l. finalis Pacif. de Saluian. interd. inspect. 10. cap. 2. num. 1.*

Ad concedendam siquidem immiissionem, necesse est vt constet de fideicommissò ex sola lectura testamenti, & ex solo verborum cortice: quia quæstiones altioris indaginis non deciduntur in hisce iudiciis: vt de interdicto *quorum bonorum*, tradit *Afflict. decis. 14. & ibi Vrsil. num. 5. † Vbi dicit quæstionem requirere altiore⁵ indaginem, quando is qui agit ex aliqua dispositione, non est nominatus in illa; post Gozad. *consil. 7. num. 17. Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus Argelus Archiepiscopus Auenionensis dignissimus creatus anno 1647. in suo doctissimo tractatu de legit. contradict. quæst. 2. artic. 2. num. 56. & 57. qui postea obiit die 31. Iulij, 1648.**

Præsertim quia reus in possessione bonorum prætenso fideicommissò suppositorum reperiebatur, † hæres autem possidens est legitimus contradictor aduersus fideicommissarium, qui dum petit se immitti fatetur se non possidere, quando decisio fideicommissi pendet ex factò dubio, vel ex puncto iuris difficili. Idem D. Argel. *de legit. contradict. quæst. 2. artic. 6. num. 206. & in tract. de acquir. possess. quæst. 2. num. 154. & iterum de legit. contradict. quæst. 2. art. 5. num. 179.*

Accedebat, quòd notorium erat ex ipsa lectura testamenti & articulorum actoris, prætensum hæredem grauatam possidentem, multas in omnem euentum habere detractiones faciendas, quibus attentis non poterat actor intentare possessoria remedia. Ludouif. *decis. 206. num. 11. & ibi Addent. Rota decis. 254. num. 5. part. 4. recent. neque potest actori dari immiissio, quando faciendæ sunt detractiones Burat. decis. 946. † Immo nec Iudex potest illam concedere 8. cum clausula saluis detractionibus, Idem D. Argelus de legit. contradict. quæst. 13. num. 54. & de acquirend. possess. quæst. 8. num. 862.*

Debet igitur ex præmissis reus absolui ab obseruatione iudicij, saluo actori iure meliùs agendi; provt ita iudicatum fuit. Angel. *in d. l. fin. Cod. de edict. diu. Hadriani. colum. penult. versic. si verò contradictor obiicit. Zuchard. ibidem, num. 374. Idem D. Argel. de legit. contradict. artic. 3. quæst. 2. n. 185.*

Inutiliter etiam hoc casu Dixi, intentatù fuisse interdictum

terdictum quorum bonorum, quod non competit contra possidentem cum titulo, quando titulus bona fide fuit acquisitus. Rota, *decis. 415. numer. 9. part. 5. recent.* Gabriel. *consil. 32. num. 2. volum. 1.* secus si mala fide esset acquisitus. Burat. *decis. 772. num. 6.* de eodem interdicho loquuntur Afflict. *decis. 14.* Menoch. *remed. 2. adipisc. possess. Gomel. ad l. Tauri. 45. n. 128.* Peregr. *de fideicom. artic. 46.*

11. Ex contractu quoque non competit interdictionum bonorum, Peregr. *de fideicom. artic. 46. n. 6. versic. quare alia videtur*, neque remedium *d. l. final. de edict. dini Hadriani. D. Argel. de acquir. possess. q. 8. art. 8. n. 185.*

12. Prædicta remedia possessoria multo minus actori competere dictum fuit: quia sicut in alio simili casu dicebat Illustriss. D. Argelus possidens & allegans parem titulum, est legitimus contradictor aduersus petentem immiſſionem; & excludendam viam (vt vocant) executiuam, & efficiendum vt causa ordinaria tractetur: vt in terminis beneficij *l. final. Cod. de edict. Dini Adrian. tollend.* frequentissimo Interpretum calculo receptum est. Bart. *in d. l. final. num. 21.* Deci. *num. 4.* Angel. *numer. 6. circa medium*, Achilles Personalis *de acquir. possess. numer. 348.* Menoch. *remed. 4. adipiscend. num. 565. & 566.* Peregr. *de fideicommiss. artic. 48. num. 4. versic. item si deducat.* Castill. *controuers. iur. part. 3. cap. 24. num. 113. & seqq.* Ruyn. *consil. 151. numer. 5. volum. 2.* Spino, *in speculo testam. glos. 34. num. 31.* Benintend. *decis. 83. numer. 5.* Coccin. *decis. 347. per totam Rota, decis. 198. & 366. part. 3. recent.* & ipsemet D. Argel. *in tract. de legit. contradict. quest. 15. num. 30.*

13. Quin imò etiam non possidens, si excipiat contra non possidentem & petentem se immitti, & alleget titulum exclusiuum iuris agentis, est legitimus contradictor ad efficiendum vt causa ordinariè tractetur; quando res non est omninò dubia, nec omninò clara: qui esset casus noster si reus conuentus non possideret: vt plenè dixit idem Dominus Argel. *de legit. contradict. quest. 2. num. 146. & n. 145.* ergo multò magis excludi debuit actor à remedio possessorio & summario; cum reus non solum possideret, sed etiam legitimum titulum exclusiuum iuris agentis in promptu allegaret.

14. Neque dicatur admisâ huiusmodi conclusione, illud sequi absurdum, vt nunquam aduersus possidentem locus immiſſionis esse possit: cum nullus sit qui nesciat proponere aliquem titulum, & illum comminisci ad excludendam immiſſionem. † Cum tamen certum sit sæpè contra possidentes dari remedium *d. l. final.* potissimum si post mortem defuncti possessio fuerit obrenta. Zucard. *d. l. final. num. 386.* Gozadin. *consil. 93. num. 5.* Gabriel. *consil. 46. num. 7. volum. 1.* Seraph. *decis. 1257. numer. 3.* Rot. *in recent. decis. 472. num. 4. & 755. part. 1. & decis. 33. num. 6. & 7. part. 2.*

15. Nam pro responsione distinguendum est; aut enim possidens & titulum allegans nullam affert coloratam rationem, nihilque ostendit vnde allegati tituli veritas aliqua ex parte colligatur, & probabilis appareat; & tunc aduersus possidentem datur immiſſio: quia possidens sine titulo, non est legitimus contradictor. DD. *in d. l. final.* Gozadin. *d. consil. 93. num. 3.* cum aliis allegatis *in d. tractat. de legit. contradict. quest. 4.*

16. n. 5. † Aut verò opportunis documentis & rationibus de suo titulo apparente adeo docet, vt Iudicem saltem dubium reddere possit qui allegatum titulum, tanquã omninò nullum aut somniaturreicere nequeat, & tunc cessat immiſſio. Quando enim causa possessoria est turbida, ita vt eius terminatio dependeat à

terminatione petitorij, tunc non est possessorio agendum, sed illud cum petitorio cumulandum: vt *in d. tractat. de legitim. contradict. q. 2. n. 47.*

17. Quod si verum est, quando veniens ad impediendam immiſſionem non possidet; multò magis erit dicendum quando possidet; ne alioquin melior sit conditio non possidentis, quod esset absurdum: ad text. *in §. retinenda, Instit. de interdich. l. res que in fin. Cod. de transact.*

18. Et licet possessio & tituli allegatio non sufficiat, nisi possidens titulum probet, vt vel saltem eius detur fumum iuxta tradita *in d. tract. de legitim. contradict. quest. 9. num. 94.* † Quinimò si solum det fumum, neque etiam absolutè sit legitimus contradictor, sed solum obtinere debeat dilationem ad titulum plenè probandum: vt dicitur *in d. quest. 9.* † Tamen est aduertendum posse dubitari aut de entitate seu existentia tituli possidentis, aut de viribus eiusdem tituli. Primo casu, si solum detur fumus, assignatur dilatio ad titulum probandum. Secundo casu, si de viribus tituli duntaxat agatur, & dubitetur an sit sufficiens; tunc quia necessariò de meritis petitorij agendum est, excluditur omninò immiſſio, & petitorio agendum est: ex supradictis.

21. Non negamus tamen, quòd si ex vi verborum in testamento expressorum, prætendens immiſſionem se vocatum esse probare possit, possessore nihil in contrarium allegante, quod in promptu actorem excludere possit, saltem euidenter ad effectum immiſſionis, de illius iure constare possit: quia scriptura illud euidenter dicit, quod ex vi verborum in ea expressorum colligitur. *l. 1. & ibi Gloss. ff. de his que in testam. Rot. decis. 755. num. 2. part. 3. recent.* † Vbi nominatim vocatū eum profiteretur quia comprehenditur in verbis contentis in testamento, & satis euidenter expressum dicitur quod per coniecturas probabiles à verbis ortas conicere possumus. *l. licet Imperator. ff. de legat. 1. l. si quis locuples. in fin. ff. de testament. manumiss. Mantic. de coniect. vlt. volunt. lib. 6. tit. 1. num. 8.*

23. Vnde videmus tacitè substituto beneficium *d. l. fir.* competere ad obtinendam immiſſionem, vt *in d. tract. de acquir. possess. quest. 7. n. 164. & artic. 6. d. quest. 7.* † Ideo sequitur vt multò magis competat exceptio illi, qui se ex eodem testamento vocatum prætendit ad se tuendum in possessione adeptæ. *l. per retentionem. Cod. de vsur. l. 2. & ibi Bald. in 3. notab. Cod. de fideiussorib. Decius consil. 298. n. 4.*


25. Cæterum, in casu proposito prætensiones actoris tales erant, quæ tam in iure quàm in facto altiore requirebant indaginem: quia inter cætera probanda erat descendencia, vocatio; purificatio conditionis fideicommissi, & alia multa propter quæ iudicio ordinario agendum erat, & probationes illæ ad aliud iudicium reiiciendæ. Simon de Prat. *de interpret. vltim. volunt. lib. 5. interpret. 2. dubit. 3. num. 48. fol. mibi 518.* Barry, *de success. lib. 11. cap. 13. quomodo hæres in possess. mittatur. num. 13.* Rot. *decis. 639. n. 8. part. 1. recent.* Ad prædicta faciunt ea quæ tradit Decius, *consil. 424. num. 19. & 20. consil. 467. num. 13. & 14.* Roland. *consil. 1. num. 73. lib. 1. consil. 2. num. 38. volum. 3. consil. 98. num. 38. & 39. cod. lib. 3. Cod. Fabr. lib. 6. tit. 3. de edict. Dini Hadrian. definit. 2. num. 5.* in illis verbis: *Non idem est si fideicommissi questio difficilis sit, & altiore requirat indaginem.* Rot. *diuers. decis. 520. numer. 2. part. 1.* Riminal. *iun. consil. 69. numer. 14.*

26. Et licet nonnulli ex prædictis DD. loquantur in hærede non possidente, multò tamen magis locum habent si ipse possideat, tum ex supradictis *num. 17.*

tum etiam ex eo quòd certa est iuris regula, quòd qui potest immiſſionem prætere non poſſidens, multò magis eam impedire potest poſſidens: & qui legitimus est contradictor non poſſidens, multò magis contradictor est poſſidens. Rot. *decif.* 197. n. 2. part. 2. in *recent.* facit Verall. *decif.* 346. num. 2. & 3. part. 2. Zuccard. *ad dict.* l. final. num. 384. in *fin. verſic.* & etiam aduerte. & num. 393. *verſic.* *ſecundò est aduertendum.* Roland. *conſil.* 78. num. 27. *verſic.* *ſecundò reſpondetur.* volum. 3.

27. Quod autem attinet ad articulos iuris dubios & difficiles, rectè ſupra dictum est illos impedire immiſſionem, & in hoc iudicio non eſſe admittendos: quia articulus iuris difficilis dicitur requirere altiorẽ indaginem, & ideo in poſſeſſorio non eſt admittendus, nec pertinens. Rota *dict.* *decif.* 520. n. 1. 2. & 3. part. 1. diuerſ. Dominus Argel. *de legitim. contradic.* *quæſt.* 2. art. 6. num. 2. & 6. & de acquir. poſſeſſ. *quæſt.* 2. num. 154. Pacif. *de Saluian. inſpect.* 2. cap. 2. num. 87. Vnde concluſum fuit articulos actoris ad petitorium eſſe reiiciendos, expenſis in fine litis reſeruat.
28. Neque obſtare viſum fuit quod opponeretur, non plenè conſtare de detractiõibus: quia fuit Reſponſum quòd ſufficiebat detractiões eſſe poſſibiles; quãuis de illis in effectu non conſtaret: vt conſiderauit Rota *decif.* 755. num. 2. part. 3. *recent.* *decif.* 639. n. 8. part. 1. *recent.* Addent. ad Ludouif. *decif.* 206. n. 12.
29. in *fin.* † Quod etiam locum habet in interdicto Saluiano, Pacif. *de Salu. interd.* *inſpect.* 3. cap. 4. n. 308. & 309.
30. Secundò non obſtat ſtatutum Auenionis, *lib.* 2. *rubric.* 9. art. 9. quo caueri videtur omnes articulos indiſtinctè admittendos eſſe, ſaltem cum clauſula *ſaluo iure impertinentium.* Quia reſpondetur ſtatutum non loqui de primis & principalibus articulis, ſed tantum de ſecundis continentibus exceptiones, replicationes, aut duplicationes: immò quoad articulos actoris eodem ſtatuto cauetur. *dict.* *rubric.* 9. art. 1. quòd ſi actor compareat, & reus proponat exceptiones impediẽtes litis ingreſſum, detur reo dilatio ad illas probandum: & illis non probatis, procedatur ad litis conteſtationem: & ſi reus daret articulos impeditiuos litis ingreſſus, articuli rei prius eſſent admittendi, quàm articuli actoris. Rota Auen. *decif.* 94. num. 1.
31. Nec clauſula *ſaluo iure impertinentium*, apponi debet, quando Iudici conſtat de impertinentia articulorum. Grauat. *ad Veſtrium in prax.* *lib.* 5. cap. 14. num. 26. poſt Decium, *conſil.* 161. Mynſing. *lib.* 2. *obſeruat.* 90.
32. Similiter clauſula *iur. & iuſtitiam, &c.* Nec non clauſula *omni meliori modo*, appoſita in dictis articulis; ſuffragari non poſſunt: quia cum dicti articuli expreſſis verbis ſe reſtringant ad poſſeſſorium, ſuſpenſo petitorio; clauſulæ illæ nihil poſſunt operari
33. contra intentionem expreſſam articulantis: † neque comprehendere petitorium quod fuit ſuſpenſum. Menoch. *in pralud. recuper. poſſeſſ.* num. 17. Surd. *conſil.* 273. num. 23. † Alioquin ſi ſententia proferretur in petitorio ſuſpenſo, eſſet nulla. Veſtr. *in prax.* *lib.* 4. cap. ult. num. 6. Vant. *de nullit. ex defect. iuriſ.*
35. *dict.* *ordin.* num. 139. *verſic.* *nam ſi Index.* † Quia ſuſpenſo petitorio, ſuſpenditur iuriſdictio Iudicis quoad omnia concernentia petitorium. Pacif. *decif.* 16. num. 8. Et quamuis ſententia feratur ſuper petitorio ſuſpenſo, & ſimul ſuper poſſeſſorio; tamen nulla eſt. Rot. *in recent.* *decif.* 141. num. 2. & 4. part. 2.
37. Et certum eſt ſtante ſuſpenſione, non debere admitti probationes ad diſcolorandum titulum. Pacif. *decif.* 16. num. 9. Puteus, *decif.* 76. *lib.* 2. † & teſtes

examinati durante ſuſpenſione nihil probant, etiam poſt reuocationem ſuſpenſionis, Gabriel. *conſil.* 54. num. 7. volum. 1.



CAPVT LIV.

Donatio facta liberis non reuocatur per natiuitatem aliorum liberorum, ſed tantum in caſum inofficioſitatis; ſicut nec facta in fauorem matrimonij proprii, ſed tantum alieni, ſi facta fuerit de omnibus bonis donatoris, aut notabili illorum quantitate arbitrio Iudicis, dummodo donator viuens illam ſe reuocare velle declarauerit, cum id facere poſſet. Eodem modo reuocatur donatio ſi filium peregrè profectum donator vita functum cogitabat, cum tamen viuus redierit: Et vtrum præmiſſa locum habeant, in liberis naturalibus, poſtea per ſubſequens matrimonium legitimatis: nam quoad legitimatos per reſcriptum Principis, certum eſt hinc non eſſe in conſideratione. Denique vtrum donatio tranſactione firmata reuocetur ſuperuenientibus liberis.

S V M M A R I V M.

1. Donatio facta liberis non reuocatur remedio l. ſi vnquam. Cod. de reuoc. donat. ſed remedio l. ſi totas, Cod. de inofficioſo teſtamento.
2. Donatio facta contemplatione matrimonij, non reuocatur per ſuperuenientiam liberorum.
3. Intellige vt hoc locum habeat, quando donatio fit in contractu proprii matrimonij; ſecus ſi alieni.
4. Donatio contemplatione matrimonij facta propria nepoti reuocari poteſt ob ſuperuenientiam liberorum.
5. Ampliatur, etiamſi donatio facta fuiſſet contemplatione matrimonij, & fauore liberorum ex illo procreandorum.
6. Donatio non reuocatur ob natiuitatem liberorum, niſi facta fuerit de omnibus bonis donantis, vel illorum parte notabili.
7. Qua ſit pars bonorum notabilis ad hoc vt donatio reuocetur per liberorum natiuitatem; Iudicis arbitrio remittitur.
8. Quamuis iuſpatronatus non ſit pretio eſtimabile, tamen illius donatio reuocatur ob natiuitatem liberorum.
9. Si donator viuens non fuerit conqueſtus, donatio firma remanet, non obſtante ſuperuenientia liberorum.
10. Ius agendi ad reſciſſionem ob natiuitatem liberorum ex veriori ſententia non tranſmittitur ad heredes; contra Fontanellam.
11. Reuocatio donationis ex l. ſi vnquam Cod. de reuocand. donat. fit fauore patris, qui poteſt de illis bonis diſponere ſi velit in fauorem extraneorum; dummodo filij non defraudentur legitimè.
12. Reuocatio donationis tranſmittitur ad heredes, ſi donator ſuam voluntatem viuens tacitè vel expreſſè declarauerit.

13. *Donatio multò magis irrenocabilis est ex l. si unquam, quando donatarius vidente & non contradicente donatore, quietè & pacificè bona donata possedit.*
14. *E contra, si donator viuus bona donata possedit, facilius heredes habent ius reuocandi donationem ex capite liberorum supernascentium.*
15. *Si donatarius viuo donatore moriatur, facilius reuocatur donatio ex capite superuenientium liberorum.*
16. *Donator post natiuitatem liberorum recipiens alimenta à donatario promissa, donationem confirmare videtur.*
17. *Si donator habuit iustum impedimentum declarandi animum suum circa reuocationem donationis, liberi superuenientes facilius agere possunt ad illius reuocationem.*
18. *Renunciatio dict. l. si unquam. Cod. de reuoc. donat. non nocet renuncianti; si se nullos credebatur probabiliter liberos habiturum, quos tamen deinde suscepit.*
19. *Si donator filium ad remotas regiones profectum mortuum esse credidisset, qui tamen postea supernenerit, donatio reuocatur.*
20. *Si donator tempore donationis aliquos habebat liberos, donatio non reuocatur ex capite dict. l. si unquam.*
21. *Liberi naturales nati post donationem profunt ad illius reuocationem, si postea fuerint legitimati per subsequens matrimonium.*
22. *Liberi naturales ante donationem nati, & postea legitimati per subsequens matrimonium, non sufficiunt ad donationis reuocationem: ex sententia Ripæ, & aliorum.*
23. *Verior tamen est contraria sententia, quòd donatio reuocetur per subsequutam legitimationem naturalium, ante donationem natorum.*
24. *Imò siue liberi nati sint ante donationem, siue post; donatio reuocatur per superuenientem illorum legitimationem, iuxta nonnullorum sententiam: contra ea quæ dicta sunt nu. 21.*
25. *Per superuenientem legitimationem naturalium liberorum, donationem reuocari aliqui tenent indistinctè.*
26. *Legitimati per Principis rescriptum, non habent virtutem facendi ut donatio reuocetur ex l. si unquam.*
27. *Referuntur DD. sententia contraria, & iunge supra num. 24. & 21.*
28. *Contraria ista & inuicem dissidentes Doctorum sententia fœdere distinctionis conciliantur, ut tam in legitimis quàm illegitimis recurratur ad coniecturas, ex quibus colligi possit, donatorem habuisse animum reuocandi donationem.*
29. *Si donatio fuerit transactione firmata, utrùm reuocetur ob superuenientiam liberorum? Resoluitur negatiuè si sit vera transactio; secus si esset donatio & liberalitatis in effectu exercitium, conficto transactionis nomine.*
30. *Non dicitur transactio, sed donatio, quando ex vna parte nihil datur, nec recipitur.*

Circa materiam reuocationis donationis inter viuos propter liberorum superuenientium natiuitatem ex l. si unquam. Cod. de reuocand. donat. multæ oriri solent controuersiæ, quarum præcipuas & magis practicabiles sequentibus conclusionibus exponendas duxi.

Primò igitur concludendum est; quòd non est locus dispositioni dict. l. si unquam. quando agitur de donatione facta liberis, sed tantum dum agitur de donatione facta extraneis. Dum enim donatio liberis nascituris facta est, non est quærendum de reuocatione ob superuenientiam liberorum, cum ad nascituros ipsos donatio referatur. Dum verò iam natis, locus est dispositioni l. si totas. Cod. de inoffic. donation. Et ideo tali casu donatio reuocatur tanquam inofficiosa vsque ad concurrentiam legitimæ filiorum postea susceptorum: vt explicant DD. in dict. l. si totas. Couarru. lib. 1. variar. resolut. cap. 19. numer. 1. Iul. Clar. in §. donatio. quest. 22. num. 3. & probatur ex verbis dict. l. si unquam. ibi, *liberos non habens.*

Secundò hoc etiam statuendum est; quòd donatio facta in contractu matrimonij non reuocatur per superuenientiam liberorum, cum donator de liberis cogitauerit, dum in ipso matrimonij contractu donauit, qui ad liberorum procreationem institutus est. Tiraquel. ad d. l. si unquam. in præfat. num. 71. Boër. decis. 159. num. 9.

Quod tamen ita intelligendum est vt procedat, quando donatio facta fuit in contractu proprii matrimonij, in quo donator de liberis ex se procreandis cogitabat; non autem de contractu alieni matrimonij, in quo donator non ad suos aut à seipso procreandos, sed ad alienos liberos respectum habuit; tunc enim cessat ratio impediua reuocationis. Tiraquel. ad d. l. si unquam. in præfat. num. 72. & in verb. donatione largitus. num. 243. Boër. decis. 159. num. 1.

Vnde cum aliàs quidam Boniliensis donationem fecisset nepti in contractu matrimonij eiusdem neptis: Respondi sine dubio illam, cæteris requisitis concurrentibus; esse ex dict. l. si unquam. reuocabilem ob superuenientiam liberorum ipsius donatoris. Ranchin. ad Guid. Papæ, decis. 145. in fin. Cod. Fabr. lib. 8. tit. 36. de reuoc. donat. defn. 2. Bereng. ad dict. l. si unquam. in 3. ampliatur. vbi dicit illam esse donationem ob occasionem, non ob causam, & bene explicat. † Ampliatur vt procedat, etiam si donatio facta fuisset fauore matrimonij & liberorum ex eo procreandorum: nam liberi ex suo proprio capite non habuerunt ius reuocandi; quia donatio patri principaliter facta censetur, liberis verò secundariò, quatenus illorum interest patrem habere diuitem. Menoch. consil. 286. in fine, & diffusius ostendemus in cap. sequenti.

Tertiò non est locus remedio dict. l. si unquam. si donatio non fuerit facta de omnibus bonis donatoris, vel aliqua illorum parte notabili: vt probatur per illum text. ibi, *Omnia, vel partem aliquam.* † Quænam autem sit pars notabilis, remittitur arbitrio Iudicis qui id declarare debet inspectâ qualitate & quantitate bonorum. Tiraquel. in dict. l. si unquam. in verb. omnia, vel partem aliquam. num. 24. Clar. in §. donatio. quest. 22. numer. 15. Menoch. de arbitrar. cas. 133. numer. 1. & 2. Fontan. claus. 5. glos. 8. part. 3. numer. 31. Cod. Fabr. lib. 8. tit. 36. defn. 9. Cancer. part. 1. cap. 8. num. 126. in nouis. † Non tamen necesse est vt id quod reuocatur sit pretio æstimabile, veluti si agatur de iure patronatus, quod huic reuocationi supponitur: ex Tiraquel. in verb. donatione largitus. num. 356.

Quartò cessat etiam remedium dict. l. si unquam. si aliquo tempore post donationem superuixit, eamque reuocare vel animum reuocandi declarare potuit, & tamen donationem minimè reuocauit, seu animum suum circa reuocationem non declarauit: hoc enim casu

- casu hæredes ad donationis reuocationem ex capite superuenientia liberorum agere non possunt. Tiraquell. *in d. l. si unquam in verb. susceperit liberos. num. 211.* Iul. Clarus §. *donatio. quest. 23. num. 10.* vbi hanc magis communem esse opinionem testatur.
10. † Vnde non debemus amplecti sententiam Fontanelæ in contrarium, *in tractatu de pact. nuptial. claus. 5. gloss. 8. part. 3. num. 53. & sequentibus fol. mihi 118.* Contraria enim sententia & verior est & receptor.
11. † Quia reuocatio donationis fit fauore patris, non fauore liberorum: cum pater de bonis donatis etiam in fauorem extraneorum, donatione ob superuenientiam liberorum reuocata, disponere possit; dummodo liberi non defraudentur legitimâ. Rot. *decis. 124. n. 2. part. 1. diuers.* † Ideo requiritur tacita vel expressa donatoris declaratio circa reuocationem donationis, Seraphin. *decis. 129. n. 4. & decis. 837. num. 9.* & ita disputata in vtramque partem questione post quindecim DD. ab eo allegatos concludit Menoch. *consil. 994. n. 28.* & de communi etiam testatur Honded. *consil. 43. n. 16. volum. 1.* & ideo recedendum etiam est ab opinione Noal. *in tract. de transmissionib. casu. 45. n. 10.* cum aduersus eum sit communis opinio, vt mox dictum est: Pascal. *de patria potest. lib. 2. cap. 8. n. 113.* Thesaur. *decis. 121.*
13. Quam quidem sententiam in quodam casu particulari ideo libentius sequutus fui; ex duobus. Primò quia donatarius erat reus & possessor, quem donator semper durante vita sua per multos annos possidentem viderat, nec vnquam conquestus fuerat: quò casu indubitatum est non admitti hæredes ad petendam reuocationem, nisi præuia conquestione seu declaratione donatoris in vita sua: cum ex tali patientia videatur confirmasse quodammodo & approbasse donationem. Rot. *decis. 591. numer. 5. part. 3. recent.*
14. † Si enim donator viuens semper bona possedisset, facilius hæredibus ius reuocandi concedi censet Ferrer. ad Guid. Pap. *decis. 214.*
15. Secundò, quòd filius donatoris, quamuis post donationem natus; tamen postea ipsò donatore adhuc viuente præmortuus est, quò casu donationem absque difficultate subsistere testatur Tiraq. *ad d. l. si unquam. in verb. susceperit liberos. n. 211.*
16. Accedebat quòd agebatur de donatione satis onerosa facta per senem & infirmum, qui continuò à donatario viuens alimenta sibi in contractu donationis promissa receperat; & sic illam tacitè approbaue rat. Louet. *litera D. num. 22. versic. le nepueu.* Iul. Clar. *in §. donatio. quest. 24. numer. 5.* Menoch. *consil. 994. num. 11.*
17. Fatendum tamen est, quòd si donator viuens non potuit animum suum circa donationis reuocationem declarare propter aliquod legitimum impedimentum; veluti si illicò decessisset, vel propter metum, reuerentiam, ignorantiam, aliãve similem iustam causam, ius agendi ad reuocationem transiret ad hæredes, & in hoc amplectenda est sententia Fontanel. *d. claus. 5. gloss. 8. part. 3. n. 68.*
18. Et propterea Respondi aliàs donationem reuocabilem esse per ipsum donatorem, si annorum pondere grauatus non sperabat ad secundas nuptias conuolare; quamuis expressè renunciaffet beneficio *d. l. si unquam* videlicet ratione probabilis credulitatis & ignorantia, propter quam non obstabat renunciatio illius legis, quominus ad donationis reuocationem agere posset: vt post Tiraquel. & alios tradit Galerat. *de renunciat. cap. 87. n. 8. versic. quartò intellige.*
19. Ex eodem probabilis ignorantia fonte procedit, quòd si legitimè constet donantem, tempore donationis credidisse nullos se habere liberos, vt pote qui

filium quem vnicum habebat in bello mortuum esse arbitraretur, tali videlicet communi fama existente; redeunte postea filio, donationem eadem ratione reuocare potest, quâ id ageret si nouus illi post donationem filius nasceretur. Ripa *ad d. l. si unquam. q. 5.* Mozz. *in tractat. de contractibus. cap. de donation. in tit. quomodo annulletur donat. n. 71.*

Quinto loco aduertendum est; tunc demum esse locum reuocacioni donationis ob superuenientiam liberorum, quando donator tempore donationis nullos habebat liberos: si enim tunc liberos habuisset, non est reuocacioni locus: vt clarè probat text. in *d. l. si unquam*, ibi, *liberos non habens*; à contrario sensu. Clar. *d. §. donat. q. 12. n. 3.*

In liberis autem naturalibus id locum etiam habet: quia si post donationem nati fuerint, & deinde per subsequens matrimonium legitimati; pater donationem vigore *d. l. si unquam.* reuocare potest: vt docet Rip. *in d. l. q. 32. n. 86. & seqq. & 89.*

Maius est dubium in natis ante donationem, & postea per subsequens matrimonium legitimatis: nam non propterea ius esse donatori agendi ad reuocationem donationis concludit Rip. *in eadem l. d. num. 86. & 89.*

Verius tamen est, & receptius donationem reuocari posse, propter subsequutam liberorum legitimationem per subsequens matrimonium: vt testatur Boër. *decis. 259. n. 12. versic. tamen Baldus.* Vbi dicit ita sentire omnes DD. † Idque siue liberi naturales essent nati ante donationem, siue post. Ioan. Baptist. Lup. *in tractat. de illegit. comment. 4. §. 2. numer. 38.* atque ita iudicatum fuisse in Senatu Parisiensi testatur Maynard. *lib. 4. cap. 13. ante finem versic. toutefois c'est contre.* Bereng. Fernand. *ad d. l. si unquam. numer. 9. versic. sed quid si fuerit legitimatus.* Autumn. *ad d. l. in princip. versic. un frere ayant des bastards.*

Et generaliter per superuenientem naturalium legitimationem concludunt DD. donationem reuocari. Peregr. *de fideicom. artic. 24. num. 7.* O fasc. *decis. 121. incip. Quintus articulus. num. 5.* Cald. *de nominat. emphyteuf. quest. 13. numer. 56.* Paul. Æmil. Gall. *de except. titul. 4. except. 4. part. 2. numer. 24. fol. 316.* Barbof. *in cap. ranta. 6. numer. 29. qui filij sint legitimi.*


Dixi de legitimatis per subsequens matrimonium, nam legitimati per Principis rescriptum, regulariter non faciunt vt donatio ex beneficio leg. *si unquam.* reuocari possit: vt explicat Lup. *in d. tract. de illegit. comment. 4. §. 2. n. 39. 40. & 41.*

Cæterum ad euitandam omnem dubitationem quæ oriri posset hoc casu ex sententia contraria Ripæ, *d. n. 86.* de qua etiam agit Couar. *in tract. de sponsal. p. 2. cap. 8. §. 2. n. 36.*

Ideo considerari poterit hoc casu iuxta distinctionem Castrenf. *consil. 435. in 3. dubio, volum. 2.* vtrum extent probabiles coniecturæ, ex quibus colligi possit donantem motum fuisse ad donandum ob carentiam liberorum; veluti si vxorem habuisset tunc sterilem quæ postea obiisset; & ipse post vxoris obitum liberos suscepisset ex alia muliere, aliãve similibus de causis: & hoc casu certum est donationis ex *l. si unquam.* reuocacioni locum esse: secus, cessantibus coniecturis. Quam etiam distinctionem in terminis liberorum illegitimorum postea legitimatorum, sequitur Tiraquell. *in d. l. si unquam. in verb. susceperit liberos. numer. 95. versic. secundò intelligas.* Mynsing. *centur. 5. obseruat. 64. n. 5.* Tusch. *in verb. donatio. conclus. 712. num. 51.*

Sextò quid dicendum; si donatio, post instituta

super eius validitate disceptationem, fuerit transactio firmata; vtrum hoc casu reuocationi sit obnoxia ex capite superuenientium liberorum? Respondetur esse distinguendum, nam si sub nomine transactionis fuerit donatio in effectu, verius est reuocari posse; sed si vera sit transactio, erit irreuocabilis: etiam si donatori liberi superueniant. *Alciat. consil. 80. Hæredum. num. 10. lib. 8. Menoch. consil. 994. num. 7. versic. secundo & num. 8. qui loquitur in casu, in quo transactio facta fuerat ex causa onerosa: quia donarius promiserat donatorem alere, & aliqua illius debita persolvere: † necesse igitur est, vt aliquo dato vel retento transactio facta fuerit. l. transactio nullo dato. Cod. de transact. Rip. in d. l. si vnquam n. 26. & 27. versic. secunda declaratio. Bertrand. consil. 20. num. 4. volum. 1. part. 2. Tiraquel. in verb. donatione largitus. num. 136. & 140. versic. que omnia velim intelligas, & n. 81. & 82.*



CAPVT LV.

Donatio facta filio in contractu matrimonij contemplatione eiusdem matrimonij, & liberorum ex illo procreandorum, vtrum acquiratur liberis tanquam liberis, vel tanquam hæredibus; & vtrum pater possit de illis bonis disponere, & illa suis creditoribus obligare. Suorum nomine qui contineantur; tam in contractibus, quam in vltimis voluntatibus. Quæ sit differentia inter donationem quæ fit filio, & suis; & illam quæ fit filio stipulanti pro se, & suis. Quæ sit natura donationis factæ contemplatione matrimonij: vtrum filius debeat esse hæres actu, vel habitu, vt succedat in bonis sic donatis: Et quomodo valeat argumentum à contrario sensu, si donator in certum casum sibi reseruauerit ius reuersionis.

S V M M A R I V M.

- 1 Bona patri donata contemplatione matrimonij, respectu nepotum dicuntur aduentitia.
- 2 Donatio facta contemplatione liberorum nascituro- rum, videtur ius dare liberis irreuocabiliter.
- 3 Quando concessio facta fuit patri, & filiis; censentur dua concessiones in vna occultata.
- 4 Pater filijs in bonis que ipsis donata fuere præiudicare non potest.
- 5 In donatione facta per patrem filio, & suis; ius irreuocabile acquiratur liberis.
- 6 Clausula pro se & suis, comprehendit etiam hæredes extraneos, quando concessio facta fuit in contractu.
- 7 In donationibus que fiunt filiis per parentes, maxime in capitulis matrimonialibus, dictio suorum, debet intelligi prout in testamentis.
- 8 Nomen suorum in testamentis comprehendit hæredes sanguinis, nempe descendentes per prius, & collaterales per posterius.
- 9 Donationes que fiunt in contractu matrimonij sunt pars ipsius contractus, & sunt irreuocabiles; sicut matrimonium.

- 10 Donationes matrimoniales censentur prius contracta inter affines amborum coniugum, & inter sponsos alioquin non contracturos.
- 11 Pater non potest præiudicare uxori & liberis in bonis matrimonij contemplatione sibi donatis. Intellige vt infra, num. 34.
- 12 Liberi in condicione positi præcipue sub qualitate masculinitatis, censentur dispositiue vocati. Contra, num. 35.
- 13 In quaestione vtrum ius quaesitum fuerit liberis tanquam liberis, vel tanquam hæredibus; si verba dispositionis equaliter respiciant patrem & filios, censetur quaesitum ius illis tanquam liberis: veluti si dictum fuerit dono filio, & suis; vel filio, & eius liberis: sed si verba dispositionis principaliter dirigantur ad patrem, & per reflexionem ad filium; vt si dictum fuerit dono filio stipulanti pro se, & suis; multo magis si dictum sit pro hæredibus quibuscumque; filiis ius queritur tanquam hæredibus, non tanquam filiis.
- 14 Intellige vt procedat in materia transitoria ad hæredes: quid in non transitoria, numer. 16.
- 15 In dubio stipulatio censeri debet facta filiis, tanquam hæredibus.
- 16 Stipulatio pro filiis vti hæredibus est utilior patri, etiam in materia non transitoria ad hæredes.
- 17 Utilitas liberorum est secundaria, & minus principaliter consideranda in donatione facta contemplatione matrimonij, & fauore liberorum.
- 18 Utilitas liberorum in eo consistit, vt patrem habeant diuitem cui succedere possint.
- 19 In materia transitoria ad hæredes quando agitur de filiis nascituris, semper in dubio stipulatio censetur facta liberis tanquam hæredibus.
- 20 Quando pater stipulatur pro se, & suis hæredibus, & successoribus quibuscumque; argumentum est euidentis exclusionis fideicommissi super bonis donatis: vt Rota Romana iudicauit in causa sancti Tronqueti.
- 21 Stipulatio pro se, & hæredibus quibuscumque, acquirat ius liberis tanquam hæredibus, non obstante expressione masculinitatis.
- 22 Stante dicta clausula, oportet filium esse hæredem mediatum, vel immediatum primi acquirentis.
- 23 Quando in contractu requiritur qualitas hereditaria, illa debet interuenire actu; nec sufficit quod sit hæres habitu.
- 24 Liberorum consideratio est remota in donationibus matrimonialibus.
- 25 Donatio acquiratur donatario, & non illi cuius contemplatione donatum est.
- 26 Verba illa fauore liberorum, continent causam impulsuam non fictam.
- 27 Eadem verba continent demonstrationem, non dispositionem.
- 28 Si pater donans voluisset bona iure substitutionis ad suos nepotes deuenire, illud expressisset.
- 29 Sinistros euentus nemo considerare præsumitur, maxime quando agitur de prouidendo tertiis personis.
- 30 Vtrum donatione facta contemplatione matrimonij, matrimonium dicatur causa impulsua, vel finalis.

- 31 *Sine matrimonium sit causa impulsiva. siue finalis, non tamen queritur ex donatione matrimoniali ius liberis vñ liberis.*
- 32 *Pater potest disponere fraude cessante de bonis sibi contemplatione matrimonij donatis; & num. 34.*
- 33 *Liberi post patrem ordine successiuo vocantur, quando illorum mentio facta fuit in parte dispositiua: iuxta tradita supra, num. 13.*
- 34 *Pater non potest facere simulatas retrodonationes, de bonis sibi contemplatione matrimonij donatis.*
- 35 *Liberi in conditione positi non censentur dispositiue vocati, in contractibus, nisi concurrentibus coniecturis.*
- 36 *Argumentum à contrario sensu facile retorquetur.*
- 37 *Si donator sibi ius reuersionis in incerto casu reseruauerit, bona donata remanent libera in casu contrario.*

EX donatione per patrem filio matrimonium contrahenti facta; prætendebant liberi aduersus creditores paternos, sibi ius esse quæsitum tanquam liberis, non tanquam hæredibus; & ideo se ad solutionem æris alieni per patrem contracti nulla ratione teneri. Siquidem pater filio pro se, & suis, gratias agenti & acceptanti, ac stipulanti contemplatione illius matrimonij, & liberorum ex illo procreandorum, bona sua donauerat irreuocabiliter: vnde liberi ad bona donata ordine successiuo post patrem

1. vti liberi admittendi videbantur. † Cum bona illa quoad nepotes non profectitia, sed aduentitia ac aliunde quàm à patre, nempe ab auo procedere viderentur: nec per consequens patre de illis disponere, aut illa creditoribus obligare posset;
2. † cum donatio expressè facta esset contemplatione matrimonij, & liberorum nasciturorum. *l. profectitia. §. 1. ff. de iur. dot. l. sed si plures. §. in arrogato. ff. de vulg. & pupil. substituit.* Menoch. *consil. 81. numer. 40. & consil. 161. numer. 12.* † Vbi dicit quòd quando concessio facta fuit tam contemplatione patris, quàm filiorum; censentur duæ concessiones ad tempus factæ; vna patri dum erit in humanis, altera filiis post obitum patris, & celeritate coniungendarum actionum vnus tantum actus expressus est; & alter occultatus: iuxta
4. *tex. in l. singularia. ff. si cert. petar.* † Et ideo dicit tali casu, patrem filiis suis in bonis sibi filiorum contemplatione donatis præiudicare non posse: hoc idem voluit esse Menoch. *lib. 3. præsumpt. 28. numer. 1.* Mantica. *de tacit. & ambig. conuent. lib. 13. titul. 21. numer. 24. in fin.* fusè Surd. *consil. 488. numer. 9. & multis sequentibus.* Gratian.
5. *discept. forens. 663. numer. 8. & sequentibus.* † Et de donatione facta per patrem filio, & suis; quòd ex ea ius irreuocabile filiis acquiratur, tradit Decius, *consil. 607. numer. 10. & sequentibus.* Cancr. *lib. 1. variar. resol. cap. 8. numer. 62. aliàs. 97.* Bertrand. *consil. 138. volum. 2. part. 2. numer. 12.* Purpur. *consil. 353. numer. 15. & 32.* Fontanel. *de pact. nuptial. clausul. 4. gloss. 9. part. 1. num. 4. fol. 129.*
6. Secundò pro hac parte facere videtur, quòd licèt regulariter clausula *pro se, & suis*; intelligenda sit de hæredibus etiam extraneis, quando mentio *suorum* facta fuit in contractu: vt per Cod. Fabr. *lib. 6. titul. 18. definit. 3.* Guid. Pap. & ibi Ferrer. *decis. 230.* † Tamen in donationibus quæ filiis fiunt per parentes, maximè in capitulis matrimonialibus dictio *suorum* explicari debet perinde ac si

facta fuisset in vltima voluntate. Cancr. *lib. 1. variar. resol. cap. 8. numer. 69. nouæ impress. † Et 8.* per consequens eodem modo quo in testamentis comprehendere debet hæredes sanguinis, nempe descendentes per prius, & collaterales per potterius. Castrenf. *consil. 374. numer. 4. volum. 2. & consil. 404. numer. 1. eodem volum. 2.* Plura Thesaur. iur. *lib. 2. quæst. forens. 95. numer. 17. & sequentibus.* D. Ludou. Bell. *consil. 123. numer. 4. & 5. ad quos recurrendum.*

Tertiò, quia donationes istæ quæ fiunt in contractu matrimonij sunt pars ipsius contractus: & sicut matrimonium reuocari non potest; ita nec ipsa donatio. Vincent. de Franch. *decis. 205. fusè Rota, decis. 44. part. 6. recent.* † Quia tales donationes censentur prius tractatæ & conuentæ inter sponfos, alioqui non contracturos; & inter affines sponfi & sponstæ. Fontanel. *de pact. nuptial. clausul. 4. gloss. 9. part. 1. numer. 35. versic. si etiam.* † Ergo non potest pater de dictis bonis in præiudicium vxoris & liberorum disponere, aut ea creditoribus suis obligare, aut hypothecæ supponere. Gratian. *discept. forens. c. 924. n. 32. & 984. n. 24.*


Quartò, quia in eodem contractu expressè conuentum fuit, quòd decedente filio donatario sine liberis masculis, pater posset facere substitutionem de domo donata pro vt sibi placeret; & ideo liberi in conditione positi in dicto contractu, præcipuè sub qualitate masculinitatis, cèlebantur dispositiue vocati. Ias. *consil. 108. n. 1. versic. utè gloss. vol. 4. Maynard. lib. 5. c. 67.*

Censui nihilominus creditores esse fundatos; & liberos ex illo matrimonio procreatos non esse ad bona donata vocatos tanquam liberos, sed tanquam hæredes: & ideo ad solutionem debitorum paternorum esse obligatos. † Considerando verba & formam donationis, in qua pater non donauerat filio & suis; sed filio *pro se, & suis*: inter quas duas donationis formas magna est differentia. Quando enim pater donat filio & suis; tunc personam filiorum æquè principaliter donator respicit & considerat: sed quando donatio fit filio pro se & suis stipulanti; tunc principaliter respicit filium donatarium; & verba suæ dispositionis ad illum primario dirigit, ad filios autem donatarij secundariò & minus principaliter. † Ideo dum agitur de materia transitoria ad hæredes, pro vt hîc; sine dubio donatio censetur facta filiis donatarij, non tanquam filiis, sed vt hæredibus eiusdem: vt benè explicat D. Lud. Bell. *consil. 43. n. 8. & consil. 44. n. 1. 2. 3. & 4. & consil. 109. n. 19.* Surd. *decis 322. per tot.* Menoch. *consil. 286. per tot. & lib. 13. præsumpt. 48. num. 1.* Mantica. *de tacit. conuent. lib. 14. tit. 18. n. 9. & sequentibus. vsque ad finem.* † Qui asserunt in dubio stipulationem censeri factam, pro filiis non vt filiis, sed vt hæredibus: quia stipulatio facta pro filiis vt hæredibus, est patri vtior & fauorabilior. Mart. *consil. 72. numer. 9. & 12.* † qui loquitur in materia etiam non transitoria ad hæredes; nempe feudali. Peregri. *de fideicom. art. 32. num. 15.* † Et licèt considerata quoque fuerit vtilitas liberorum; tamen id fuit factum secundariò, & minus principaliter: vt dicit Soccin. Sen. *consil. 127. n. 9. versic. secunda; & versic. ex quibus. volum. 3.*

Vtilitas autem liberorum in hoc cõsistit, vt patrem habeant diuitem qui illòs commodius alere possit. Menoch. *d. consil. 286. numer. vltim. in fin.* Bertrand. *consil. 73. part. 2. prior.* Molinus, *de ritu nuptiar. lib. 3. quæst. 15. numer. 50. versic. non tamen.* Vbi dicit quòd licèt disputando contrarium teneri possit; tamen non est recedendum à communi sententia, vt scilicet donatio censetur facta filiis tanquam

- quam hæredibus; nisi doceant de contraria donantis intentione. Camil. de Larata *consil.* 9. num. 38. & 42. & per totum, vbi etiam de communi opinione testatur. † Et dum agitur de materia transitoria ad quoscumque hæredes, tradit Hodiern. ad Surd. *decis.* 322. num. 7. & n. m. 11. vbi dicit hoc maxime procedere, quando agitur de filiis nascituris, & donatori per consequens incognitis. Hodier. *ibidem*, num. 28. The-
 19. saur. *lib.* 4. *quest. forens.* 2. Sanfelix *decis.* 200. † Et in propriis ferè terminis habemus decisionem *consilij* 118. D. Ludou. Belli, & Crauetæ *consil.* 288. quorum sententiam sequuta fuit Rota Romana in causa fideicommissi prætensi Castri de sainct Tronquet: in qua Ego laboriosè scripseram contra fideicommissum, & fuit dictum liberos non esse vocatos nisi tanquam hæredes, propter clausulam appositam in donatione, *pro se, & suis hæredibus, & successoribus quibuscumque*: vt patet ex decisione facta coram R. D. Verospio die 30. Aprilis 1646. post quam, cum actor peteret se admitti ad probandum aliqua in facto per eum deducta, Rota eum exclusit à Remissoria perita, inter ceteras rationes; quia propter illam clausulam *pro se, & successoribus quibuscumque*, excludebatur vinculum fideicommissi, & pater liberè disponere poterat: vt patet ex illa decisione exclusiua remissoriæ facta coram eodem D. Verospio, die 4. Februarij anno 1647. quæ iterum fuit confirmata, & dictum non esse recedendum à decisis circa denegationem remissoriæ die 26. mensis Iunij eiusdem anni 1647. Et tandem dum hæc typis mandarentur facta fuit alia decisio in negotio principali coram eodem Illustrissimo D. Verospio die 11. Martij huius anni 1648. per quam præcedentes decisiones fuerunt confirmatæ: vt videre est in fine præsentis capituli.
21. De eadem stipulatione *pro se, & hæredibus quibuscumque*, agunt Camil. de Medic. *consil.* 142. per tot. Vincent. de Franch. *decis.* 213. num. 56. & hoc procedere non obstante expressione masculinitatis voluit
 22. Surd. *dicta decis.* 322. num. 80. † Non potest igitur filius succedere in bonis donatis nisi sit hæres medietatis primi acquirentis, vel immediatus. Peregrin. *dict.*
 23. *art.* 32. num. 14. & 15. † Adeo vt non sufficiat quòd sit hæres aptitudine & potentia, sed debeat etiam esse hæres actu; cum agatur de qualitate hæreditaria appositæ in contractu: quo casu qualitas hæreditaria debet interuenire actu, nec sufficit quòd interueniat aptitudine, & potentia. Peregrin. *dict.* *artic.* 32. num. 23. *versic. sed contra.* cum multis aliis quos citat & sequitur Fufar. *de substit.* *quest.* 340. num. 21. & tenuit etiam Rota in dictis decisionibus factis in causa Sancti Tronqueti.
24. Neque dictam veritatem offuscant rationes in contrarium oppositæ. Et primò quidem quod dicitur de donatione facta contemplatione matrimonij, & favore liberorum ex eo procreandorum. Quia pater est causa proxima & immediata donationis; liberi verò causa remota: vt superiùs num. 17. dictum est post Socin. Sen. *consil.* 127. num. 3. Menoch. *dict.* *consil.* 286.
 25. *in fin.* † Et facit à simili quòd quando donans alteri ex coniugibus est æquè consanguineus vtriusque, & sic donat vtriusque contemplatione; illi tamen duntaxat acquiritur cui donatum est. Gutier. *lib.* 2. *pract.* *quest.* 120. num. 12. Sanchez *de matrim.* *lib.* 6. *disput.* 26. num. 5. Surd. *decis.* 312. num. 84. † Et nominatim de donatione facta contemplatione matrimonij, & favore liberorum, tradit Bertrand. *conf.* 73. vol. 2. *prior.* vsque ad n. 15. Dec. *conf.* 216. *visa in transactione.* n. 7. v. non obstant posita. vbi ex mente Oldrad. dicit quòd causa futuri matrimonij est impulsiva, & nõ finalis: (de quo tamen videnda est Addit. ad Burat. *decis.* 861. post n. 9.
 † Et quòd verba *fauore liberorum*, posita fuerunt ad demonstrandum illud quod verisimiliter futurum fuisset; quia talia bona donata ad liberos secundum parentum commune votum peruentura erant: ideo quòd propter illa verba, nullum quæsitum fuit ius liberis nascituris. † Et sanè si pater idèmq; auus donator voluisset bona illa ad nepotes iure substitutionis deuenire, nemo eum impediēbat clariùs loqui; & si hoc voluisset, hoc vtrique expressisset, & propositum in mente retentum nihil operatur. Surd. *dicta decis.* 322. num. 84. *in fin.* & num. 85. † Neque verisimile est auum cogitasse casum futurorum filij sui creditorum; quia mali euentus non habentur in consideratione: maxime quando agitur de prouidendo aliis tertijs personis. Surd. *dicta decis.* 322. num. ultimo.
- Nec est faciēda vis in illa quæstione vtrum matrimonium fuerit causa finalis, vel impulsiva dictæ donationis: de qua vltra Addent. ad Burat. *d. decis.* 861. Monter. *decis.* 10. *Aragonia*, asserens causam esse finalem quando donatio facta fuit contemplatione certi matrimonij, cum certa & determinata persona contrahendi. Ludou. Bell. *conf.* 29. n. 6. plures citat Cancer. *lib.* 1. *variar. resol.* c. 8. n. 95. *in nouis.* Gratian. *discept. forens.* 924. n. 28. & 29. & cap. 297. num. 1. & sequentib. & 159. num. 34. vbi disputat vtrum tales donationes sint conferendæ, dum contemplatione matrimonij factæ sunt. Alij plures breuitatis gratiâ omittuntur, quia hæc quæstio est extra materiam propositam, vt mox dictum est. † Quia quamuis causa matrimonij hoc casu esset finalis, iuxta *d. decis.* Monter. non tamen ex hoc sequitur ius esse quæsitum liberis vt liberis: nam fauor liberorum alio modo considerari potest, nempe vt patrem habeant diuitem qui eos alere, & vitæ, ac honori necessaria possit ministrare, aut vt liberi, patri diuiti succedentes honorem familiæ tueri queant, alijsve similibus modis; † Vnde non immeritò donationes istas contemplatione futuri coniugij factas transire ad quoscumque hæredes etiam extraneos, tradunt DD. & nominatim, Guid. Pap. *decis.* 147. & post ipsum Pascal. *de patr. potest. part.* 1. *cap.* 4. num. 98. & bene Nouar. *lib.* 1. *quest. forens.* 83. num. 5. Thesaur. *lun. lib.* 4. *quest. forens.* 2.
- Similiter non obstat quod secundo loco proponebatur de clausula *pro se, & suis*. Quia id verum esset si suorum mentio facta esset in parte donationis dispositiua: nempe quia donatio facta fuisset *filio, & suis*; tunc enim liberi post patrem ordine successiuo vocati essent: & hoc casu vera est doctrina Cancerij, *dicto lib.* 1. *cap.* 8. num. 109. Sed quia de suis facta erat mentio in parte illa donationis, in qua aderat stipulatio; & sic verba donationis ad filium stipulantem principaliter dirigebantur: ideo sequitur, *suis*, hoc casu non intelligi de hæredibus sanguinis; sed de quibuscumque, etiam extraneis hæredibus. D. Ludou. Bellus, *consil.* 123. num. 4. & sequentib. post Decium *consil.* 216. num. 5. Thesaur. *lun. lib.* 2. *quest. forens.* 95. num. 18.
- Tertia obiectio in hoc vera est, quòd pater non potest in præiudicium vxoris & liberorum donationem matrimonij contemplatione factam per simulas retrodonationes reuocare: & in illis terminis loquuntur DD. ex aduerso allegati: sed ex eo non infertur quòd pater non possit bona sibi matrimonij contemplatione donata cui voluerit testamento relinquere, aut quòd de illis disponere nequeat, illa obligando suis creditoribus, vel etiam alienando, cum verius sit patrem de illis regulariter, nisi aliud speciale vinculum adiectum fuerit, ad libitum disponere posse: vt præter Doctores mox citatos

- citatos num. 32. tradit Fontanel. *de pact. nuptial. claus. 4. glos. 1. num. 80. & 81.* vbi dicit patrem liberam bonorum contemplatione matrimonij donatorum, cessante fraude, dispositionem habere.
35. Quod autem quarto loco proponitur liberos in conditione positos in contractibus cenferi dispositiuè vocatos, non subsistit: quia verior est & receptior illa sententia, quòd liberi in conditione positi in contractibus non cèsentur dispositiuè vocati, nisi concurrentibus coniecturis: & quod in hoc capite non est facienda differentia inter contractus, & vltimas voluntates; iuxta sententiam Pereg. *in tract. de fideicom. artic. 28. numer. 29.* Ferrer. ad Guid. *decis. 39.* vbi reprehenditur Maynard ex aduerso citatus; & copiosius deduxi in dicta causa Castri Sancti Tronqueti, in qua Rota coram D. Verospio hanc opinionem sequuta est, die 30. Aprilis 1646. quæ etiam confirmata fuit die 11. Martij presentis anni 1648. vt in fine cuius capitulis.
36. Immo in casu proposito, argumentum à contrario sensu facile retorqueri potest contra liberos donatarij. Quia dum auus donator dixit, *si filius meus donatarius moriatur sine liberis masculis reseruo mihi facultatem faciendi substitutiones mihi bene visas*: ergo existentibus liberis masculis noluit habere facultatem substituendi: sed ex hoc nihil inferitur, ex quo colligamus propterea liberos masculos esse substitutos; sed auum duntaxat considerasse spem probabilem succedendi quam habebant liberi iuxta commune parentum votum. Honded. *consil. 48. num. 35. volum. 1.* † vbi dicit quòd si donator ius reuerfionis in certo casu reseruauerit bona donata remanent libera apud donatarium in casu contrario: optimè D. Lud. Bellus in simili pacto *consil. 118. num. 22. & sequentibus.* Gratian. *discept. forens. cap. 498. num. 24.* vbi stipulatio concepta in vno casu, facit donationem liberam in alio.
- Et ex his fuit iudicatum liberos excludendos, & bona donata fuerunt ad instantiam creditorum filij donatarij in publica auctione vendita, & pretium solutum creditoribus.



R. P. D.

VEROSPIO

Auenionen. Fideicommissi.

Luna 30. Aprilis 1646.

Resolutum fuerat coram me *sub die 27. Junij præteriti* constare de fideicommissio super medieta-
te Castri Sancti Tronqueti ad fauorem Petri de Pol per obitum Gabrielis eius Patris purificato, & ex pluribus coniecturis in præterita decisione deductis, vt positum in conditione fuisse dispositiuè vocatum. Quo dubio repropósito ex alijs vrgentioribus, ac efficacioribus coniecturis elicitis ab ipso donationis instrumento, integrè nuper exhibitio pro exclusione fideicommissi hodie Domini responderunt. Hæc enim exclusio suadetur, Tum ex conditione, si sine liberis, pro grauamine adiecta vocationi filiorum Ioannis donatarij; qua per obitum Gabrielis Iunioris cum liberis expirata, defecit quoque fideicommissum sub dicta conditione institutum, *l. Patrem Seuerinam §. ita fideicommissio ff. de condit. & demonstrat. l. à filia ff. ad Trebell. l. is cui ff. quando dies leg. ced. &*

notat Gloss. *in l. 1. verb. defecisse. Cod. de cond. insert.* Ripa *in l. ex facto §. 1. num. 51.* vbi etiam Bart. *num. 1. & in §. si quis autem ff. ad Trebell.* Card. Mantic. *de coniect. vltim. volunt. lib. 11. tit. 6. num. 8.* Crass. *in §. fideicommissum. quæst. 34. num. 1.* Thesaur. *decis. 238. numer. 9.*

Tum etiam ex stipulatione Donatarij, *pro heredibus & successoribus quibuscumque* in hac indifferenti materia fideicommissi quoruncumque extraneorum inclusiua, Suar. *in l. quoniam in prioribus q. 5. n. 10. C. de inoffic. testam. Fab. in Cod. lib. 2. tit. 3. definit. 22. vers. plerumque, Molin. de rit. nupt. lib. 3. quæst. 85. num. 60. & 64. Marefcot. var. lib. 2. cap. 20. num. 7. Clar. in §. Emphyteusis quæst. 28. num. 4. Monter. dec. Arag. 3. num. 3. & alij relati in decis. 587. num. 2. & 3. part. 1. & decis. 231. num. 6. part. 5. recent.* Tum demum ex qualitate hæreditaria in instrumento donationis expressa per Ioannem donatarium iux. text. *in l. vltima Cod. de hered. instit. & in l. in annalibus C. de legat. l. Pater filiam. §. penul. ff. de legat. 3. & not. DD. communiter in l. Gallus. §. etiam si parente. ff. de liber. & posthum. Fusar. de substit. quæst. 339. numer. 1. & 8. vers. Ego puto; Bis repetita sub nomine quorumcumque successorum, ex not. in l. hæreditas. ff. de reg. Iur. & l. quadam. §. nihil interest, vbi notant DD. ff. de edend. Card. Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib. 8. tit. 14. numer. 18.* Simon. de Prætis *de interpret. vltim. volunt. libr. 3. interpret. 1. dub. 1. solut. 5. num. 18. in fine, & alij relati per eundem Fusar. ibidem numer. 12.* Cùm ex his manifesta contrahentium voluntas arguatur includendi extraneos dispositiuè vocatos, non autem solos filios masculos positos in conditione, quæ debiliior ipsa dispositione reputatur, & nihil ponit in esse iuxta text. *in l. si quis sub conditione. ff. de condit. instit. & ita ratiocinatur, Aym. conf. 288. num. 3. Ludouic. Bell. conf. 118. num. 7. cum seqq.* vbi præterea ponderant contrarietatem, & improprietatem inde resultantem, si soli filij debuissent succedere, & admitterentur extranei; vel si verbum, *heres*, in indifferenti materia ad hæredes sanguinis restringeretur.*

Arguunt hæc quoque fideicommissi exclusionem sequens filiorum substitutio facta Gabrieli seniori, quatenus ille prædecessisset, quæ cùm solam vulgarem contineat, non autem fideicommissariam includat, vt not. DD. *in l. Gallus. §. quidam rectè. ff. de liber. & posthum.* vbi Soccin. Sen. *num. 2. Aret. num. 2. Lancell. Gall. num. 7. Couar. in cap. Rainutius num. 7. de testam. Clar. in §. Testamentum quæst. 80. numer. 4.* vbi de communi Dec. *conf. 201. numer. 4. circa med. Aym. conf. 131. num. 3. ad fin.* Suadet, vt sub eadem vulgari vocati dicantur filiorum filij positi in conditione proximè præcedenti, ad tradita per Zanch. *in l. heredes mei. §. cum ita. part. 7. num. 72. ff. ad Trebell. Ant. Fab. in Cod. libr. 6. tit. 22. diff. 38. Peregr. conf. 52. num. 10. lib. 1. vers. Nec valet, Cancer. var. lib. 3. cap. 21. num. 92.* vbi ex hoc arguit nepotum vocationem per præcedentem Patris aditionem fuisse extinctam, iux. text. *in l. post aditam. C. de impub. & alijs subst. Rota coram Caualer. decis. 496. num. 14.*

Provt etiam subsequuta vocatio filiorum Ioannis, quos ipse elegisset, & substitutio filiorum Gabrielis per vulgarem concepta, ex quibus elicitor contraria donantis voluntas non admittendi ad dictum fideicommissum eiusdem Ioannis nepotes non expressè vocatos, sed tantum positos in conditione vt aduertunt Socin. Sen. *conf. 16. num. 2. vers. & in terminis, & num. 5. vers. Præterea lib. 1. Paris. conf. 86. num. 3. lib. 2. Rust. in tract. quand. fil. in condit. posit. lib. 4. cap. 4. numer. 2. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 66.*

num. 89. Intrigliol. de substit. centur. 3. quest. 26. n. 168.

Et ex hac facultate Ioanni attributa eligendi ex propriis filiis eum, ad quem spectare debuisset idem Caltrum oritur alia coniectura fideicommissi exclusiua propter repugnantiam resultantem inter substitutionem omnium filiorum, & vnius ex eis electione Ios. de Rustic. de fil. in condit. posit. lib. 6. cap. 7. n. 4. Petr. Greg. Tholof. Syntag. iur. part. 3. lib. 42. cap. 28. num. 36. Fufar. de subst. quest. 438. num. 12. & fortius nepotum, qui in secunda conditione positi fuerant, vt dixit Rota in Spoletana successione 1. Martii 1641. coram R. P. D. meo Peutingerio. Hæc tamen electio licet facta non sit à Ioanne prædefuncto vnico tantum filio post se relicto, deseruit ad elicendam donatoris voluntatem, quæ non ab euentu, sed ex eo quod potuisset contingere, dignoscitur: vt in his terminis aduertit Socin. sen. conf. 174. num. 15. & 16. lib. 2. Peregr. conf. 54. num. 17. lib. 4. Giouagn. conf. 79. num. 22. lib. 1. Fufar. conf. 144. num. 4. & 15.

Accedit his omnibus obseruantia inter Petrum, & Scipionem Fratres super bonis cõtrouersis admittita, in quibus dictus Scipio ab ipsomet Petro in solidum recognitus fuit in Dominum; illa enim plurimum attenditur ad inclusionem, vel exclusionem fideicommissi l. minime ff. de leg. cap. cum dilectus de consuetud. Aym. conf. 101. num. 3. Menoch. conf. 349. num. 15. Fufar. conf. 114. num. 40. & de subst. quest. 500. num. 4. Rota decis. 169. num. 1. part. 1. recent. & in Romana fideicommissi de Ceulis 14. Iunii 1641. coram Reuerendiss. Præside Vallisoletano.

Vnde non videntur vrgeri coniecturæ ex aduerso ponderatæ, quia ex præcedentibus, tanquam efficacioribus & potentioribus eliduntur, vt in proposito not. Bald. in l. licet. 77. ff. de legat. 2. Bero. conf. 109. num. 39. lib. 2. Bellon. Iun. conf. 26. num. 50. Molin. de rit. nupt. lib. 6. quest. 24. num. 130. Card. Mantic. de coniect. lib. 12. tit. 17. num. 6. Rota decis. 6. num. 36. part. 5. decis. 22. n. 33. & 310. num. 53. part. 6. recent. & consequenter existentiam fideicommissi excludunt, contra quam semper in dubio respondendum esse monet Fufar. conf. 42. num. 32. Aym. conf. 180. num. 4. vers. postremo. Gabr. conf. 95. num. 14. lib. 2. Hier. Leo decis. 60. num. 34. lib. 1. Rota in his terminis in Tudertina fideicommissi 4. Iunii 1640. in §. penult. confirmata 23. Ianuarij sequentis anni coram R. P. D. meo Roias; Præterquam singulæ speciali responsione tolluntur.

Prima enim in præterita decisione deducta, fundata in qualitate legitimitatis, adiecta filiis in conditione positus ex se sola non suffragatur, & plures habet contradictores, relatos per Rotam in adducta Tudertina fideicommissi 4. Iunii 1640. coram R. P. D. meo Roias, ac prius coram Buratto decis. 385. num. 8. & 588. num. 7. part. 2. & 221. num. 12. part. 5. recent. vbi etiam reprobat alia coniectura ex qualitate masculinitatis, vt coram eodem Buratt. decis. 387. num. 7. & in decis. 1154. num. 1. part. 3. diuers. & in Romana fideicommissi de Colinis 10. Decembris 1635. coram Eminentiss. D. Card. Machiauello.

Altera ex digressu ad plures substitutionum gradus remouetur ex facto, quo constat talem digressum solum per vulgarem in dicto donationis instrumento fuisse appositum, videlicet, vt si Ioannes sine filiis decederet, Gabriel, si viuet, sin minus eius liberi, & propterea non videtur sufficiens ad hunc effectum, vt aduertunt Giouagn. conf. 82. num. 20. vers. 6. lib. 1. Bellon. Iun. conf. 26. num. 62. Criuell. decis. 125. num. 67. in fin. Rota coram bo. mem. Coccino decis. 294. num. 12. & decis. 211. num. 10. part. 5. recent. & coram Caualer. decis. 496. num. 14. Nam post eosdem filios Gabrielis

subsequi debuissent alij substitutionum gradus, vt dici possent fideicommissio grauati Laderch. conf. 58. num. 31. Rimin. Iun. conf. 371. num. 162. Aym. conf. 131. num. 4. Surd. conf. 370. num. 2. vers. Nec me turbat. Cancr. variar. lib. 1. cap. 1. num. 133. Peregrin. de fideicom. art. 18. num. 5. vers. contra tamen, Petra. eodem tractat. quest. 5. num. 169. Rota decis. 357. num. 6. part. 1. recent.


Eadem responsione tollitur tertia deducta ex verbis denotantibus tractum temporis successiuum; cum illa non legantur adiecta nepotibus Ioannis in conditione positus, provt fore necessarium tradunt Aymo. conf. 125. num. 4. Alciat. conf. 7. num. 40. lib. 4. & alij relati per Peregrin. de fideicom. art. 18. num. 13. Rota decis. 357. num. 6. part. 1. recent. & qualia sint declarat Alexand. in l. Gallus §. quidam rectè, num. 6. ff. de liber. & posthum. Menoch. conf. 85. num. 54. & præsumpt. 71. num. 34. lib. 4. Peregrin. d. art. 18. num. 14. & conf. 62. num. 20. lib. 1. Petra eodem tractat. quest. 5. num. 170. Fufar. de substitut. quest. 382. num. 56. Hunc verò tractum successiuum non infert verbum liberis, quasi tanquam plurium personarum collectiuum, aptum sit omnes descendentes comprehendere, iuxta text. in l. liberorum. ff. de verb. significat. l. generaliter. §. ultimo. ff. de instit. & substit. Aym. conf. 31. num. 20. Menoch. conf. 44. num. 2. Quia idem verbum non habet concomitantiam alterius verbi denotantis tractum temporis, sine quo descendentes censentur vocati solum per vulgarem in Gabriele iuniore expiratam iuxta doctrinam Cumani in l. cum ita §. in fideicommissio. ff. de legatis 2. num. 4. Glos. in dict. l. 1. verb. defecisse. Cod. de condit. insert. Ruin. conf. 19. num. 10. cum sequentib. lib. 3. Socin. Iun. conf. 81. num. 12. lib. 3. Peregr. conf. 53. num. 11. lib. 3. Menoch. conf. 85. num. 52. & 54. Fufar. conf. 3. num. 3. Surd. conf. 315. num. 13. & 14. & decis. 345. num. 22. Rota decis. 266. num. 12. & 357. num. 2. part. 1. recent. Præterquam donator de filiis primi gradus sensisse videtur, dum postea de liberorum liberis mentionem fecit, & electionem Ioanni donatario concessit nominandi ex liberis, quem maluisset.

Cessat etiam quarta coniectura deducta ex fideicommissio super re certa, & cum plures habeat contradictores relatos à Fufar. de substit. quest. 437. num. 104. & à Peregrino de fideicom. art. 28. num. 16. & à Menoch. præsumpt. 76. num. 62. lib. 4. propterea aliis destituta non admittitur, vt docet idem Fufar. sequenti n. 105. Ioseph. de Rustic. de liber. in cond. posit. lib. 3. cap. 1. num. 2. Ceph. conf. 588. num. 13. Bero. conf. 100. num. 44. lib. 2. nec etiam si agatur de fideicommissio instituto per contractum, in quo strictior fieri solet interpretatio l. quicquid astringenda. ff. de verb. oblig. sed solum locum habet in mero, ac puro legato, ad quod restringendam esse Angeli opinio, vt à iure communi exorbitantem, monet Beroiüs conf. 57. num. 58. in fine. Rustic. eodem lib. 3. num. 16. Fufar. in adduct. quest. 437. num. 105.

Hinc corruit quinta, quia versamur in contractu; cum in eo debeant etiam concurrere concludentes coniecturæ, provt in vltimis voluntatibus requiruntur. Barbof. in l. si cum dotem 27. in princ. num. 34. ff. solut. matr. Alciat. in l. Lucius la seconda ff. de hered. instit. in fin. latè Ludouicus Bellus conf. 118. num. 4. cum seqq. Peregr. de fideicom. art. 28. num. 29. Mantic. de tacit. lib. 2. tit. 14. num. 19. Rota in Meluitana hereditatis 27. Martij 1629. coram bon. mem. Seleucien. Neque vrget decisio 142. num. 3. part. 4. recent. in contrarium adducta, cum illa solum loquatur dubitatiuè, provt etiam dubitatiuè loquitur decisio 731. num. 4. part. 3. recent.

Nec demum visa fuit ob stare altera coniectura desumpta ex qualitate bonorum Iurisdictionalium, quæ præsumuntur à donatore relicta solis agnatis, licet hæredum mentio facta fuerit in instrumento donationis ex notatis per DD. *in l. quæsties* post Glor. C. de fideicom. vbi Cyn. & Bald. num. 8. Castren. num. 4. Surd. decis. 125. num. 3. Fular. de substi. quæst. 685. num. 35. cum elidatur ex subsequuta acceptatione donatarij pro successoribus quibuscumque, quorum appellatione in indifferenti materia non solum fœminæ, & ab ea descendentes admittuntur, sed etiam extranei, vt firmavit Rota in adducta decis. 587. num. 2. & 3. part. 1. & 251. num. 6. part. 5. recent. Qui ab initio censentur comprehensi, non autem post extinctam Ioannis descendentiâ primò vocatam iuxta doctrinam Camerarij in repetit. cap. 1. num. 44. tit. An agnati, vel filij, & aliorum quos sequitur Rota in Sarfinate feudi. 22. Junij 1645. sub §. Nec Peregr. ad finem coram Reuerendiss. D. meo Decano: Cum illi loquantur in materia differenti, vel quoties fuissent expressè vocati descendentes, non autem si materia fuerit indifferens, vel vbi deficiat, provt hîc, expressa descendentiâ vocatio.

Et ex hac stipulatione excluditur etiâ præsumpta agnationis conseruatio ob qualitatem masculinitatis pluries repetitam, sine qua aliæ coniecturæ de facili tolluntur, & euanescent, vt declarat Gabr. consil. 133. num. 2. lib. 1. Giouagn. consil. 82. num. 24. & 25. lib. 1. Rota coram Buratto decis. 387. num. 3. & decis. 221. num. 13. part. 5. recent. & in dicta Tudertina fideicommissi 23. Ianuarij 1641. coram R. P. D. meo Royas. Et ita vtraque parte informante resolutum, &c.



R. P. D.

VEROSPPIO

Auenionen Fideicommissi.

Luna 4. Februarij 1647.

Excluso fideicommissio in Castro S. Tronquetti per stipulationem Notarij pro hæredibus, & successoribus quibuscumque receptam, & ex pluribus aliis coniecturis in præterita decisione deductis coram me sub die 30. Aprilis 1630. præteritis; Petrus de Pol Pronepos donantis, vt ostenderet donationem ad hæredes sanguinis fuisse restrictam, & in ea idcirco se tantum comprehensum, non autem Catherinam aduersariam vt extraneam institit pro Remissoria, articulando, quod verbum *Hoirs* adiectum in stipulatione per donatarium solum in hæredibus sanguinis verificetur tum ex generali stylo Ciuitatis Auenion. tum ex particulari consuetudine Notarij, qui Instrumentum donationis confecerat. Verbum verò *Heritiers* extraneos etiam hæredes includat. Eam tamen hodie Domini denegarunt tanquam irrelevantem iuxta dispositionem text. in l. ad probationem, & per Gloss. ibi in verb. non conuenit. ff. de probat. & in cap. cum contingat in verbo nihilominus de officio delegati, provt aliàs ex hoc eodem fundamento pluries denegauit hoc Tribunal, vt coram Cæsare de Grassis decis. 1. & 2. de dilation. coram Mohed. dec. 1. num. 6. de probat. coram Veral. dec. 66. num. 1. & dec. 68. n. 2. part. 3. & coram Greg. decis. 122.

Hæc autem irrelevantia ex eo concluditur, quòd in instrumento donationis, certæ ac determinatæ

personæ vocantur à donante, Ioannes videlicet, ac filij ab eodem eligendi eisque deficientibus sine liberis, Gabriel eiusdem frater si viueret, sin minus ipsius liberi, sub qua vocatione comprehendi non poterit Petrus donantis pronepos, ex deductis in decisione præterita, nec etiam includi in donatione recepta à donatario pro se, & hæredibus, licet sanguinis, dum non est hæres donatarij à quo rem donatam habere censetur, non autem à donante, vt declarat Fontanel. de pact. nuptial. clausula 4. gloss. 9. part. 1. num. 10. distinguendo inter emphyteusim patri factam, & filiis, & soli patri concessam, recipienti pro se & filiis, vt primo casu admitti debeant filij, tanquã filij, quibus idcirco quæsitum censetur dominium rei emphyteuticæ; Altero vero casu secus, nec admittantur nisi fuerint hæredes patris, quam distinctionem ponderat Dec. cons. 210. num. 4. & 5. Socin. iun. cons. 88. num. 5. in fine cum seqq. lib. 2. Ludouic. Bell. cons. 45. num. 2. & 3. Surd. dec. 324. num. 6. Hodierna ad eund. in dec. 322. num. 2. vbi æquitati innixam, ac in praxi recipiendam attestatur, Rot. coram Burat. dec. 861. num. 4. & 8. & in dubio quòd donatio à patre stipulata pro se, & filiis; pro filiis, vt hæredibus recepta præsumatur notat Gloss. in l. si tibi decem, §. si pactus, in verbo proderit circa finem, vbi etiam Barr. num. 8. Angel. num. 2. ff. de pactis idem Barr. in l. quod dicitur. ff. de verb. oblig. Iaf. num. 27. Alciat. num. 18. Menoch. cons. 257. num. 17. & plures alij adducti per Alciat. de præsum. reg. 1. præsum. 31. num. 1. cum seqq. & quoties in stipulatione hæredum etiam nomen exprimitur (provt hoc casu contingit,) vt admitti non possint filij, nisi fuerint etiam patris hæredes tradit Barr. in l. vt iusiurandum. §. si liberi num. 3. ff. de oper. liber. per text. in §. emphyteusim. Auth. de non alienan. Iason. in l. 2. C. de iure emph. num. 188. & plures alij adducti per Peregr. de fideicom. art. 32. num. 14. & 15. Clar. in §. emphyteusis quæst. 16. num. 2. & quæst. 37. pariter num. 2. & in §. feudum. num. 3. circa finem, & de communi testatur Criuell. dec. 18. num. 11. vcrs. contrariam opinionem.


Non obstat, quòd donatio controuersa contemplatione certi, ac determinati matrimonij facta fuerit, quo casu filijs censerit ius quæsitum tamquam filiis, non autem tamquam hæredibus, tradit Ioannes Franc. à Ponte, cons. 80. num. 11. & 16. & alij adducti per Addit. ad decis. Buratt. 861. & in Romana diuisionis 10. Junij 1641. num. R. P. D. meo Cerro in §. immò nec alia capi debet interpretatio. Quia conclusio procedit ad effectum, vt irreuocabilis dicatur donatio respectu donantis, & sic debet intelligi, vt fuerit ius quæsitum filijs ad impediendam alienationem, non tamen si patris hæredes non extiterint, itavt tunc admitti non debeant: vt declarat idem Ioannes Franc. à Ponte. eod. num. 16. Ludouic. Bell. cons. 118. num. 13. Capic. Latro consult. 79. num. 54. Ricc. in collectan. decisionum 3948. in §. vanissima mihi semper est visa. Rot. in Romana fideicommissi de Incoronatis 5. Martij 1640. coram bon. mem. Pirouano in §. tertius est casus, vbi præterea concludit, quòd non benè inferatur ex causa matrimonij ad stipulationem pro filiis, vt filiis, non autem tanquam hæredibus.

Hinc verò dignoscitur irrelevantia probationis articulatæ, dum à donante in substantia donationis non fuerunt nominati hæredes sanguinis, sed solum in stipulatione donatarij, quæ ad hunc effectum non attenditur, vt fuit superius ostensum, & fortius demonstratur ex subsequentijs verbis stipulationis, pro successoribus quibuscumque extraneorum inclusiuus in hac materia indifferenti, vt respondit Rot. coram Mantic. decis. 18. num. 5. & decis. 587. num. 2.

Et 3. part. 1. Et 251. numer. 6. part. 5. recent. Et in Portuen. stagni 13. Iunij 1646. & in alijs in preterita decisione deductis coram me sub die 30. Aprilis 1646. in §. tum etiam. Quæ sanè verba tanquam clara excludunt irrelevantiam articulatae credulitatis pluries factæ per Ioannem, ac Gabrielem circa donationem Castri controuersam, quòd illa extraneos non includeret, sed restringeretur ad suos, cum talis declaratio, seu reputatio non attendatur tanquam erronea, nec illorum hæredibus præiudicialis existat l. 1. C. de falsa causa adiecta, l. non probatur. ff. de confessis. l. si post diuisionem. C. de iur. Et fac ignor. Rot. decis. 200. numer. 12. part. 1. Et 320. num. 7. part. 5. recent.

Et demum articulata materia Dominis reddi uisa fuit irreleuans ex pluribus coniecturis ponderatis in decisione preterita coram me emanata sub 30. Aprilis. 1646. quæ efficaciter suadent, filios Gabrielis in conditione positos non esse dispositiuè vocatos, & adhuc remanent in suo robore, licèt articulata probatio iustificaretur ex aduerso.

Et ita vtraque, &c.



R. P. D.

VEROSPPIO.

Auenionen. fideicommissi.

Mercurij 26. Iunij 1647.

Remissoriam iterum fore denegandam hodie Domini censuerunt, Ex eodem irrelevantiæ fundamento ponderato in decisione preterita, ac inde resultante quòd Gallicum illud verbum *Hors*, licèt ex Regionis consuetudine ad solos sanguinis hæredes probaretur restrictum; Non tamen possèt includere Petrum Ioannis donatarij nepotem à Ioanne Scipione vltimo Castri possessore non institutum hæredem. Quæ tamen qualitas hæreditaria omninò requirebatur in hac donatione per Donatarium stipulata pro se, & hæredibus, non autem eidem ac alijs à Donatore concessa, vt distinxit Fontanell. de pact. nupt. claus. 4. gloss. 9. part. 1. n. 10. Decius, Socin ac Surd. cæterique in preterita decisione deducti, & nuperrimè firmavit Rota in Pisauren. donationis 8. Februario 1647. coram R. P. D. meo Otthobono in §. sed etiam.

Ponderatis præsertim subsequenter verbis donationis receptæ etiam pro successoribus quibuscunque extraneos quoque hæredes includentibus in hac indifferenti materia, vt aduertit Molin. de ritu nupt. lib. 3. quest. 85. numer. 60. Et 64. Marefcott. variar. lib. 2. cap. 20. numer. 7. Rot. decis. 586. num. 2. Et 3. part. 1. recent. & alijs adductis Authoritatibus firmavit Rota in Portuen. stagni 13. Iunij 1646. coram me.

Quæ sanè verba restricta dici non poterunt ex coniecturis ad solos Sanguinis hæredes, vt videtur censuisse Menoch. in consil. 61. numer. 25. Mandell. consil. 382. numer. 4. Card. Mantica. de tacit. lib. 23. tit. 18. numer. 16. Thesaur. decis. 99. numer. 22. Rot. in Bononien. de Maluetiis 14. Iunij 1621. coram bon. mem. Pironano: Cum DD. prædicti vt patet ex eorum lectura, loquantur in feudo Nobili ad hæredes extraneos non transeunte, qui idcirco applicari non poterunt in hac indifferenti materia donationis, in qua verba illa, Et successoribus quibuscunque. extraneos etiam hæredes includere ex plurium DD. auctoritate probatum fuit coram me in decis. huius cause sub die 30. Aprilis 1646.

Et licèt in donatione contemplatione certi matrimonij peracta filios ibidem censeri comprehensos tanquam filios, quamuis patris hæredes non extiterint, videatur censuisse Staiban. resol. 22. Cutell. de donat. tom. 2. disput. 1. special. 25. numer. 8. Nogherol. allegat. 37. numer. 26. Sanfelice. decis. 102. & plures alij ab Informantibus adducti, eamque opinionem admisisse Rot. in decis. 127. num. 4. part. 6. recent. Et in Romana diuisionis 10. Iunij 1641. coram R. P. D. Cerro.

Horum tamen auctoritates non visæ fuerunt vrgere Quia vel procedunt in donatione facta patri simul ac filijs, & sic in 2. membro distinctionis supra firmatae, in quibus terminis loquitur Sanfelice. Et decis. 127. part. 6. recent. Vel loquuntur ad certum effectum, vt donatio respectu filiorum censeatur irrevocabilis, & in his terminis loquitur Staiban. & Rot. in Romana diuisionis coram R. P. D. meo Cerro; Non tamen auctoritates prædictæ concludunt filiorum vocationem, qualitatem hæreditariam non obtinentium, & ita loquitur Nogherol. allegat. 37. & egregiè discussò articulo respondit Rot. in Pisauren. donationis 8. Febr. 1647. coram R. P. D. meo Otthobono in §. Et quamquam, Et §. sed etiam vbi respondet etiam auctoritati Staibani, & Cutellij.

Neque ad hunc effectum Petro poterit suffragari, quòd per eum non steterit, quin vltimi defuncti hæreditatem adierit iuxta opinionem in hoc tribunali receptam, de qua testatur Rot. decis. 499. num. 5. & pluribus relatis auctoritatibus in decis. 382. num. 12. part. 5. recent. Cum decisiones prædictæ loquantur in feudo mixto; quo casu satis esse firmatur consanguineum qualitatem hæreditariam obtinere mediante persona suorum antecessorum, licèt ab vltimo defuncto non fuerit hæres institutus. Ideoque locum obtinere non poterunt in bonis transitorijs ad extraneos hæredes pro successoribus quibuscunque receptis.

Neque releuantia probationis petite remissoriae deduci potest ex prima parte donationis fauore Ioannis, & filiorum concepta, iisque decedentibus sine liberis pro Gabriele seniori, eiusque descendencia quasi Petrus pronepos Baptista tanquam in conditione positus vocatus censeatur ex coniecturis recentis in decisione coram me ab eodem reportata sub die 26. Ianuarij 1645.

Præterquam enim coniecturæ prædictæ fuerunt reiectæ in altera decisione sub die 30. Aprilis 1646. coram me, & ex contrarijs vrgentioribus coniecturis ibidem eneruatae. Dum illæ ex ipsa dispositione eliciuntur non autem possunt per remissoriam elucescere, nec idcirco pro releuantia probationum valent deferuire


Provt nec etiam argui valet eadem releuantia ex articulis continentibus obseruantiam prætensi fideicommissi ex confessionibus grauatorum, quæ pro eiusdem fideicommissi inclusione plurimum attendi solent, vt notatur in l. minime ff. de legib. Et in cap. cum dilectus. de consuetudine.

Quia prædictæ confessiones dum probantur erroneæ ex stipulatione pro hæredibus & successoribus quibuscunque concepta, deferuire non poterunt ad inducendam obseruantiam fideicommissi, quod ex partium credulitate induci non potuit, in casu quo à Baptista fideicommittente non fuit institutum, vt præter relatos in decisione præterita aduertit Fusar. consil. 169. n. 136. Rot. in Florentina fideicommissi de Barbadoris 25. Iunij 1640. coram bon. mem. Coccino, Et in Romana Casalis Aguzari 27. Iunij eiusdem Anni, Et 16. Decemb. 1641. coram R. P. D. meo Royas.

Pro cuius etiam exclusione releuantia aliqui ex Dominis

Dominis ponderabant exhibitam fidem plurium DD. à Primicerio Auen. subscriptam, ac Iudicum pariter Auenionen, articulatam differentiam inter verbum, *Hoirs*, & verbum *Heretiers*, excludentium, super qua potissimum ex aduerso fundantur articuli Remissoriae petita.

Et ita vtraque, &c.



R. P. D.

VEROSPPIO

Auenionen. Fideicommissi.

Mercurij 11. Martij 1648.

AD disputationis trutinam reuocata admissione Petri ad fideicommissum Baptistæ controuersum, pro Ioanne primum, ac filiis, usque deficientibus pro Gabriele seniore ac liberis institutum in contractu donationis per ipsummet Ioannem donatarium stipulatæ pro se, hæredibus ac successoribus quibuscunque DD. denuò responderunt, Petrum ibidem præsumi non posse dispositiue vocatum, inspecta huius donationis natura, quæ dum filios primi Donatarij, licet expressè nominatos, excludere poterat, nisi Patris hæredes extitissent, & quoties se se contra eius voluntatem ad fideicommissum admitti contenderent, iuxta distinctionem Fontanell. de pact. nupt. claus. 4. gloss. 9. part. 1. num. 10. approbatam à Dec. Soc. Surd. cæterisq. relatis in altera decis. facta coram me 4. Febr. 1647. confirmata 26. Iunij super hac eadem causa, & in Pisfauren. donationis 8. Febr. præteriti anni coram R. P. D. meo Orthobono in §. sed etiam coram eodem comprobata 31. Ian. præteriti; Eò fortius Petrum ipsum solum in conditione positum, & qualitate hæreditaria destitutum ab eodem fideicommissio repellit, quia hæc qualitas expressè requisita in primò vocatis, necessariò repetita censetur in Petro, ac sequentibus substitutis in conditione positis iuxt. text. in l. si seruus plurium, §. ult. ff. de leg. 1. notat. Zanch. in l. hæredes mei §. cum ita 4. part. num. 318. Ludou. Bell. consil. 118. Capic Latt. consult. 79. num. 49. & 54. vol. 2. Surd. decis. 312. num. 69. Vinc. de Franch. decis. 213. num. 56. & 59. Vel quia ipsa conditio nihil in esse deducit, & ipsamet dispositione debilior reputatur l. si quis sub conditione. ff. de cond. inst. l. ex factis ff. de hered. instituen. l. 1. Cod. de pact. & notant ibi DD. communiter, & in l. lucius ff. de hered. institut. Soccin. in l. hæredes mei §. cum ita ff. ad Trebel. Aymon. consil. 288. numer. 3. Ludou. Bell. consil. 118. numer. 8. Hond. consil. 67. numer. 11. lib. 1. Becc. consil. 39. num. 21.

Resultare quoque visa fuit ipsius Petri exclusio ex altera stipulationis parte pro successoribus quibuscunque concepta, sub qua quicumque hæredes extranei, dum de indifferenti materia tractatur, censentur inclusi, vt aduertit Molin. de ritu nupt. lib. 3. quæst. 85. num. 60. & 64. Marefc. variar. resol. libr. 2. cap. 20. numer. 7. Tiraquel. de retract. lig. §. 1. gloss. 7. numer. 22. & 25. & respondit Rot. decis. 207. part. 6. recent. & in Portuen. Stagni 13. Iunij 1646. coram me.

Neque huic intellectui repugnat antecedens expressa vocatio filiorum Ioannis cum admissione extraneorum incompatibilis, quorum idcirco inclusio

ex stipulatione pro successoribus quibuscunque præsumpta, vel restricta censetur post deficientem Ioannis descendentiæ cæterisque agnatos antea vocatos: iuxta doctrinam Camerarij in repet. cap. 1. numer. 44. titul. An agnati, vel filij Cephal. consil. 173. numer. 28 Peregrin consil. 5. numer. 46. lib. 1. Frecc. de suffeud. libr. 3. form. 3. num. 16. & 18. vel restricta ad sanguinis hæredes ad euitandam repugnantiam inde resultantem, vt ponderauit Becc. consil. 74. numer. 31. & 32. & post alios respondit Rot. in Roman. successionis de Comitibus 15. Ian. 1642. coram Reuerendiss. D. meo Decano, & in Roman. fructuum census 26. Iunij 1646. coram R. P. D. meo Cerro, & in Firmana bonorum 15. April. 1616. coram Remboldo. Attenta præsertim subsecuta declaratione Baptistæ per verba aduersariua, Bene vult & intelligit, quod castrum pertineret ad filios masculos Ioannis iuxta eiusdem voluntatem post mentionem quorumcunque successorum apposita, ex quibus facultas Ioanni attributa ad limites subsecutæ declarationis limitata censetur, Becc. ad dict. consil. 74. numer. 31. versic. ultimo non obstat. Rot. decis. 640. numer. 20. part. 1. diuers.

Etenim procedere posset obiectio respectu filiorum primi gradus quorum favore specialiter Baptista disposuit, vt eorum alter vel plures admitti deberent ad Castrum iuxta electionem Ioannis donatarij, cum quibus idcirco concurrere non possent extranei per stipulationem prædictam inclusi, licet in concursu sequentium graduum, quos solum in conditione posuerat Baptista, nec speciali prouisione affecerat, iidem extranei non censeantur exclusi ex dispositione text. in l. in Agris ff. de acquir. rerum domin. notat Imol. in cap. cum dilecti in princip. de donat. Casanat. consil. 45. num. 148. cum sequentib. Præsertim quia non agitur de materia differenti de qua loquuntur auctoritates in contrarium superius adductæ, admissionem extraneorum restringentes post terminatam lineam agnationis, sed de indifferenti materia donationis sub appellatione quorumcunque successorum hæredes quoscunque licet extraneos comprehendente, vt præter supra relatas auctoritates ponderauit Rot. in Leodien. Beneficij 1. Febr. 1645. coram R. P. D. meo Orthobono in §. Ratio resolutionis fuit circa finem.

Hinc resultat responsio ad alteram obiectiois partem ad hæredes sanguinis stipulationem prædictam restringentem, quia scilicet non agitur vel de inuestitura, vel de emphyteusi Ecclesiastica, vel alia materia differenti, in quibus terminis procedunt auctoritates in contrarium adductæ, & decisiones superius recensitæ: Ibi enim vel successuum fuerat fideicommissum institutum, nec ex aduerso controuertebatur, prout in decis. R. P. D. mei Cerri, vel expressè contemplata fuerat agnatio, prout in adducta Firmana coram Remboldo, vel demum ex vrgentibus ac inconcussis coniecturis fideicommissum eliciebatur, quæ dum in casu proposito non concurrunt, nec ideo poterunt clarum extraneorum inclusionem ad sanguinis hæredes arctare: ex not. in l. continuis ff. de verb. obligat. l. ubi est, & notat ibi Soccin. in quinto notabili ff. de cond. & demonstr. & in l. cum Senatus numer. 3. versic. 3. inferitur ff. eodem titul. Ludou. Bell. consil. 118. numer. 8. Rot. in Mutinen. doris decimoquinto Nouemb. 1643. coram Eminentiss. Panzirolo subsecuta verò declaratio per verba, bene vult, & intelligi operari tantum poterit restrictionem respectu filiorum primi gradus, in quibus specialis nominationis prouisio præcessit.

Suadet

Suadet etiam Petri exclusionem sequens substitutio filiorum Gabrielis senioris per solam vulgarem ex Patris aditione expiratam, sub qua pariter vulgari alij in conditione positi præsumuntur vocati, vt notat Zanch. in l. *heredes mei*. §. *cum ita*. part. 7. numer. 72. in fin. Anron. Faber, Peregr. cæterique in præterita decis. deducti. Siue onus donationis Gabriëli seniori, eiusque filijs iniunctum erga superstites filias Ioannis sine masculis prædefuncti, non tamen repetitum in filijs Gabriëlis iunioris, cum horum inde eliciatur exclusio, qui eodem donationis onere erga filias præcedentis non fuerunt grauati, argument. text. in l. *ab eo* Cod. de fideicommiss. l. *plane* §. *ultim.* ff. de leg. 1. l. *Imperator in princip.* ff. de leg. 2. Cephal. conf. 268. numer. 24. Soccin. conf. 118. numer. 24. lib. 1. siue demum facultas Ioanni Donatario attributa eligendi ex filiis quem maluerit, cum ex admissione vnus, cæterorum resultat exclusio, ac consequenter agnationis contemplatio ex aduerso supposita euanescat, vt ponderauit Gabriel. conf. 97. numer. 24. lib. 1. Curt. Sen. conf. 5. numer. 44. Papon. conf. 113. numer. 19. cum sequentib. Rota in Montisfalsci fideicommiss. 26. Ian. 1625. coram bon. me. Coccino: Qua agnationis contemplatione cessante, coniecturæ omnes ex aduerso repetitæ facile reiciuntur, vt notat Scain. in addit. decis. 2. numer. 109. Cardinal. Mant. de coniect. ultim. volunt. lib. 11. titul. 14. numer. 24. & in decis. 351. numer. 8. Et in Tudertina fideicommiss. 23. Ianuar. 1641. coram R. P. D. meo Royas.

Hinc vis fieri non poterit in qualitate masculinitatis pluries repetita, quasi contemplata inde videatur agnatio, cum ea qualitas masculinorum tantum prædilectionem ostendat, & fauore substituti adiecta censeatur, ne à fœminis excludatur, non tamen conseruationem familiæ contineat, vt tradit Rip. in l. *centurio* numer. 162. ff. de vulg. & in l. 1. numer. 8. Cod. de pact. vbi hanc coniecturam testatur esse communiter reiectam, & ibi etiam Cagnol. numer. 51. Alexand. conf. 202. numer. 7. lib. 7. Surd. conf. 448. numer. 2. Iul. Clar. in §. *testamentum*, quaest. 79. numer. 1. Rot. decis. 486. numer. 17. part. 1. & 667. numer. 10. part. 2. rec. Vel in qualitate legitimitatis à DD. pariter reprobata, si vestita non fuerit ratione conseruandi bona in familia, vt aduertit Bellon. iun. conf. 26. numer. 36. Thesaur. decis. 96. numer. 26. Petr. de fideicommiss. quaest. 9. numer. 201. vers. *verumtamen hæc coniectura*, Fontanel. de pact. nup. clausul. 4. gloss. 24. numer. 13. vbi quod talis qualitas vt plurimum ex Notariorum stylo, non autem ex mente testatoris apponitur. Criuell. decis. Dolan. 125. numer. 77. Rot. decis. 221. num. 12. part. 5. recent. & in Senogalien. hereditatis 1. Decemb. 1623. coram bo. me. Pirouano, & coram Buratt. decis. 385. n. 8.


Nec etiam pro coniectura vocationis deseruire poterit expressa remotiorum substitutio, filiorum videlicet Gabrielis senioris, quasi minus dilecti, Petri proximioris magis dilecti vocationem arguant. Præterquam enim hanc coniecturam, tanquam inefficacem expressè reiecit Zanch. in l. *heredes mei* §. *cum ita*. part. 7. numer. 72. vers. *Sed contra hanc coniecturam*. ff. ad Trebell. Peregr. conf. 52. numer. 10. lib. 1. ex eo potissimum fundamento, quod sub eadem vulgari proximiores in conditione positi inuitati censeantur, sub qua remotiores fuerant expressè vocati. Soccin. Sen. conf. 116. numer. 5. §. *ponderandum* lib. 3. Criuell. decis. 125. numer. 73. & 76. Rot. coram Buratt. decis. 387. numer. 6. Prædilectionis argumentum solum negatiuè procedit operando exclusionem re-

motioris ex non admissione proximioris, non tamen affirmatiuè, repetendo vocationem proximioris ex remotioris admissione, vt tradit Iason. in l. *Gallus* §. *num. de lege*. numer. 17. cum sequentib. ff. de lib. & posth. Menoch. conf. 204. numer. 36. & in conf. 376. numer. 62. Aym. conf. 306. numer. 5. in fine & 6. Peregr. de fideicom. artic. 29. numer. 34. in fine Borgn. decis. 5. numer. 7. part. 3. & fortè potuisset admitti, si simultaneè cum Gabriele patre eiusdem filij ad fideicommissum legerentur inuitati; secus verò dum per solam vulgarem sunt substituti, vt ratiocinatur Peregr. in adducto conf. 52. num. 10. lib. 1. Scayn. decis. 2. numer. 101.

Corruere quoque visæ fuerunt aliæ coniecturæ ex aduerso repetitæ, siue ex digressu ad plures substitutionum gradus, postquam solum antecedunt filios Gabrielis, quos tamen subsequi debuissent, iuxta conf. Ancharan. 74. numer. 2. primi huius coniecturæ indagatoris. Et præter relatos in decis. præterita ponderauit Rot. coram Cauat. decis. 532. numer. 9. siue ex verbis denotantibus tractum temporis successuum deficientibus in præsumpta vocatione nepotum Ioannis, quos pariter concomitari, non autem antecedere debuisset, vt aduertit Altograd. conf. 60. numer. 121. & plures alij relati per Peregr. de fideicom. artic. 18. numer. 13. & 14. Fufar. quaest. 82. numer. 56. Petr. de fideicommiss. quaest. 5. num. 169. Rot. in Roman. hereditatis de Fossanis 12. Febr. 1588. coram Giptio, post Giouag. conf. 97. n. 22. §. *his accedit*: Siue ex qualitate fideicommissi super certa instituti, reprobata per Iason. in l. 1. numer. 11. & 12. Cod. de pact. vbi etiam Curt. Sen. numer. 6. Alciat. in l. *Lucius*. num. 48. ff. de hered. instit. Soccin. iun. in l. *cum auu.* numer. ff. de condit. & demonstr. & pluribus aliis relatis per Peregr. de fideicom. art. 28. numer. 16. Fufar. de substit. quaest. 437. numer. 104. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præf. 76. numer. 62. siue quia idem fideicommissum per contractum donationis fuerat institutum: Cum in contractu pariter coniecturæ requirantur concludentes, ac in ultimis voluntatibus, secundum Bart. in l. *si cum dotem*. ff. solut. m. trim. quem ibi DD. sequuntur communiter. Fontanel. de pact. nupt. clausula 4. gloss. 23. numer. 18. Corne. conf. 67. numer. 3. lib. 1. Peregr. de fideicommiss. artic. 28. numer. 29. & de communi testatur Ludou. Bell. conf. 118. num. 4.

Hac verò responsione destruitur demum altera coniectura, quod versetur in descendentes: cum in iis tales pariter exigantur, quæ certam testatoris mentem possint innuere, vt latè probat Giouag. in conf. 82. numer. 26. cum sequentib. & respondit Rot. in adducta Tudertina fideicommiss. 23. Ianuar. 1641. coram R. P. D. meo Royas in §. *septem enim coniecturis*, & in Roman. hereditatis de Fossanis 2. Ianuar. 1588. coram Giptio post Fenzon. decis. 95. in §. *nec ad rem pertinet*, & in decis. 667. numer. 4. part. 2. rec. & in decis. 221. part. 5. in quibus plures coniecturæ reprobantur quamuis de præsumpta vocatione descendentes positores in conditione ibidem discussio contingeret.

Et ita vtraque, &c.



CAPVT LVI.

Insinuatio in Gallia debet fieri coram Iudicibus ordinariis locorum, vbi bona sita sunt. Sed quid si donatio fiat Auenione, vtrum debeat ibi insinuari, vel in Comitatu vbi bona sita sunt; & è contra: Et vtrum insinuatio sit de essentia & substantia contractus, ac de solemnitate intrinseca ipsius. Concluditur donationem insinuandam esse in loco vbi bona sita sunt, & tot faciendas esse insinuationes, quot separatæ sunt iurisdictiones. Insinuationem coram Iudice laico factam, validam esse ostenditur: quamuis Clericus laico donauerit. Insinuationem necessariam esse etiam in promissione pecuniæ; nisi illius manualis interuenerit traditio.

S V M M A R I V M.

- 1 In Gallia, insinuatio debet fieri coram Iudicibus ordinariis locorum, in quibus bona sunt sita.
- 2 In Ciuitate Auenionensi, & in Comitatu Venayssino constitutiones circa insinuationes sunt diuersæ.
- 3 Probatur multis rationibus donationem in Ciuitate Auenionensi factam, & ibidem registratam, nullam esse quoad bona Comitatus Venayssini, si non fuerit insinuata in Comitatu coram Iudicibus ordinariis locorum, vbi bona sunt sita.
- 4 Donatio facta extra Ciuitatem Auenionensem nulla est, si non fuerit registrata in libro insinuationum Ciuitatis Auenionensis.
- 5 Insinuationem respicere solemnitate contractus: & ideo in ea attendendum esse statutum loci contractus multi existimant, & probare conantur.
- 6 Deputatio tutoris in vno loco facta, sortitur effectum vbique terrarum.
- 7 Quando agitur de preiudicio tertij, verius est insinuationem in vno loco factam non porrigere vires suas ad alia loca, in quibus viget statutum de insinuando.
- 8 Quando bona sunt sita in diuersis iurisdictionibus, perinde est ac si facta fuissent diuersæ donationes.
- 9 Actus voluntaria iurisdictionis non possunt fieri coram Iudice incompetenti in preiudicium tertij.
- 10 Statutum non porrigit vires ad bona alterius territorij, quando aliquid fit in fraudem & preiudicium tertij.
- 11 Quando in aliquo loco adest statutum particulare circa insinuationes, illud debet obseruari quoad bona in illo loco sita.
- 12 Ostenditur contrarietas seu diuersitas inter constitutiones Ciuitatis Auenionensis, & Comitatus Venayssini, nec non ordinationes Regias quoad insinuationem.

- 13 Donatio in Comitatu Venayssino valida est vsque ad summam viginti quinque scutorum sine insinuatione, quamuis facta fuerit de longè maiori summa.
- 14 Si agatur de pluribus præstationibus annuis, veluti de pensionibus vidualibus, singuli anni separatim considerantur, & in singulis annis donatio subsistit vsque ad summam 25. scutorum.
- 15 Insinuatio non est de solemnitate essentiali & formali donationis.
- 16 Solemnitas que non debet adhiberi in ipso contractu, sed post contractum; non dicitur formalis solemnitas, sed effectualis.
- 17 Registratio contractus que potest fieri intra terminum quindecim dierum, non est solemnitas formalis.
- 18 Beneplacitum Apostolicum in alienatione requisitum, non dicitur solemnitas formalis contractus; sed effectualis: quia potest interuenire post contractum.
- 19 Subscriptio testamenti non est solemnitas essentialis, quando aliunde constat voluntatem testatoris esse perfectam.
- 20 Insinuatio coram Iudice incompetenti facta, nulla est.
- 21 Refertur opinio quorundam existimantium insinuationem fieri posse coram quocumque Iudice habente iurisdictionem prorogabilem; que tamen opinio refutatur vt supra num. 10.
- 22 Opinio illa subsistere non potest, stantibus regulamentis mandantibus insinuationem fieri coram Iudicibus locorum, vbi bona sita sunt.
- 32 Insinuatio de iure communi debet fieri coram Iudice competente, ratione personæ, vel bonorum.
- 24 Si Clericus donet laico, insinuatio debet fieri coram Iudice laico. Idem dicendum est si laicus Clerico donaret.
- 25 Publicatio testamenti & examen testium ad hunc effectum fieri debet coram Iudice ordinario laico, & non Ecclesiastico; si vel testator vel heres sit laicus.
- 26 Quamuis donatio fiat de certa pecuniarum quantitate non interueniente manuali traditione, necessaria est insinuatio in locis, vbi bona donatoris sunt sita, vt evitentur fraudes.

Circa insinuationem donationum partim ex statuto Auenionensi, partim ex regulamento patriæ Comitatus Venayssini: primò quidem per Eminentiss. bon. mem. Cardinal. de Armeniaco; deinde verò per Eminentiss. etiam bon. mem. Card. de Aquauia tunc Legatos Auenionenses edito; partim denique ex Regiis ordinationibus in Gallia requisitam; multæ quotidie occurrunt controuersiæ: quarum præcipuas nunc in medium afferendas esse censuimus.

Et primò quidem occurrit illa dubitatio, vtrum insinuatio fieri debeat in loco contractus; & vtrum sic facta sufficiat: an verò debeat fieri in loco vbi bona sita sunt.

In hac quæstione dum agitur de donatione insinuanda; si tempus insinuationi ex constitutione præfixum nondum lapsum sit; soleo consulere vt vtroque fiat insinuatio, nempe in loco contractus, & in loco etiam vbi bona sita sunt: idque ad evitandam omnem controuersiam. Si verò res non sit integra, & tempus ad insinuandum sit elapsum; considerandum

derandum est vtrum agatur de donatione bonorum in Gallia sitorum.

1. Et hoc casu negotium decisum est per ordinationem Regiam, qua expressè cauetur insinuationem fieri debere *an Greffe des Sieges ordinaires de l'assiette des choses données.*
2. Si verò agatur de bonis sitis in Comitatu Venayssino, & donatio facta fuerit Auenione, vbi viget diuersum & peculiare statutum; vel si donatio facta fuerit in Comitatu Venayssino, aut etiam in Gallia de bonis sitis Auenione, maior est difficultas: in qua sæpè nostra tribunalia perplexa fuerunt.
In Comitatu duo regulamenta facta fuerunt circa insinuationes, vnum anno 1577. à Cardinali de Armeniaco, quo cautum est insinuationem fieri debere de omnibus donationibus factis intra Comitatum prædictum, ita vt non videatur comprehendere donationes factas Auenioni: sicut nec regulamentum Cardinalis de Aquauia factum anno 1594: quod nihil continet nisi extensionem præcedentis; non autem illius derogationem: & sic non videtur comprehendere donationes extra Comitatum factas, sicut
3. in priori regulamento non continebantur. † Verùm D. Lud. Bellus *consil. 176. num. 14.* existimauit donationem in Ciuitate Auenionensi celebratam esse nullam, si non fuerit insinuata in Comitatu Venayssino coram Iudice loci vbi bona sita sunt; neque sufficere quòd insinuatio facta fuerit Auenioni in loco contractus. Quia statutum Auenionense non continet formam legitimæ insinuationis, sed tantum mandat registrari in libro ad hoc destinato absque præsentia Iudicis; cum tamen de iure pro forma requiratur, vt insinuatio fiat coram Magistratu præsentem, & auctoritatem suam accommodante. Vnde concludit registrationem Auenioni factam, nihil operari quoad bona Comitatus. † Eademque ratio militat quoad donationes extra districtum Auenionense factas, quòd inualidæ sint (quamuis alio in loco insinuatæ) quoad bona Auenione sita: quia per illam insinuationem in Comitatu, vel in Gallia factam, non fuit satisfactum intentioni statuentium; qui ideo voluerunt registrationem donationis fieri in certo libro ad id destinato, vt creditores aut quilibet tertius habens interesse sciret an liberè cum tali persona contrahere posset; an verò aliqua obstare posset donatio: quod sciri nequiret si alibi insinuarentur donationes, veluti si Auenionensis donaret, & insinuaret in Ciuitate Aquensi, vel Massiliensi, aut etiam in remotissimis quibusvis prouinciis: & ita statutum illud esset inutile, & ex eo daretur maleuolis ansa delinquendi, & creditores decipiendi. Quod etiam considerauit D. Bellus, in omnibus quidem, sed maxime in negotiis huiusce status expertissimus *dict. consil. 176. num. 15. versic. secundo.*
5. Dubium tamen facit doctrina Gratiani *disceptat. forens. 253. num. 5.* vbi voluit insinuationem respicere solemnitate contractus, & ideo inspiciendum esse quoad ipsam, statutum loci in quo ipse celebratur. Idem tenuit Bald. *consil. 167. num. 6. lib. 5.* triplici quidem ratione. Primò, quia statutum porrigit vires ad bona sita extra territorium, ex consensu partium. Secundò, quia donatio sumit suum essentiale principium in loco contractus: ergo locus ille debet attendi. Tertiò quia insinuatio est actus voluntariæ iurisdictionis: ergo vbique, & à quocumque Iudice exerceri potest. Sequitur Tusch. *litera I. conclus. 195. num. 18. & litera S. conclus. 590. num. 2.* Gaill. *lib. 2. obseruat. 123. num. 5.* qui *num. 6.* arguit à simili † de deputatione tutoris, quæ vbique gentium fortitur effectum. Burat. *decis. 76. numer. 13.* Sola *in consil.*

Sabaud. tit. de registrat. instrument. glos. 1. numer. 4. Mascard. *de statut. conclus. 7. numer. 31.* Carpan. *ad statut. Mediol. part. 1. cap. 324. numer. 85.* Lamberteng. *de contract. eorum qui sine certa solemnitate. glos. 2. in verb. mulierum. numer. 33. & sequentibus.* vbi simpliciter dicit quoad solemnitatem actus inspiciendum esse locum, in quo contractus fuit celebratus. Belamer. *decis. 732. versic. ideo si agatur de insinuatione.* Marecot. *lib. 2. variar. resol. cap. 139.* vbi solum distinguit vtrum statutum quoad insinuationem verba sua dirigat ad res, vel ad personas.

Sed non obstantibus prædictis existimo, saluo superioriori iudicio, quòd quidquid sit quando agitur de solo donantis præiudicio, quo casu forsitan adducta in contrarium procedere possent; (quod tamen nunc ego non determino:) tamen quando agitur de præiudicio tertij, veluti creditorum; tunc insinuatio in vno loco facta non est valida, nec porrigit vires suas ad bona sita in alio loco: quia alioqui non possent euitari fraudes; cum donatio in loco vbi bona sita sunt non esset reddita publica, & bona non solum separari possunt; sed & separata sunt, & inueniuntur non quidem in diuersis donationibus; sed in diuersis Regionibus: & prædictam distinctionem amplectitur Cancr. *lib. 1. variar. resol. cap. 8. num. 8.* post Maynard. *lib. 2. decis. 56.* † Imò diuersas esse donationes: quia agitur de diuersis & separatis bonis, tradit Charond. *lib. 4. respons. 5.* quem sequitur Maynard, *loco citato.*

Neque facit in contrarium ratio allegata per Bald. quòd agitur de actu voluntariæ iurisdictionis qui potest quocumque in loco fieri, & vbique gentium fortitur effectum: Quia illud non procedit quando agitur de præiudicio tertij; sed duntaxat quando tractatur de præiudicio ipsorum contrahentium, & iurisdictionem voluntariam prorogantium. Crauer. *consil. 325. n. 3. versic. & hoc sine dubio.* & bene explicat Cancr. *dict. cap. 8. num. 9. in nouis.*


Quod autem dicitur statutum porrigere vires ad bona alterius territorij, & maxime partibus consentientibus; non habet locum quando aliquid fit in fraudem & in præiudicium tertij; vt bene explicat D. Bell. *consil. 176. num. 14. & sequentibus.*

Et prædicta maxime locum habent stantibus statutis, seu regulamentis, aut constitutionibus particularibus quæ vigent, & sunt in viridi obseruantia in singulis prouinciis: & tam in Gallia quàm etiam in Comitatu Venayssino, nec non in Ciuitate Auenionensi: quo casu doctrinam Bald. *dict. consil. 166. lib. 5.* non esse admittendam existimauit Thesaur. Iun. *lib. 2. quest. forens. 8. num. 17.* in illis verbis: *nisi in loco vbi bona sunt sita adesset statutum contrarium.* † Quod autem constitutiones sint contrariæ inter Ciuitatem Auenionensem, & Comitatum Venayssinum quoad insinuationem, bene deducit D. Bell. *dict. consil. 176.* cum multum inter se differant registratio, & insinuatio: vt *ibidem* exponitur. Idem dicendum de ordinationibus Regiis: cum regulamentum Comitatus requirat illam fieri coram Iudicibus Pontificiis; & plures aliæ inter ambas ordinationes notari possunt differentia, quas breuitatis causâ omitimus: & nominatim quia regulamentum Comitatus, donationes nullas reddit, dummodò excedant summam viginti quinque scutorum. † Et ideo licet summa maior donata fuerit, tamen donatio erit valida tantum vsque ad illam summam 25. scutorum cum non annulletur nisi pro rata excessus: vt notauit Cost. *de ration. rata. quest. 125. num. 10.* † Si tamen agatur de pensione, aut alia singulis annis præstanda, tales annuæ præstationes non considerandæ sunt in globo, sed

sed quælibet separatim : ita vt quolibet anno donari possit pensio viginti quinque scutorum sine insinuatione : per text. in l. *sanctimus*. §. *si quis autem talem*. Cod. de donat. Rot. decis. 292. n. 27. par. 6. recent. & ita explicandum est illud regulamentum.

15. Neque verum est quod dicitur insinuationem esse solemnitate essentialem, & formale donationis : quia hoc procedere posset si necessariò interuenire deberet
 16. in ipso contractu : † quâdo enim aliqua solēnitas debet adhiberi post contractū celebratū, non dicitur solemnitas formalis; sed effectualis: quia robor tribuit actui iam celebrato. Angel. *conf.* 36. *Pro decisione quæstorū*. n. 2. Menoch. *consil.* 134. n. 34. & 35. Atqui insinuatō ex edictis Regiis, vel regulamētis Comitatus requisita, non debet interuenire in ipso actu donationis ; sed
 17. post aliquot menses : † Vt de registratione quæ fieri potest intra terminū quindecim dierū, annotauit Rub.
 18. *ad decis. Rota*. 542. n. 8. p. 4. recent. *tomo* 3. † Simile est quod dicitur de beneplacito Apostolico ; quod licet requisitū sit ad validitatē alienationis, tamen est quid diuersum ab ipsa, & potest separatim adhiberi. Rot.
 19. *decis.* 16. n. 2. p. 7. recent. † Idem de subscriptione testamenti, quando voluntas testatoris iam erat perfecta, tradit Rot. *decis.* 126. num. 33. & 34. *part.* 6. recent. quia testamentum ante subscriptionē, si voluntas testatoris fuerit perfecta, est in statu validitatis sicut donatio, ante insinuationē vel registrationem, quæ post ipsum contractū celebratum & perfectū, interuenire potest. Vnde concludendum est insinuationem faciendam esse iuxta statutum loci, in quo bona sita sunt.
 20. Porro circa præmissa notandum est ; quòd si insinuatō facta fuerit corā Iudice incōpetenti, nulla est & inuvalida: ideo dicebā aliàs stante regulamento quo insinuatō prohibetur fieri corā certis Iudicibus inferioribus insinuationē non prodesse, si coram illis facta esset : ex Rebuff. *in conf. Reg. tit. de donat. insin. art.*
 21. 1. *glos.* 5. n. 1. & 2. † Non obstantibus dictis per Anton. de Canar. *in tract. de insinuat. quæst.* 12. vbi existimat donationē fieri posse in quocumq; loco, & coram quocumque Iudice per partes electo, quem dicit esse
 22. competentē ex prorogatione partium. † Quia contrarium verius est, præsertim stantibus regulamentis, & ordinationibus quibus mandatur insinuationem fieri coram Iudicibus seu Magistratibus locorū, vbi bona sita sunt: quo casu alius Iudex adiri non debet: vt ipse
 23. Canar. fatetur in *quæst.* 13. † Quibus regulamentis cessantibus necesse esset insinuari donationem coram Iudice competente ratione personæ, vel bonorum donatorum. Guid. Pap. *decis.* 325. n. 1. Menoch. *consil.* 84. n. 51. maxime dum agitur de præiudicio tertij: vt supra dictum est, n. 10. & 11.
 24. Ampliatur vt locum habeat, etiamsi donatio fieret per clericū laico, & Iudex ordinarius esset laicus: quia eo non obstante, insinuatō coram Iudice laico fieri debet. Marra *de iurisd. part.* 4. *cas.* 109. *per tot.* vbi idem
 25. locum habere vult, si laicus clerico donaret. † Sicut videmus quòd pro publicatione testamēti, & testium ad hunc effectum examine, adiri debet Iudex ordinarius laicus, & non Ecclesiasticus, si vel testator vel hæres sit laicus. DD. *in l. publicati.* & *in l. testamenta omnia*. Cod. de testamentis. Honded. *consil.* 26. num. 12. *volum.* 2. & alibi forsā fusiùs ostendemus.
- Ampliatur secundò vt locum habeant præmissa, si donatio fieret de certa pecuniarum quantitate, non interueniente manuali & reali traditione; (nam tunc non esset opus insinuatione:) sed donaretur pecunia per viam promissionis : hoc siquidem casu necessaria esset insinuatō, perinde ac si bona immobilia donarentur, ne alioqui fraus legi fieri posset : vt decisum fuisse testatur Louet *litera D.* numer. 29. & ibi

Additio, *sub litera B.* Maynard. *lib.* 6. *capit.* 64. *numer.* 8. Mosnier *aux alliances du Droit François*, in verb. *donation*. num. 1. fol. 263.



CAPVT LVII.

Insinuatio facta vltima die trium mensium, ex Comitatus regulamento ad illam faciendam assignatorum, vtrum sit valida. Contractus quo quis promittit soluere pro alio etiā sciens se non posse releuari, vtrum indigeat insinuatione. Vtrum post mortem donatoris insinuatō fieri possit. In repudiatione iuris delati, sed non acceptati, & in dotis constitutione, vtrum requiratur insinuatō ; siue donatio fiat à patre, siue ab extraneo.

S V M M A R I V M.

1. *Insinuatio quæ ex regulamento fieri debet intra tres menses est valida, etiamsi fiat vltima die trimestris.*
2. *Dictio à die, ostendit diem termini computari in termino.*
3. *Idem est in dictione infra tres menses.*
4. *Idem si dictum fuerit infra tres menses postea subsequentes.*
5. *Insinuatio regulariter fieri non potest post mortem donatoris secundum ius commune.*
6. *Secus tamen est de iure Gallico, quando certus insinuanda donationis terminus est prefixus.*
7. *Donatio insinuata intra tempus à statuto requisitum retrahitur ad tempus quo facta fuit.*
8. *Contractus fideiussionis, aut Constituti, vtrum indigeat insinuatione.*
9. *Donatio dici non potest, quoties quis alienam suscipit obligationem non propriam.*
10. *Contractus donationis est principalis, fideiussionis verò accessorius.*
11. *Qui donationis causa promittit soluere summam ad quam furiosus est obligatus, validè contrahit; secus si obligationi accedat vti fideiussor illius.*
12. *Contractus fideiussionis non potest sortiri naturam donationis.*
13. *Renunciatio vel repudiatio iuris quæsti, vel quærendi, vtrum indigeat insinuatione.*
14. *Quæ sit differentia inter repudiationem, & renunciationem.*
15. *Cessio translatiua non potest fieri sine præuia acceptatione, ideo donationis naturam induit.*
16. *Repudiatio iuris quæsti præiudicat creditoribus renuntiantis in foro exteriori.*
17. *Quod procedit tam aduersus chirographarios creditores, quàm hypothecarios.*
18. *In Gallia renunciatio tam iuris quæsti, quàm quærendi, non præiudicat creditoribus.*
19. *Patrem grauatam fideicommissio in fauorem liberorum post mortem suam restituendo, posse præuenire tempus mortis etiam in præiudicium suorum creditorum; indicatum Tholosæ.*
20. *Hæres cum beneficio inuentarij non potest repudiare iura delata non quæsta, in præiudicium suorum creditorum.*

21. *Insinuatio in rennanciacione requiritur, non in repudiacione.*
22. *Donatio in transactione, alione contractu oneroso contenta in clausulis executiuis, & non principaliter; non est insinuanda.*
23. *Donatio ex causa dotis, vtrum indigeat insinuatione: magna est quaestio.*
24. *Regulamentum aut statutum generaliter loquens, non comprehendit causam dotis in iis in quibus dos est pccialiter priuilegiata.*
25. *Dos est à iure specialiter priuilegiata in materia insinuationis.*
26. *Dos cõstituta pro certo & determinato matrimonio, dicitur data ob causã finalẽ matrimonij.*
27. *Quando matrimonium est causa finalis donationis, non requiritur insinuatio.*
28. *Statutum loquens de donatione non habet locum in dotatione: intellige, vt infra.*
29. *Diuersa referuntur Doctorũ sententiæ, cum decisionibus subsequens in proposita controuersia.*
30. *Generalitas verborum statuti talis esse potest que etiã dotem quoad insinuationem cõprehendat.*
31. *Afferitur distinctio volentium donationem dotis causa factam & non insinuatam esse validam, in præiudicium donatoris; sed non in præiudicium tertij.*
32. *Alij simpliciter probant non requiri insinuationem in dote.*
33. *Proponitur distinctio vtrum cõtractus factus fuerit sub nomine donationis; vt requiratur: an sub nomine dotis; vt nõ sit necessaria insinuatio.*
34. *Sola promissio vel destinatio causa dotis, dicitur dos.*
35. *Concluditur dotis constitutionẽ factam ab extraneo dotante indigere insinuatione, non autem factam à patre, aut ab alio qui tenetur dotare.*

1. **S**uperfunt aliqua notabilia circa insinuationes præsentis capite examinanda.

- Et primò quidem, quòd cum regulamento patriæ Comitatus Venayssini caueatur, donationem insinuandam esse intra tres menses postea subsequentes; vel vt in posteriori regulamento infra tres menses à die celebrationis ipsius computandos; sufficit quòd insinuatio fiat vltima die trimestris: & sic Ego aliàs consului quòd donatio erat valida quæ facta fuerat die quinta Decẽbris, & insinuata die 5. Martij. † Quia verba illa à die celebrationis ostendunt diem termini computari in termino. Gratian. *discep. forens. c. 161. n. 5. & sequentib.* † Eiusdem naturæ est dictio illa *infra tres menses*, vt dies termini debeat in ipso termino computari. Barbof. *de dictionib. cap. 161. n. 5.*
2. Gomef. *in §. rursus. n. 10. de action. † Idem dicendum est de verbis, postea subsequentes: Barbof. de dictionibus cap. 270. n. 2. Gratian. dict. 161. num. 6. & bene explicat Rebuf. in concord. tit. forma mandati Apost. in verb. post mensem. vers. quomodo computetur hic mensis.*
3. Secundò notandum est, quòd licet verum sit secundum dispositionem iuris communis, insinuationem fieri non posse post mortem donatoris: vt fusè probat Gratian. *discep. forens. cap. 783. ferè per totum. & cap. 531. n. 3. & 26. † tamen quando constitutio aliqua certum tempus veluti trium, aut quatuor mensium insinuationi faciendæ præfixum est; quamuis donator interim moriatur, tamen sufficit insinuationem fieri intra trimestre vel quadrimestre in ordinatione assignatum. Ita declarat Ferrer. ad Guid. dict. decis. 325. † Quia donatio facta intra tempus à statuto requisitum retrotrahitur ad tempus celebratæ donationis. Maynar. lib. 2. cap. 55. Cost. de retrotract. cap. 8. cas. 24. num. 1. & sequentib.*

Intellige tamen vt procedat retrotractio quando agitur de præiudicio hæredis, vel alterius donatarij, seu titulum lucratiuum habentis; secus est si tertius habeat titulum onerosum: quia tunc in eius præiudicium insinuatio posterior non retrotrahitur ad diem donationis: vt fuit decisum apud eundem Maynard. *lib. 2. cap. 53. num. 2. Mrnoch. consil. 292. num. 2.* Hoc autem quod de donationis insinuatione post mortem donatoris faciendã diximus, in Gallia indubitatum est: sed apud nos consulo vt ad euitandas omnes difficultates, quantum fieri potest, insinuatio fiat viuo donatore.


Tertiò quaesitum aliàs fuit, vtrum fideiussio aut 8. contractus constituti indigeret insinuatione. Casus talis erat: Mater in contractu matrimonij filia suæ certam pecuniæ quantitatem constituerat. Philibertus patruus eiusdem filia nubentis, matrem ab huiusmodi promissione indemnè seruare, eamque releuare promiserat; sed hanc promissionem tanquam animo donandi factam impugnabat ex defectu insinuationis. Respondi ipsum patruum non esse fundatum: cum promissio illa donationis appellatione contineri non posset; sed potius cõtractus Constituti, fideiussionis; seu intercessionis factus intuitu vsusfructus, eidem patruo durante eius vita reseruati super bonis paternis maternis, & auitis neptis suæ. † Non enim donatio 9. dici potest dum quis ex propria obligatione non tenetur, sed in se suscipit alienã: tunc enim proprie fideiussio, vel intercessio est, non donatio; & licet qui scienter indebitum soluit aut promittit, donare videatur; l. 1. ff. de condit. indeb. l. indebitum, & l. qui se debere. Cod. eod. tit. l. is qui plus. ff. eod. tit. † tamen hoc 10. intelligitur de promittente indebitum, quod qui promittit sciebat se non debere; tunc enim est impropria donatio; sed si quis alienã in se suscipiat obligationem, non donatio, sed intercessio est; nec principalis est contractus, vt donatio; sed accessorius, vt intercessio aut fideiussio. Gratia. *discept. forens. c. 669. n. 12. † Vnde 11. de videmus quòd si quis summã ad quam se furiosus obligauit, promittat donationis causã, valida est obligatio tanquã per se & principaliter subsistens: si verò solo fideiussionis titulo, quamuis scienter promittat; nulla est & inualida obligatio, tanquã accessoria principalis quæ nulla est. l. si à reo. 71. §. adeo. vers. si à furioso. ff. de fideiuss. & ibi Glos. in verb. certum est. & per illum textum tradit Ioannes Faber, in §. de pecunia. n. 2. Instit. de action. in vers. credo quod sciens. Iaf. in l. 1. num. 12. in 7. limit. ff. de condit. indeb. Menoch. lib. 3. presump. 31. num. 13. † Qui omnes dicunt eum 12. qui alienæ accedit obligationi, nen censerì donate, sed contractum illum à contractu donationis esse omninò diuersum.*

Quartò fuit etiam disputatum aliàs de validitate 13. renunciationis facta per hæredem institutum, vel substitutum, hereditati sibi delatæ, nondum tamen acquisitæ aut agnitæ; aut similibus iuris quaerendi renunciationibus; vtrum pro ipsarum validitate necessaria sit insinuatio.

Pro cuius dubij resolutione fieri debet differẽtia inter repudiationem, & renunciationem. Renunciatio siquidem iuris quaesiti, fieri non potest quin annexã habeat illius acceptationem. Repudiatio, non itẽ. Cancer. lib. 3. var. resol. c. 22. n. 211. & cap. 15. de renunciat. num. 171. Vbi agit de renunciatione fideicommissi ante tempus per hæredem grauatum; hæc enim non est repudiatio, sed renuciatio iuris quaesiti quod grauatus substituto remittit ante tempus; quamuis sibi ius esset quaesitum. † Idem dicit dict. nu. 211. de eo qui renunciando 15. cedit ius suum alteri: quia cessio ista translatiua fieri non potest sine acceptatione: & per consequens istæ renuncia

- renunciaciones iuris quæsti induunt naturam donationum. Ioan. Andre. Georg. *allegat.* 29. n. 18. Hodiern. ad *Surd. decis.* 70. nu. 12. Ioan. Anton. Bellon. *de iur. accresc. cap. 7. quæst.* 138. n. 36. & *eod. cap. 7. quæst.* 41. num. 68. & 69. vbi sic explicat text. in *l. liberto oEtuaginta. 26. in versic. neque resere. ff. de bon. libert.* Francisc. Merlin. *part. 1. cap. 32. num.* 12.
16. Repudiatio iuris quærendi de iure communi in foro exteriori præiudicat creditoribus; secus est in renunciatione iuris quæsti: text. est in *l. patrem. & in l. sequenti. ff. de priuileg. cred. l. si sponsus. §. si quis rogatus. ff. de donat. inter vir. & vxor.* Peregr. *de fideicom. artic. 3. num.* 125. & *sequentib.* † Quod locum habet, siue agatur de creditoribus chirographariis, siue hypothecariis. Pascal. *de patr. potest. part. 2. c. 4. num.* 172. Gratian. *discept. forens. 271. nu.* 10. & *seq. Mangil. de imput. quæst. 4. num.* 13.
17. In Gallia aliter iudicatur: nam renunciaciones iuris etiam quærendi, non valent in præiudicium tertij. Mornac. *ad l. nemo. 68. ff. pro socio. & dict. l. si sponsus. §. §. fin. ff. de donat. inter vir. & vxor.* Louet *litera R. num.* 19. Sed tamen iudicatum fuisse in Senatu Tholosano testatur Oliu. *lib. 5. cap. 29.* † patrem de restituendo liberis suis fideicommissio grauatam, tempus mortis quo restitutio fieri debebat, etiam in præiudicium creditorum, præuenire posse.
18. Hæres tamen cum beneficio inuentarij, non potest repudiare iura nondum delata hæreditati quam adiuit in præiudicium creditorum: quia hæc est renūciatio, non repudiatio Franc. de Amic. *in suo tract. feudali. §. & veniendo ad primam. num.* 29. fol. 205.
19. His ita constitutis concluditur, quod insinuatio in renunciatione necessaria est; sed non in repudiatione: Ita decisum in Rota Romana, *decis.* 325. n. 54. *decis.* 320. num. 24. 30. 34. & *seqq. part. 6. recutior.* Burat. & *ibi Adden. decis.* 333. num. 8. apud quos hæc conclusio diffusius explicatur.
20. Quinto, insinuatio necessaria est in donatione, quamuis fiat in contractu transactionis emptionis, vel alio contractu oneroso, si fiat principaliter & non in clausulis accessoriis: nam facta æque principaliter donatione, duo contractus in vno celebrantur, & vnus ab alio separabilis est; ideo donatio suam naturam retinet. Seraph. *decis.* 181.
21. Vltima superest difficultas de donatione facta ex causa dotis, quæ non minus frequens quam necessaria est: Cum in ea modo pro affirmatiua, modò pro negatiua sententia viderim iudicatum: vt ex sequentibus apparebit.
22. Quod enim donatio huiusmodi non indigeat insinuatione, videtur probari ex eo, quod statutum generaliter loquens non comprehendit causam dotis; quando dos specialiter priuilegiata est. Veral. *dec.* 199. n. 1. p. 3. Carpan. *in præludio ad statut. Mediol. n.* 238. Farin. *in decis. recollectis post consilia, decis.* 264. plures allegat Ricc. *collect.* 1505. † Sed quoad insinuationem, dos est specialiter priuilegiata: vt in ea non requiratur. *l. final. Cod. de iur. dot. & ibi Salicet.* Anton. de Canar. *in tract. de insinuat. part. 2. num.* 4. Tiraquel. *de retract. consang. §. 1. glos. 14. num.* 103. 91. & 96.
23. Et hoc maximè procedit, quando agitur de donatione facta ob dotem pro certo & determinato matrimonio constitutam: quia tunc iuxta multorum sententiam, matrimonium est causa finalis donationis: ex Monter. *decis.* 10. Burat. & *ibi Addent. decis.* 924. num. 17. vnde non videtur indigere insinuatione. † Quia quando matrimonium est causa finalis donationis, non requiritur insinuatio; quæ tamen requireretur si matrimonium esset duntaxat causa impulsua. Gabriel. *consil.* 57. num. 11. & *sequentibus. volum.*
24. Giouagnon. *consil.* 83. num. 46. licet dicat in dubio ex præstitione legis præsumi matrimonium esse causam impulsuam post Oldrad. *consil.* 5. Roland. *consil.* num. 6. & *sequentibus. lib. 4.* Crauet. *consil.* 85. & *ibi* citatos. † Et præterea statutum loquens donationibus insinuandis locum non habere in dotatione dixit Burat. *decis.* 214. num. 14.
25. In articulo Rota Romana perplexa fuit: nam quidam Dominis tenebant pro nullitate donationis ex causa dotis quando insinuata non fuit: alij verò pro validitate: sed tamen præualuit sententia pro iditate dotationis, seu donationis ob causam dotis non obstante statuto insinuationem exigente: vt vere est in Rota *diuers. decis.* 125. *part. 1. per totum,* repetita apud Seraph. *decis.* 201. Et cum alias similis quæstio tractata fuisset coram Illustriss. Domino Argelo tunc Auditore generali in præsentī Ciuitate, in causa Dominæ viduæ Nobilis Dommid' Anselme, contra Nobilem Dominum de Berengueri: Ipse de voto duorum Assessorum, declarauit donationem validam, etiam si non esset insinuata non obstantibus pluribus rationibus per me deductis eâ potissimum ratione; quia facta erat occasione certi matrimonij. Et ipse Giouagnon. *dict. consil.* 83. n. 36. licet contra eius votum fuisse iudicatum, non esse necessariam insinuationem, quamuis à statuto requisita in donatione facta causa dotis: licet ipse articulum valde dubium esse fateatur.
26. Contrarium multum vrgere videtur generalitas verbum in Regia constitutione, nec non in statuto Ationis, ac denique in regulamento Comitatus appistorum: quibus mandatur omnes donationes etiam onerosas aut reciprocas, etiam contemplatione matrimonij factas, insinuari; seu Auenione registrari iuxta formam statuti; aliàs nullæ declarantur & inuidæ: propter quam verborum generalitatem insinuationem in istis donationibus esse necessariam dicit Rebus. *in constit. Regi. tit. de donat. insin. art. 1. glos. 1. n.* 19. Ranchin. ad Guid. Pap. *decis.* 325.
27. Alij distigunt, quod si agatur contra donatorem & eius hæredes, donatio sine insinuatione valida est; si verò agatur de præiudicio alicuius tertij veluti creditorū, donatio illa non obstante dotis priuilegio nulla est. Bacquet. *in tract. des droictz de iustice. cap.* 21. num. 377. & 378. Idem tenet Autumn. ad *l. si quis argentum. Cod. de donat. & ad l. fin. Cod. de iur. dot.* dicens tamen quod si donatio fuerit insinuata post aliquod temporis intervallum, ob fauorem matrimonij, præiudicat etiã creditoribus à die insinuationis tantum: & in hæc sententiã videtur inclinare Maynard. *lib. 6. chap. 61. numer. 1. & 2. respectu creditorum.*
28. Alij in terminis Regiæ ordinationis voluerunt, insinuationem non esse necessariam fauore dotis: vt Expilli *arrest.* 72. sed hoc propter modificationem illius Senatus datã ad ordinationem Regiam: vt *ibidem* dicitur. Item Ferrot, *in collatione Regiarum ordinationū* insinuationem in istis donationibus non requiri testatur *lib. 8. tit. 2. §. 2. in margine, n. 3. fol.* 489. *in versic. dos hic non comprehenditur.* Sed aduertatur quod *ibi* explicat antiquam ordinationem Regiam, in qua nulla matrimonij fiebat mentio; de quo tamen nominatim loquitur alia posterior ordinatio.
29. Alij distingunt vtrum dotis constitutio facta fuerit sub nomine donationis, vt tunc necessaria sit insinuatio: an verò sub nomine dotationis, & hoc casu nõ requiratur. Rebus. *in d. tit. de don. insin. art. 1. glos. 1. n.* 19. Ranchin. *ad d. dict. dec.* 325. *Guidonis.* † Sed hæc distinctio videtur verbalis; quia sola dotis promissio vel destinatio dotis, dicitur dos. Font. *dec.* 363. n. 10. Mant. *dec.* 166. Iaf. *in l. si extraneus. n.* 16. *ff. de condiç. caus. dat.*

In hoc magno opinionum & rationum conflictu, ego libenter aliorum potius, quam meam sententiam sequi vellem: sed ne punctus indecisus teneat, existimo donationes causa dotis factas ab eo qui tenetur dotare, validas esse; quamuis non sint insinuatae: illas verò quae ab extraneo (quae hac materia intelligimus eum qui dotare non tenetur) nullas esse, si insinuatae non fuerint; cum hęc respectu meram liberalitatem & donationem continent: respectu verò eorum qui dotare tenentur, iudicatur propriè exerceri liberalitas; cum in iustitiis nemo liberalis existat. Ricci. *collect.* 10, vbi dicit Rotam Romanam in *Anconitana dotis*. 7 Septembris. 1598. Coram Lancelloto, ita iudicasse. Quae decisionem licet quodammodo, videatur labefacta *decisio* 13. apud Pic. *num.* 5. Tamen eandem sententiam eadem Rota coram Cavalerio *decis.* 393 *num.* in terminis insinuationis statutariae vbi dicta *decisio Anconitana dotis* confirmatur: quae habetur *part. diue s. decis.* 282. *num.* 1. post Socin. *sen. consil.* 8 *num.* 26. *lib.* 4.



CAPVT LVIII.

Vtrum vxor hæres mariti confecto inuentario in quo erant mobilia & pecuniæ, censeatur sibi soluisse dotes suas & iura dotalia in præiudicium suorum creditorum: Et vtrum eo non obstante creditor ipsius vxoris, vsque ad concurrentiam iurium dotalium eiusdem præferendi sint creditoribus mariti. Quando inducatur ficta solutio, & vtrum illa retrotrahi possit in præiudicium tertij: Et vtrum saltem hoc casu creditores mariti possint vt exceptione compensationis aduersus creditores vxoris.

S V M M A R I V M.

- 1 *Hæres idemque defuncti creditor recediens pecunias hereditatis censeatur sibi soluisse: & ista est vera solutio. Sed vide inferius.*
- 2 *Mulieri agenti ad repetitionem dotis, opponi potest exceptio solutionis vel compensationis, si constiterit ipsam pecuniam & mobilia mariti habuisse.*
- 3 *Creditoribus heredis possunt petere separationem bonorum aduersus creditores defuncti.*
- 4 *Nomen dotale est obligatum creditoribus vxoris, & sub ea qualitate graduandi sunt eodem ordine, quo vxor fuisset collocata super bonis mariti.*
- 5 *Creditoribus qui ante aditam hereditatem contraxerunt cum herede, sunt præferendi creditoribus hereditariis.*
- 6 *Tempore aditam hereditatis inducitur à lege ficta solutio summarum ipsi heredi debitarum.*
- 7 *Ficta solutio inducitur ex potestate legis.*
- 8 *Hæres præsumitur sibi soluisse, quando agitur de eius commodo.*
- 9 *Ficta solutio, aut alia fictio numquam inducitur in præiudicium tertij.*
- 10 *Ficta solutio per aditionem non præiudicat creditoribus heredis.*

- 11 *Ficta solutio censeatur facta præcisè in ipso actu aditionis.*
- 12 *Aditio hereditatis, est actus qui unico temporis momento expeditur.*
13. *Hereditas post aditionem non est amplius hereditas; sed proprium heredis patrimonium.*
14. *Vbi semel inducta fuit ficta solutio, non potest iterum vera fieri.*
15. *Obligatio semel extincta non potest vires reassumere.*
16. *Ficta solutio per aditionem præiudicat creditoribus heredis, qui post aditam hereditatem contraxerunt.*
17. *Ficta solutio censeatur heredi facta primò de mobilibus.*
18. *Confusio inducitur potius quàm ficta solutio aduersus illos, qui cum herede post aditam hereditatem contraxerunt.*
19. *Mobilia & species non possunt dici soluta pro quantitate debita.*
20. *Hoc procedit quando heres protestatus est se nolle confundere iura sua.*
21. *Solutio inducta ex eo, quòd heres pecunias hereditarias exigit, non est vera sed ficta.*
22. *Solutio ficta inducitur, quando heres duas representat personas.*
23. *Compensatio opponenda est per creditores mariti ante litem contestationem, alias non potest aduersus creditores heredis opponi.*
24. *Per litem contestationem causatur mala fides, impediens opponi creditoribus compensationem.*
25. *Hereditas mariti consideratur tanquam res inanimata reperta in bonis vxoris.*
26. *Non bene inferitur ab exceptionibus quae aduersus heredem opponi possunt ad eas quae aduersus creditores illius.*
27. *Non est verum quòd creditores heredis representent illius personam, quoad exceptionem compensationis; cum immò representent propriam.*

Vxor creditrix mariti sui ab eo fuit hæres instituta cum onere dotem restituendi communi illorum filio, dictique mariti hereditatem post eius obitum adiuit facto inuentario, seu descriptione mobilium in illa repertorum quae promissit restituere; protestando se nolle iura sua confundere: postmodum domum hereditariam tam suo quàm filij nomine vendidit, & pretij partem recepit. Bonis mariti in generali discussione positis, concurrebant creditores vxoris, quibus ipsa ante aditam hereditatem obligata reperiebatur: concurrebant etiam creditores mariti testatoris prætendentes se debere præferri creditoribus heredis. Quæsitum fuit quis esset præferendus.

Dubium consistebat in eo, quòd vxor eademque hæres videbatur sibi soluisse mediante receptione partis pretij dictæ domus, nec non prædictorum mobilium: quia quidquid ad creditorem peruenit ex pretio pignoris, diminuit eius creditum; dicta verò vxor & hæres recepit pretium dictæ domus, nec non dicta mobilia: & per consequens non ficta solutio, sed vera inducta fuit. *l. rescriptum* §. 1. & *ibi. ff. de dist. act. pignor.* & in *l. quasitum. ff. cod. tit.* † Et nominatim quòd mulieri agenti ad repetitionem dotis opponi possit compensatio, vel solutio, quando constat ad eam multas pecunias & bona mariti deuenisse, tradit Gratian. *discept. forens. cap.* 129. *num.* 40. & 41. *Marescot. lib.* 2. *variar. resol. cap.* 121. *num.* 67.

- Verumtamen te maturè consideratâ in fauorem creditorum hæredis, & iudicio Rotæ Auenionensis ordinatum in causâ concursus creditorum Nobilium Ioannis Baptistæ de Florauant & Catherinæ de Labeona coniugum, creditores Domine 3. Catherinæ præferendos esse. † Quia remedio separationis bonorum hæredis à bonis testatoris, licitum est ipsis tanquam in hypotheca anterioribus super bonis hæredis, petere & consequi super dictis bonis solutionem summarum sibi debitarum. Siquidem cum omnia bona vxoris hæredis, sint ipsis obligata: 4 † per consequens nomen etiam & creditum dotale ipsius, quod habebat in bonis mariti, fuit illis obligatum & hypothecatum. *Surd. consil. 4. num. 19. & 20. Pacif. de Saluan. interd. inspect. 3. c. 2. n. 195. vbi multos allegat.*
5. Sunt igitur creditores mariti anteriores: quia sunt creditores vxoris habentis hypothecam anteriorem dotalem super bonis mariti: & sic succedit regula *cap. qui prior. de regul. iur. in 6. & l. potior. cum l. sequentibus. ff. qui potior. in pignor. habe.* si verò respiciamus obligationem præstitam per vxorem tempore inuentarij, creditores qui agunt contra bona ipsius sunt anteriores; cum eorum hypotheca præcesserit aditionem hæreditatis, & obligationem per vxorem hæredem tempore dictæ aditionis præstitam. *d. l. potior. & d. capit. qui prior.*
6. Verum quidem est tempore aditæ hæreditatis inductam fuisse à lege fictam solutionem crediti dotalis; cum idem non possit esse debitor, & creditor; & actio & passio non possint stare in eodem subiecto:
7. † Quæ ficta solutio inducitur virtute & autoritate legis. *l. Vranus. ff. de fideiusoribus. l. si hæres. 22.*
8. §. *final. versic. item si esset. ff. de solut.* † Immo præsumitur hæres per aditionem sibi soluisse, quando agitur de fauore hæredis, & hærede volente. Addent. ad Ludouic. *decis. 67. n. 17.*
9. Sed ista ficta solutio nunquam locum habet, quando agitur de præiudicio creditorum: quia fictio nunquam inducitur à lege in præiudicium tertij. DD. in *l. si is qui pro empore. ff. de usucapion. Sebastian. Sapia, in l. final. Cod. de edit. Diu Adrian. numer. 30. Surd. consil. 203. numer. 49. Gratian. discept. forens. cap. 283. numer. 15. Gabriel. consil. 186. num. 32. volum. 1. DD. in d. l. hæres à debitore. §. final. ff. de fideiusor & maximè Bart. Castrens. & Imol. Idem Bart. in l. si is qui. numer. 67. ff. de usucapion. & tradunt communiter DD. in l. quæ dotis. 34. ff. solut. matrimon. & fatetur Barbof. in ead. l. numer. 6. licèt ipse 10. disputando contrarium sentiat. † Et in indiuiduo de hac ficta solutione quam lex inducit per aditionem hæreditatis, tradunt Thesaur. iun. *lib. 3. quæst. 44. numer. 3. in fin. versic. limita. Rota. decis. 71. numer. 4. versic. neque obstant. part. 1. diuers. Ioan. Andr. Georg. allegat. 41. num. 28. Cens. decis. 163. n. 4.**
11. Fictio autem ista debet intelligi, vt præcisè in actu aditionis hæreditatis inducta censetur, non post aditionem. *Rot. decis. 198. num. 6. part. 7. recent. Cauer. decis. 367. num. 1. & 2. & probatur in l. stichum. §. aditio. & ibi DD. omnes. ff. de solut. † Quia actus aditionis ex quo prouenit imaginaria solutio, primo momento temporis expeditur. l. gerit. ff. de acquir. hered. l. si auia. & ibi DD. Cod. de iur. deliber.*
13. Robert. Marant. in *l. is potest. ff. de acquir. hered.* † Et post aditam hæreditatem non ampliùs dicitur hæreditas, sed proprium hæredis patrimonium ex quadam bonorum & iurium confusione. *l. sed si plures. §. filio. ff. de vulgar. & pupil. substit. §. 1. Institut. de hered.*

qualit. & differ. Decius, & Cagnol. in l. hæreditas. ff. de regul. iur.

Vnde colligitur non posse subsistere quod ex aduerso opponeretur, hic non agi de ficta solutione, sed de vera propter receptionem mobilium & pretij domus per vxorem hæredem. Quia si solutio ficta, facta fuit tempore aditionis hæreditatis; ergo solutione eius quod debebatur sublata fuit omnis obligatio & extincta: & per consequens non potest tractari de alia solutione tempore receptionis mobilium, vel pecuniarum: quia priuatio supponit habitum: extinctâ ergo obligatione, non potest tractari de solutione. † Nam obligatio semel extincta non reuiuiscit. *l. qui res. ff. aream. ff. de solut.* Sibi igitur ipsis contrariantur creditores testatoris, dum fictam solutionem allegant tempore solutionis, & veram tempore receptionis. *Surd. decis. 92. numer. 9. & sequentibus.* Dicendum est igitur inductam fuisse fictam solutionem tempore aditionis in præiudicium ipsius hæredis, non autem in præiudicium creditorum.


Præmissa locum habent quoad creditores habentes hypothecam anteriorem, ante aditionem hæreditatis factam per hæredem: si enim ageretur de creditoribus qui contraxerunt cum hærede post aditam hæreditatem; tunc verum esset inductam fuisse fictam solutionem, cum quoad istos posteriores non tractetur de præiudicio tertij: quia ficta solutio iam suum effectum produxerat eo tempore, quo ipsis nullum ius nullaque hypotheca competeat: vt de muliere creditrice sui mariti tradit Soccin. iun. *consil. 170. num. 9. & 10. volum. 2. Surd. decis. 92. numer. 2. & 4. Gratian. discept. forens. cap. 214. numer. 1. & cap. 203. numer. 4. † vbi dicit quod talis confusio bonorum trahit secum perfectam solutionem, dictaque solutio censetur facta primò de bonis mobilibus. † Præsertim quando constat vxorem illa recepisse, & alienasse. Rota, *decis. 580. numer. 7. part. 1. diuers.* Idem Gratian. *d. cap. 214. numer. 16.* Idque non tam per viam confusionis, quàm per viam cuiusdam fictæ & imaginariæ solutionis. *Surd. decis. 224. numer. 8. & 9. & in proprio casu creditorum, qui post aditam hæreditatem contraxerunt, decidit Ioan. Andr. Georg. allegat. 41. n. 28. Afflict. decis. 237. num. 3. & hoc est quod voluit Bart. in d. l. si is qui pro empore. ff. de usucapionib. numer. 67. & 68. vt etiam aduertit Vincent. de Franch. decis. 80. n. 18.**

Cum autem in casu proposito ageretur de creditoribus hypothecam habentibus ante aditionem, & sic non fuisset inducta ficta solutio tempore aditionis hæreditatis in præiudicium ipsorum; restabant duæ difficultates examinandæ. Prima, vtrum si non ficta; saltem vera solutio fuerit inducta per receptionem mobilium & pecuniarum. Secunda, vtrum in præiudicium creditorum anteriorum.

Quoad primum dubium responsum fuit in primis, quæstionem illam non posse versari circa mobilia: quia species non potest dici soluta pro quantitate dotali debita. *l. 2. §. mutui datio, cum ibi notat. ff. si cert. petat. † Stante protestatione per hæredem facta, quòd nolebat iura sua confundere; cum ficta solutio locum non habeat nisi interueniente voluntate hæredis. Surd. decis. 92. num. 7. & 8. quia quando lex vult aliquid fieri ipso iure, semper intelligitur parte volente. Gloss. in l. si constat. Cod. de compensationibus. Surd. decis. 191. n. 15. & sequentibus.*

Quod autem attinet ad pecunias ex pretio domus receptas, licèt ex tali receptione ipsa sibi soluisse

- videatur ; tamen illa non potest dici vera solutio, sed impropria & ficta : necesse enim est vt fingamus ipsam duas repræsentasse personas : vnam hæredis, alteram hæreditatis. Rota Genuens. *decis. 1. n. 27.*
22. & *decis. 2. num. 35. & 36.* † Et per consequens solutio huiusmodi non est vera, sed ficta. Scacc. *de commerc. & camb. §. 6. glos. 1. numer. 25.* si ficta solutio : ergo non operatur in præiudicium creditorum anteriora iura habentium : iuxta conclusiones superius firmatas.
- Quod ad secundam quæstionem attinet, responderetur quomodocumque res se habeat ; non posse tamen compensationem, vel si maus solutionem induci in præiudicium anteriorum creditorum ipsius hæredis. † Siquidem exceptio compensationis debuisset opponi per creditores mariti ante litem contestatâ, & discussionem cceptam; aliàs opponi nequit : cum interuenerit vnus ex tribus de quibus *in l. 3. Cod. de nouat.* nempe litis contestatio, quæ vim denunciationis habet. Alberic. *in l. doli exceptio.* aliàs *doli mali exceptio. 19. num. 12. ff. de nouat.* † Et dicitur causata mala fides creditorum mariti per litis contestationem, propter quam excluduntur ab exceptionibus compensationis, vel solutionis : † cum debitor debitoris nempe hæreditas mariti consideretur tanquam res inanimata reperta in bonis vxoris debitoris. *Surd. consil. 4. n. 19.* & sic cessat facultas sibi ipsi soluendi in præiudicium creditorum; cum hoc casu non possit repræsentare duas personas. Vincent. de Franch. *decis. 53. n. 10* † Vnde non bene infertur ab exceptionibus quæ opponi possent aduersus hæredem, ad eas quæ opponuntur eius creditoribus ; cum inter vtrumque casum sit valde diuersa ratio : quia creditores vxoris hæredis non tenentur soluere debita illius, vel debita eius mariti testatoris. † Nec est verum quod creditores vxoris repræsentent personam ipsius, quin imò repræsentant personam propriam: quia volunt ex proprio capite satisfieri super bonis dictæ debitoris : vt bene explicat Rota, *decis. 703. num. 2. part. 3. recent.*
- Et ex iis ita fuit iudicatum.



CAPVT LIX.

Si Communitas exactionem collectarum alicui commiserit, qui alium subexactorem insciã Communitate sibi associauit; vtrum si principalis exactor non sit soluendo possit agere viã ordinariã vel executiã contra subexactorem, seu socium exactoris, qui cum ipsa Communitate non contraxit: Et vtrum saltem conueniri possit in subsidium vsque ad concurrentiam summarum per ipsum exactarum.

S V M M A R I V M.

- 1 *Communitas non potest agere contra socios exactorum. Intellige vt infra.*
- 2 *Socius exactoris non est socius conductionis.*
- 3 *Ad hoc vt socius exactoris conueniri possit per Communitatem, necesse est vt associatio facta fuerit interueniente Communitate; quamuis conuentum esset quod ipse sibi socios assumere posset. Contra; num. 8.*
- 4 *Electio sociorum exactionis fieri non potest, nisi presentibus & scientibus Consulibus; alioqui*

- non sunt socij exactionis, sed exactoris.*
- 5 *Angeli doctrina in l. 1. ff. de loco public. explicatur.*
 - 6 *Socij ignorante Communitate assumpti non obligantur Communitati.*
 - 7 *Conductor conductoris mei, non est meus conductor.*
 - 8 *In materia societatis vectigalium, casus mixtus non continetur in simplici.*
Quando socius sibi reseruauit ius nominandi participem, non tenetur exigere consensum Communitatis. Ibidem.
 - 9 *Socium socij mei, mihi non obligatum executiue conuenire nequeo.*
 - 10 *Obligatio Cameralis non porrigit vires aduersus personas in ea non nominatas.*
 - 11 *Ratificans instrumentum verbo vel facto an & quando possit executiue conueniri.*
 - 12 *Quando actus non fuit nomine meo gestus, approbatio illius per me facta non meretur nomen ratificationis.*
 - 13 *Debitor debitoris mei quando possit executiue conueniri.*
 - 14 *Debitor debitoris non potest conueniri viã executiua, nisi prius constet de debito liquido & exequibili.*
 - 15 *Socij non possunt inter se agere executiue; nisi prius calculatis rationibus.*
 - 16 *Subrogati ab exactoribus tributorum fiscalium, non possunt à fisco conueniri nisi in subsidium.*
 - 17 *Quando socius socij tenetur ratione gestions factæ circa societatem, tenetur duntaxat vsque ad cõcurrentiam summarum per ipsum exactarum.*
 - 18 *Liberatur tamen si bona fide rationes suo principali reddiderit, & reliqua illi persoluerit ante denunciationem sibi factam.*

Debitum fuit vtrum Communitas posset agere contra eos subexactores, qui à principali exactore collectarum fuerant deputati absque interuentu ipsius Communitatis, & quatenus agere possit; quibus remediis, quomodò, & qua actione seu via, an ordinaria, an executiua: vtrum in totum, vel pro parte.

Prima conclusio est: Communitatem non posse 1. agere contra socios principalis exactoris regulariter. Probatum quia socius socij mei, socius meus non est quoad obligationem, hoc est non est mihi obligatus; sicut neque conductor conductoris mei, meus conductor quoad obligationem dici potest. *l. qui admittitur: cum l. seq. ff. pro socio l. consilij. §. fin. ff. de regul. iur.* Alciat post Gloss. *in l. modestinus. ff. de verb. signific.* Rota Genuens. *decis. 27. n. 1.* Cum igitur Communitas contraxisset solum cum principali exactore, nec aliquem actum vel contractum fecisset cum dictis associatis: † Sequitur ipsos non potuisse dici conductores illius exactionis; sed duntaxat exactoris socios. Rota Genuens. *decis. 14. n. 53. & 55.* Vbi dicit similes associatos qui cum Camera seu Communitate minimè contraxerunt, non posse conueniri tanquam liberatarios, seu Appaltatores; quia Camera seu Communitas suum constituit Appaltatorem, in quem ius Appaltus transfert, nec illi concedit hanc facultatem constituendi Appaltatores seu conductores dictæ exactionis, cum non fuerint nominati, nec presentes in ipsa liberatione, & cum ipsis Communitas non contraxerit. † Et tamen vt con- 3. stituerentur Appaltatores, debebat interuenire contractus cum Communitate, seruatis seruandis. Rota Genuens. *d. decis. 14. num. 55. versic. nec obstat.* Vbi loquitur de conductoribus publicorum vectigalium. Immo si dictus exactor sibi reseruasset tempore libera

- liberationis facultatem alios sibi associandi, & nominandi; tales nominati non poterant dici exactores, seu appaltatores; neque tanquam tales pro exactione publicorum reddituum conueniri; nisi illorum nominatio facta fuisset formiter in præsentia Consulum, vel Agentium pro Camera, si ageretur de fiscali conductiõne, vel exactiõne: † Siquidem electio sociorum, quorum nominatio reseruata fuit tempore liberationis publicarum functionum, non potest fieri nisi saltem præsentibus aut requisitis locatoribus; & deputatio seu electio exactoris alio modo facta, dicitur nulla & clandestina. Ruyn. *consil. 90. volum. 1. numer. 9.* Sed tamen contrarium tenuit Rota Romana, de qua infra, *numer. 8. versic. nec etiam.*
4. Neque obstat doctrina Angeli in *l. 1. num. 1. versic. ultimo nota bene. ff. de loc. public. fruend.* ubi dicit quod contra conductores vectigalium & pedagogiorum cuiuslibet Ciuitatis, & eorum socios, quibus isti conductores communicant ista vectigalia; & sic in vectigalibus alios acquirunt sibi socios; agi potest ad solutionem pterij per Rempublicam: sicut contra empores: quod dicit esse menti tenendum, quia quotidianum. Eamdẽque sententiam Angeli sequitur Rebuff. in *consil. Reg. tit. de mercator. artic. vlt. glos. vnic. num. 25.* ubi dicit mercatores habentes officium vel conductionem de publico, sicut solent in solidum conueniri, ita & alios in solidum conuenire posse: & allegat *Glos. in dicta l. 1. ff. de loco public. fruend. Gratian. discept. forens. cap. 336. num. 41. 42. & 43.*
6. Respondetur enim neque Angelum, neque Doctores mox citatos dicere, exactores clam & sine consensu Vniuersitatis deputatos, posse conueniri ab ipsa Vniuersitate, cum qua nullo modo contraxerunt. Quia contrarium est in iure verum, ex Ruyn. *dicto consil. 90. num. 9. volum. 1.* & si bene legatur Angel. & alij, non loquuntur de subexactore sine consensu Communitatis deputato; sed de eo qui consentiente Vniuersitate fuit nominatus, & ad exigendum commissus iuxta dispositionem iuris. Atque ita Angeli doctrinam intelligendam esse monet Rota Genuen. *decis. 14. num. 129. versic. ad duodecesimum. & num. 130. vsque ad versic. vel licet.* Quamuis illum aliter & malè videatur intellexisse Auend. in *tractat. de exequen. mandat. part. 2. cap. 12. num. 16.* cum eius intellectui repugnet ratio & authoritas supradictorum Doctorum.
7. Neque text. aut *Glos. in dicta l. 1. de loco public. fruend.* loquuntur de conductore conductoris, sed quod ibi dicitur, simpliciter est intelligendum præsuppositis habilibus, nempe interueniente consensu Communitatis, vel de illo socio qui à principio in conductione exactiõnis vel vectigalis fuit Reipublicæ nominatus tanquam socius; & cuius nomine facta fuit conductione: vt videre est in dicta *Glos. in figuratiõne casus*, in qua supponitur fundum communem alicui fuisse locatum pro se, & pro socio.
8. Præterea doctrina Angeli & aliorum procedit, quando agitur de eo qui fuit associatus in exactiõne onerum publicorum simpliciter; at verò exactor iste non assumpserat sibi socium in exactiõne istius Communitatis, sed illum deputauerat, vel associauerat in pluribus alijs negotijs diuersis, & in exactiõne plurium collectarum per alias diuersas Communitates impositarum: vnde non erat societas simpliciter functionum publicarum, sed secundum quid, & per accidens: Ideo dispositio *dicta l. 1. ff. de loco public. fruendo*, & aliæ similes loquentes de societate vectigalium, non habent locum quando cum illa societate

adest mixtura societatis aliarum negotiationum: quia casus mixtus non comprehenditur sub casu simplici; & dispositio loquens de publica vtilitate, non habet locum in casu mixto, in quo adest mixtura publicæ & priuatæ vtilitatis. Decius *consil. 213. visis his que accuratè. num. 4.* quem sequitur Felic. *de societ. cap. 32. num. 26.* Et est notandum, quod Decius consuluit in eodem casu, in quo Ruyn. *dict. consil. 90. volum. 1.*

Nec etiam obstat *decisio* Rotæ 208. *num. 6. part. 4. recent.* Quia illa decisio non loquitur de deputato ad exigendum, sed de particeps conductionis vectigalium, quem principalis conductor nominauerat in executionem facultatis nominandi reseruata tempore liberationis dictæ conductionis sibi factæ: vt legitur *dicto num. 6. in fin.* ubi reuocatur alia decisio facta in eadem causa, quæ inseritur apud Marches. *de commiss. part. 2. fol. 509. num. 3. versic. nec obstat.* ubi dicebatur non obtante reseruatiõne facultatis nominandi socios in appaltu, nominationem debuisse fieri in Camera: Sed hic non est casus noster. De materia autem participationis in huiusmodi locationibus fusè agit Gratian. ex dictis Rotæ decisionibus, *discept. forens. cap. 597. numer. 25. & sequentibus.*

Secunda Conclusio. Casu quo ex pacto nominationis reseruata, vel alio modo, Communitas habuisset actionem contra subexactorem; non tamen agere potuisset viâ executiuâ contra ipsum: cum non sit nominatus in instrumento obligationis præstitæ per exactorem principale, † Cameralis autem obligatio non habet effectum executiuum contra personas in ea non nominatas: licet enim obliget efficacius, non tamen in plus quàm partes conuenerint. Rota apud Cens. *post tractat. de censib. decis. 33. num. 3.* Zach. *de obligat. Cameral. quest. 14.* † Et quamuis subconductor iste instrumentum saltem facto ratificasse diceretur; tamen hæc non erat ratificatio: quia instrumentum nomine illius gestum non erat. † Quod autem nomine meo gestum non est, ratificare non possum: *cap. ratum. de reg. iur. in 6. l. si pupilli. §. sed si ego. & ib. Bart. ff. de negot. gest. Surd. consil. 183. num. 40.* Ergo cessat hoc casu viâ executiuâ. Scacc. *de appellat. quest. 17. limit. 9. num. 11. & multis sequentibus.* ubi bene explicat, quando quis ex sua ratificatione conueniri possit viâ executiuâ.

Dices, contra debitorem debitoris agi posse viâ executiuâ, quando ille est executiuè obligatus: ex Rota apud Zach. *de obligat. Camer. decis. 7. num. 1.* & notant DD. in *l. etiam nomen. Cod. de execut. rei iudic.* Gratian. *discept. forens. cap. 507. à num. 1. ad num. 17.*


Sed facilis est Responso: quia regula illa procedit, quando constat de debito liquido & exequibili: vt habetur in *dicta decis. & tradit Cost. de remed. subsid. cap. 77. num. 5.* Alioqui non licet agere executiuè contra debitorem debitoris; cum, vt contra eum sic agatur, multa requirantur de quibus copiosè Addentes ad Buratt. *decis. 793. litera A.*

Creditum autem sociale non est exigibile, nec executionem meretur nisi factis prius inter socios Computis, calculatisque rationibus, vt sciatur quis sociorum sit debitor, & quis creditor. Giurb. fusè *decis. 15. per totam*, maximè *num. 7. & 8.* ubi infinitos allegat.

Tertia Conclusio. Si quæ actiõ competeret aduersus subexactores, illa daretur duntaxat Communitati in subsidium; casu quo principalis exactor non esset soluendo, vel esset fugitiuus: & hac ratione DD. fisco tribuunt actionem aduersus exactores

subrogatos. Petrus de Vbald. tractat. de duobus fratribus. part. 10. princip. num. 2. versic. ex his etiam potest decidi, quem sequitur & citat Bertachin. in tractat. de gabellis, part. 2. quest. 12. num. 25.

17. Ultima Conclusio. Actio Communitati competere potest aduersus subexactores, ad concurrentiam & pro rata summarum & rerum quas ipsi exegerunt, & quæ ad eorum manus peruenerunt de bonis & pecuniis dictæ Communitatis: quia colonus coloni mei, & conductor conductoris mei, & socius socij mei non tenentur ratione personæ, nec ratione alicuius obligationis præstitæ mihi; sed ratione rei, seu gestionis, aut administrationis rerum mearum quas ipsi administrarunt, aut receperunt: vt tradit Caroc. in tractat. de locat. part. 1. cap. 42. parue editionis Cagnol. in dicta l. consily. §. socij. ff. de reg. iur. Cost. de subsid. remed. 77. num. 7. circa medium, & num. 8. vbi dicit socium in casum exactæ pecuniæ communis, quamuis sit socius socij, teneri in subsidium pro pecunia per ipsum exacta, quando debitor principalis decoxit.
18. Hæc tamen intelligenda sunt, nisi iste subexactor vel socius socij bona fide, & sine fraude rationes reddidisset, & reliqua soluisset suo principali ante intimationem, seu denunciationem; & ante illius decoctionem: adinstar eorum quæ de conductore dicit Cost. in tract. de ration. rat. quest. 18. num. 16. & 17. cum non sit æquum, vt binam solutionem facere compellatur: & quilibet bona fide soluens suo creditori liberetur; quamuis postea illius insurgant creditores: vt multis citatis probat Additio ad Burat. dicta decis. 793. in fine.
19. De materia autem ista socij per socium sibi adiuncti, copiose agunt vltra iam citatos, Felic. de societ. cap. 15. num. 63. Mozz. de contractib. in tit. de societ. col. 3. de subst. societ. num. 4.



CAPVT. LX.

Vtrum priuatus habens domum iuxta plateam publicam, in qua constructus est fons ciuium vsui destinatus, possit aperire portam vt exeat domo per illum locum inuita Communitate. Quis dicatur locus publicus quoad vsum, & quis quoad dominium Vniuersitatis, & quæ sit inter vtrumque differentia. Quando quis prohiberi possit in muro suo ianuam aperire. Qua ratione colligi possit ianuam aperiri ad æmulationem. Vtrum per concessionem licentiæ, quis dicatur constitutus in quasi possessione prohibendi.

S V M M A R I V M.

1. Via publica vsus communis est, & omnibus patere debet.
2. Si quis via seruitutem constituat, locus publicus inter prædium dominans & seruiens intermedius non prauddicat seruitutis constitutioni.
3. Locus destinatus ad vsum alterius loci, censetur pars illius.
4. Non dicitur via publica ex eo quòd publicè per eam itur; sed alia plura requiruntur: nomi-

natim quòd ducat ad Ciuitatem, flumen, vel viam publicam.

5. Si Communitas locum publicum emerit, potest illum ad vsus sibi bene visos commutare.
6. Locus publicus emprus à Communitate, alienari aut vendi potest.
7. Loca publica Communitatis vendi possunt pro illius necessitate.
8. Quæ à Communitate alienari possunt, improprie publica dicuntur.
9. Bona Vniuersitatis non sunt proprie communia: quia alienari possunt.
10. Bona patrimonialia Communitatum quodammodo pro priuatis habentur.
11. Quæ sit differentia inter bona quæ publica sunt proprietate, & ea quæ sunt in vsu publico.
12. Communitas vendere potest prædia, horrea, & alia similia bona quæ sunt proprietate publica.
13. Censui imponi potest super bonis patrimonialibus Communitatum.
14. Ianua non potest aperiri super loco, qui proprietate publicus est.
15. Etiam super via publica ostium fieri non potest, si ex eo oriatur damnum Communitatis.
16. Quamuis Theatra sint in vsu publico, tamen Communitas potest modum illius vsus præscribere.
17. Communitas potest impedire facturam ianue per quam eat ad locum publicum, non solum si fiat præiudicium publicæ utilitati; sed etiam si possibile sit illud oriri in futurum.
18. Damnum attendi debet non solum quòd est in actu, sed etiam quòd est in potentia.
19. Porta censetur facta ad æmulationem, quando quis aliunde habebat aditum ad domum.
20. Ex facultate seu licentia alicui concessa faciendi ianuam, vel aliquid aliud, colligitur quasi possessio prohibendi ne fiat inuito eo qui licentiam concessit.
21. Mantentio peti potest in quacumque parte litis si spenso petitorio, etiam in causa appellationis. num. 22.

Quidam particularis prætendebat Consules iniuste sibi dare impedimentum, ne ianuam in sua domo aperiret, seu construi faceret, per quam accessus illi dabatur ad plateam, seu locum publicum, in quo fons ædificatus & erectus erat ad vsum totius Ciuitatis destinatus.

Quia viæ publicæ vsus communis est, & ad ipsam¹ aditus omnibus patere debet; loca enim publica priuatorum vsibus deseruiunt, iure scilicet Ciuitatis, non vti propria cuiusque: & tantum iuris habet quilibet ad obtinendum, quantum alius ad prohibendum. l. 2. §. hoc interdictum. l. 1. ff. ne quid in loc. public. † Vnde si quis in fauorem prædij, inter quod locus publicus intermedius est, seruitutem viæ constituat; non impeditur seruitus viæ, aut itineris, per locum illum publicum qui inter prædium dominans & seruiens medius est. Castrenf. in l. flumine publico. ff. de seruitut. rustic. prædior. † Præsertim² verò cum locus ille publicus sit accessorius ad fontem Communitatis, ad quem omnibus datur accessus; ideo tanquam pars ipsius fontis censeri debet: & sicut omnibus ad fontem datur accessus liber, ita & huic ciui particulari videtur denegari non posse liberum ingressum ad illum locum: quia de iure locus destinatus ad vsum alterius loci, censetur portio illius ad quem destinatus est.

est. Castrenf. in l. sepulchrum. numer. 3. Cod. de relig. & sumpt. funer.

- Negotio tamen exactè perpenfo, Dixi Communitatem iure impedire posse, ne vicinus iste portam in suo pariete aperiret, per quam ad illam plateam fontis liberè accedere posset. Quia supponebatur in facto verum, quòd locus ille ad quem vicinus aditum postulabat, mediante portâ per eum in pariete domus suæ aperiendâ, non est locus publicus seu via publica. † Non enim ex eo solo via publica dicitur, quòd ad eam & per eam publicè eatur: sed tria ad eam constituendam requiruntur, Primò quòd solum sit publicum. Secundò, quòd per illud publicè eatur. Tertiò, quòd ducat vel ad Ciuitatem, vel ad flumen, vel ad viam publicam. Cepol. de seruit. vie. quæstione. 7. per text. est in l. 1. §. summa cum utilitate. ff. de his qui deiecer. vel effuder. & ibi notat Bart.
5. Surd. decis. 42. numer. 3. & 4. † Immo cessabat omnis difficultas ex eo, quòd supponebatur locum illum de communibus pecuniis emptum fuisse, domòsque in illo præexistentes fuisse ex consilij deliberatione destructas vt commodior ad fontem pateret accessus; ita vt nullum sit dubium quin si hodie Communitas vellet, in illo loco apothecas, porticus, vel quid simile fabricare; id posset: aut fontem ad alium locum transferre, & de illo loco aliter ad libitum disponere, impediendo ne quis emprores vel conductores illius loci in pacifica possessione turbaret. l. 1. ff. de loco public. fru. & ibi Angel. & alij. † Et potest Communitas locum illum omninò alienare, sicut alia bona sua, adhibitis solemnitatibus consuetis: vt in tit. de vendend. reb. Ciuit in Cod. & de diuersis prædijs Ciuitatû lib. 11. l. 2. & ibi Luc. de Penna. Eius enim est destruere, cuius est condere. l. si quis in principio. ff. de legat. 3. † & quod plus est, quamuis ageretur de via publica posset Communitas procedere ad illius alienationem cum solemnitatibus requisitis, si talis alienatio esset Reipublicæ necessaria. Afflict. in tract. de iure proshomis. §. 9. numer. 7. & 8. maximè in versic. pro resolutione. & in effectu Iudex à quo in sua sententia reseruauerat ius Communitatis quatenus locus ille à publico in priuatum redigeretur.
8. Quibus sic stantibus consequens est, vt locus ille non nisi improprie publicus dici possit: nam quæcumque alienari, mutuari, vel alterari ab Vniuersitate possunt, ea improprie publica dicuntur. l. sed & Celsus. cum l. sequenti. ff. de contrah. empt. §. final. instit. de empt. & vendit. l. inter publica. ff. de verb. signif. & ibi Alciat. qui ideo dicit, non sine ratione Iurisconsultum ibi bona illa non publica, sed inter publica nominare, id est abusuè publica: nempe non iure gentium, sed iure ciuili vel municipali publica: verè ergo publica dici debent, quæ vsu sunt publica; proprietate non item. † Res autem Vniuersitatis & vsu, & proprietate sunt communes: & propterea verè publicæ non sunt. Cuiac. ad tit. Instit. de rer. diuis. in verb. & portus. & in verb. Vniuersitatis.
10. † Ideo bona quæ sunt in publico patrimonio vendi possunt & pro priuatis habentur, eodem plane modo quo aliàs bona Principis fiscalia, & patrimonialia distinguntur: vt diximus in tract. de præuent. iudicial. cap. 23. horum enim similem esse rationem & distinctionem tradit Cuiac. ad l. sed & Celsus. 6. in principio, & circa finem in versic. publica autem sunt distinguenda. † Eamdémque differentiam inter publica vsu, & publica proprietate & vsu, tradit Pract. Papiens. in form. libell. in action. real. in verb. veris ac legitimis titulis. numer. 46. in fine, & numer. 47. per text. in dict. l. sed & Celsus. Cancet. lib. 3. va-

riar. resol. cap. 17. de sent. & earum execut. numer. 198. 199. & 200. † vbi quòd Vniuersitas potest vendere ea quæ sunt sui patrimonij, & in illis habetur tanquam priuata persona; vt sunt prædia, horrea, & alia quæ iure proprio ad Vniuersitatem spectant. Gasp. Roderic. de annu. reit. lib. 1. quæst. 14. numer. 67. vbi affert exemplum in domibus publicis, prædijs, campis, & redditibus, in quibus dicit posse procedere Communitatem ad alienationem, & de illis disponere. Cens. de censibus. quæst. 23. numer. 18. † vbi dicit censum posse imponi in casibus ibi expressis, super rebus quæ sunt in patrimonio Reipublicæ, & ab ipsa non iure Vniuersitatis, sed iure priuati patrimonij possidentur. Auendan. de exequend. mandat. 2. parte, cap. 10. numer. 1.

Si autem fateamur (provt verum est) locum illum non verè publicum esse, sed priuati Reipublicæ patrimonij; fateri consequens est non posse quempiam qui ad illum locum stillicidium protensum non habet, ianuam in muro finitimo aperire. Cepol. de seruit. urb. præd. cap. 4c. de pariete. numer. 6. versic. sed nunquid vicinus. rationem reddens, quia non potest imponi seruitus prædio alieno, domino nolente. l. diuus. ff. de seruit. rust. præd. & quamuis locus ille verè publicus esset, non posset in eo ostium aperiri stante damno, vel incommodo quod Reipublicæ oriri posset in futurum: vt supra ostensum est. † Quia quod dictum est ad locum publicum ostium aperiri posse, intelligendum est dummodo damnum non fiat Reipublicæ, aut ius publicum non lædatur. Pract. Papien. in form. libell. pro hered. vel re singul. diuiden. in verb. & in futurum percipiendis. numer. 6. versic. sed an in pariete.

Sic licet in Theatris Vniuersitas ius publicum habeat vsu, non proprietate; §. Vniuersitatis. Instit. de rer. diuis. & sic sint verè publica ex supradictis; potest tamen vsui publico modum præscribere, cum multis apud Romanos legibus præscripta sint, & distincta in Theatris loca: veluti Senatorum à plebe, nec omnia omnibus patuisse loca certum sit in Theatris, Alex. ab Alex. genial. dier. lib. 5. cap. 16. Balduin. §. littorum, in verb. quæ in ciuitatibus. Instit. eod. tit. de rer. diuis.


Neque interest quòd forsan in statu præsentis ostij apertura non inferat damnum Communitati: Quia satis dicitur inferre damnum id quod habitu, quamuis non actu infert: sicut dicimus de falsitate quæ nociua dicitur, si saltem possibile sit ipsam nocere posse Farin. de falsit. & simul. quæst. 150. numer. 355. & sequentibus. † Et generale est in iure; vt non solum attendatur damnum quod est in actu, sed etiam quod est in potentia: text. est clarus in l. 1. §. prator ait. ff. de his qui deiecer. vel effuder. Ibi nec expectamus vt noceat, sed omninò si nocere possit. Rota, diuers. decis. 31. numer. 8. part. 2.

Consideratione etiam dignum est, quòd ex vicinis domibus nulla habet ostia, fenestram, vel aperturam respicientem ad fontem, quod etiam fieri potuit, ne ex vicinis domibus immunditiæ ad fontem deferantur, vel proiciantur; sed omnes portæ & fenestræ erant ex alia parte: † Et ideo cum aliunde habeant exitum, noua ista apertura videtur fieri ad æmulationem, potiùs quàm ad utilitatem domus: vt dicit Francisc. Marc. decis. Delphin. part. 2. decis. 484. numer. 3. versic. & maximè. qui loquitur etiam in casu fortiori, nempe quando in muro aderant vestigia portæ antiquæ. Idem repetit part. 1. decis. 24. numer. 4. & 5.

Et præmissa multò magis procedunt, quia ipsa Communitas est in quasi possessione prohibendi, ne quis

quis in illo muro faciat aperturas; vt probatur ex licentia aperiendi, dummodo ad omnem voluntatem Communitatis clauderetur: prout subsequuta fuit iubente Communitate clausura: Nam in istis iuribus incorporalibus, possessio acquiritur per vnicum actum, Gratian. *dicep. forens. cap. 113. num. 1. & 32.* & ex concessione licentiæ sequitur ius, & quasi possessio prohibendi. Post. *de manutent. obseruat. 24. num. 16.* qua de re tamen videri poterit Cancr. *lib. 2. variar. resol. cap. 2. num. 90. in nouis Rota Auen. decis. 165. num. 8. in fine, Rota Romana in recent. part. 4. decis. 300. num. 7. Vincent de Franch. decis. 158. num. vlt. Ibi & sic acquiescentia. & ibidem Aditio Visconti. Burat. decis. 222. num. 2.*

21. Et propterea Dixi forsitan melius esse, si Communitas suspensio petitorio intentet possessorium, quæ suspensio non solum potest fieri in quacumque parte litis: ad notata in *cap. pastoralis. de caus. possess. & propriet. Ludouil. decis. 307. num. 19. †* Sed etiam in instantia appellationis: vt tradit Seraph. *decis. Rota Romana 299. num. 1. & 2.*



CAPVT LXI.

Si legatum fuerit prædium, super quo census annuus fuit specialiter impositus; vtrum hæres, an legatarius ad census solutionem & extinctionem teneatur. Quid si legatum fuerit *cum suis iuribus & pertinentiis*, vtrum intelligatur tam de actiuis quàm de passiuis.

S V M M A R I V M.

1. Hæres regulariter tenetur redimere census super re legata specialiter impositum, quando testator illud sciebat.
2. Ampliatur vt procedat, siue census fuerit impositus ante, siue post legatum factum.
3. Clausula cum suis iuribus & pertinentiis adiecta legato certa rei, vtrum comprehendat iura tam actiua, quàm passiuia.
4. Clausula prædicta non continet iura passiuia, quando ex coniecturis constat de contraria voluntate testatoris.
5. Magna est differentia inter census creatos iuxta formam Bullæ, & eos qui hac in patria frequentantur, vbi Bulla non est vsu recepta.
6. Bulla Pij. V. que requirat circa impositionem census super certo prædio.
7. Clausula ita quod specialitas generalitati non deroget, cuius sit efficacia in censibus, qui apud nos venduntur.
8. Ex Bulla Pij. V. licet in contractu census ultra certum prædium adsit obligatio generalis omnium bonorum, si tamen prædium pereat, perimitur quoque census super eo impositus.
9. Census iuxta formam Bullæ creatus inheret prædio, & dicitur de illius pertinentiis passiuus.
10. Census qui non fiunt iuxta formam Bullæ, dicuntur esse de pertinentiis persone, nõ prædij.
11. Census isti in quibus Bulla forma non seruatur, dicuntur ius à re abstractum, & sunt de loco vbi solutio destinata fuit.
12. In nostris censibus sola actio pro exigendis fructibus consideratur, nec aliquod ius reale

- super re obnoxia censui acquiritur.*
13. Quod ad realitatem census fieri debet differentia inter eum qui pecunia redimibilis est, & reseruatium.
 14. Explicatur consilium 1. Pedroch. & ostenditur ex facti per eum propositi circumstantiis, nihil inferri posse ad quæstionem, de qua agitur, generaliter consideratam.
 15. Legatum Curie cum suis pertinentiis, videtur continere tam onera quàm honores atq; in nomine illo Curie quod est vniuersale.
 16. Nomen Castri, vel villa, est vniuersale; & in eo omnia iura tam actiua quàm passiuia continentur.
 17. Nomen apotheca, seu mensa est quid vniuersale, & continet tam commoda quàm incommoda.

Donus, quam maritus vxori cum eius iuribus & pertinentiis legauerat reperiebatur onerata annuo censu: Hæres onus soluendi census in legatarium reiciebat. Quæsitum fuit ad quem spectaret onus soluendi census? Respondi spectare ad hæredem; non autem ad legatarium.

Quia regulariter hæres tenetur luere census annuum redimibilem impositum super corpore hæreditario legato, si testator illius census notitiam habebat; prout de dicta notitia constare asserbatur. Anton. de Marin. *quotid. resol. part. 1. cap. 12. num. 2.* vbi ostendit differentiam inter legatum & donationem. Roderic. *de annu. reudit. lib. 2. quæst. 1. num. 6.* vbi ostendit differentiam inter census perpetuum redimibilem, & non redimibilem. Cost. *in tract. de rata quæst. 72. num. 1. †* Idque locum habet siue census fuerit constitutus ante legatum, siue post. Menoch. *consil. 997. in dicto consil. 1007. Cens. de censib. quæst. 79. num. 24.*

Verum, quia in dicto legato aderat clausula illa *cum suis iuribus & pertinentiis*; ideo videbatur contrarium dicendum. Sed quod testator per illam clausulam, *cum iuribus & pertinentiis*, videatur intellexisse de iuribus actiuis, & non passiuis domus legatæ videtur probari ex eo, quod clausula illa videtur apposita ad augmentum; & ad fauorem legatarij; non autem ad diminutionem legati: Cens. *dict. quæst. 79. num. 38. & 39.* post Menoch. *consil. 416. num. 16.* Rota *decis. 560. numer. 10. part. 1. recentior.* Ioannes Baptista Costa. *consil. 9. numer. 16. & 17.* ad quod seipsum refert *tract. de rata, quæstion. 72. in princip.* † Et quamuis Rota apud Marin. *loc. citat. num. 9.* (quæ decisio est repetita apud Cens. *decis. 517. & in recent. decis. 143. part. 5.*) teneat clausulam illam habere vim transferendi omnia iura tam actiua, quàm passiuia ad legatarium; nisi colligatur contraria voluntas testatoris ex coniecturis: veluti si per iniunctum onus solutionis census legatum remaneret inutile apud legatarium, aut similibus ex causis, de quibus eadem Rota apud Cens. *decis. 517.* tamen causâ iterum repositâ, Rota noluit punctum istum decidere, vt notatur in *dict. decis. 517. num. 1.* Et apud Cens. *dict. quæst. 79.* inseruntur Doctissimi viri Pauli Ranuccij allegationes, quibus conabatur Rotam inducere vt recederet à decisio; Ideo non videtur quod Rotæ decisio ad hoc allegari possit, donec appareat in qua opinione Rota permanserit.

Et vltèrius pro confirmatione meæ sententiæ in fauorem legatariæ considerabam, magnam esse differentiam inter census creatos iuxta formam Bullæ Pij V. & census qui frequentantur in hac Ciuitate, & Patria

- Patria vbi dicta Bulla non fuit vsu recepta; de qua differentia aliquid etiam dictum fuit supra cap. 39. n. 14.
6. † siquidem iuxta formam Bullæ necesse est vt census imponatur super certo fundo suis limitibus designato, qui ferat fructus sufficientes pro solutione annuæ præstationis, & illi correspondentes; adeo vt si fructus excederent excessu considerabili valorem annuæ præstationis, contractus redderetur nullus tanquam contra formam Bullæ factus, teste Censio dict. tract.
 7. quæst. 38. num. 7. † Census autem seu redditus annui qui in hac Ciuitate & Patria frequenter celebrantur, non imponuntur solum super certo prædio, sed super certo prædio iuncta hypotheca generali omnium bonorum, cum clausula, ita quod specialitas generalitati non deroget, & è contra: per quam clausulam fit, vt creditor possit exercere arbitrio suo hypothecas pro consequenda annui redditus solutione indistinctè, tam super prædio designato, quàm super aliis bonis sui debitoris. Pareus decis. 36. num. 2. & 3. lib. 1. in correct. Ofasc. decis. 159. colum. vltim. Marius Muta, decis. Sicil. 24. num. 25. & 26. Pacific. de Saluan. interd. inspect. 3. cap. 3. num. 88. & hanc differentiam bene explicat D. Ludou. Bell. consil. 72. num. 6. & sequentibus. quamuis in puncto principali illius consilij eius opinioni non adhæream: vt aliàs monui.
- Census seu redditus annui primi generis eius sunt naturæ, vt prædium ipsum solum super quo census impositus est afficiant, non autem cætera debitoris bona: quia licet debitor secundum tenorem Bullæ omnia bona sua hypothecæ generali supponere possit; illa tamen generalis hypotheca inseruit duntaxat pro
8. facilitate executionis: † adeo vt si res illa certa & limitata quæ assignatur pro fundo census periret, census quoque remaneret extinctus: vt tradit inter cæteros Cens. in dict. tract. de censib. quæst. 41. num. 10.
 9. Vnde sequitur resolutio quæstionis & difficultatis propositæ: quia decisio illa Rotæ superius allegata quæ faciebat vt hæreret animus, nec non Bursatus, Felicianus, Pedrocha, & alij per Rotam allegati dict. decis. 143. part. 5. recent. loquuntur de censu annuo creato iuxta formam Bullæ, qui rem ipsam afficit, & magis ipsi inhæret: ideo facilius dicitur esse de iuribus & pertinentiis passiuus ipsius prædij censu onerari; cum illam rem duntaxat & non totum patrimonium afficere possit: at verò census secundi generis, qualis erat ille de quo agebatur, non afficit rem aliquam limitatè, sed totum patrimonium debitoris; & dicitur quoddam ius abstractum & independens ab
 10. illa re, & de per se: † & dicitur esse de pertinentiis personæ, non autem de pertinentiis bonorum: vt dicit Aretin. consil. 10. vbi consuluit quòd si bona alicuius fuerint confiscata in Ciuitate Ferrariensi, census qui tali sic condemnato debebatur in Ciuitate Bononiensi, ratione rei sitæ in eodem territorio, comprehenditur nihilominus in confiscatione tanquam non dependens à re censui supposita; sed vt dependens
 11. à persona, & sequela ipsius. † Quod etiam agnouit Rota Romana in magna illa controuersia mota inter Ciuitatem Auenionensem, Carpentoratensem, & Caualicensem, in qua fuit decisum die 6. Maij 1583. quòd redditus annui nihil aliud constituunt, præter ius quoddam siue actionem, quæ propriè immobilium aut mobilium appellatione non continetur; sed tertiam speciem constituunt, & sequuntur personam, & sunt ius quoddam abstractum & separatum per se, & dicuntur esse de loco in quo est destinata solutio, & vbi est persona creditoris: & ideo in illo loco contribuere debent pro collectis, & oneribus publicis: quæ decisio inseritur pud Censium, decis. 3. vbi n. 13. & sequentibus. maximè num. 16. & apud Gratian.

discept. forens. 29. num. 28. & 29. qui est apud Cens. num. 18. vbi fit differentia inter census impositos super certis fundis, & eos qui super omnibus bonis sunt impositi. Ratio redditur apud Gratian. num. 32. & apud Censium, num. 21. Quia realitas oritur quidem ex hypotheca super bonis, attamen principalis obligatio quæ est attendenda, est personalis; pro qua assecutanda fuit facta hypotheca: vt bene etiam ostendit Chassan. in consuetud. Burgund. rubric. des confiscations §. 1. in verb. & appartient. num. 18. versio. sed iuxta. & num. 23.

Eandem differentiam agnouit Gaspar. Roderic. in tract. de annu. redit. lib. 2. quæst. 1. num. 6. ante finem versio. limita si redditus. vbi dicit, quòd si redditus sit limitatè constitutus super re legata, ita quòd sola res legata sit redditui obnoxia; tunc onus redditus ad legatarium, non ad hæredem pertinet: talis autem est census iuxta formam Bullæ creatus, in quo sola res censui obnoxia est, non autem debitor, aut cætera eius bona tenentur eo modo, quo supra ostensum est: cessante autem designatione & hypothecæ limitatione ad certum prædium, onus soluendi censum ad hæredem spectare testatur. Nec est quòd dicatur hic tractari de redditu super re certa constituto, licet adiecta fuerit hypotheca generalis omnium bonorum.

Quia responderetur eandem esse rationem in istis redditibus, in quibus alicuius etiam prædij specialis facta est mentio; ac in aliis qui super omnibus bonis generaliter impositi sunt: nihil enim nisi ipsa actio pro consequendis fructibus in his considerari potest, nec ex certi prædij mentione sic facta, redditus fuit restrictus ad prædium designatum, nec illi ita adhæret, quin etiam perempto illo prædio redditus ipse subsistat: & hæc fuit mens Rotæ apud Cens. dict. decis. 3. num. 17. vbi sic loquitur: census constitutos super tenentis ac aliis bonis mobilibus ac immobilibus, &c. Quod maximè locum habet stante illa clausula, ita quòd specialitas generalitati non deroget, nec è contra: vt optimè explicat D. Ludou. Bell. consil. 72. num. 12.

Ex quibus facilis resultat responsio ad dictam Rotæ decisionem 143. part. 5. recent. & alibi insertam, & ad DD. in ea allegatos maximè Bursat. Achill. Pedroc. & alios. Nam omnia responsione datà apud Cens. dict. quæst. 79. num. 59. facientem differentiam inter censum pecuniarium redimibilem, & reseruatium rei inhærentem, qui perpetua seruitus dicitur, quæ optimè casui nostro adaptari potest: Responderetur Rotam & DD. ab ea allegatos, loqui de censu creato iuxta formam Bullæ, quod vnum duntaxat afficit prædium, illique specialiter annectitur: nos autem agere de censu, super certo quidem prædio; sed etiam generaliter super omnibus bonis imposito, quod non inhæret rei, sed stat per se: vt mox fusiùs ostensum est.


Præterea consil. illud 2. Achillis Pedrochæ fundatur super pluribus aliis circumstantiis quæ in casu nostro non concurrunt: nam vt dicit Rota dict. decis. 522. apud Cens. circumstantiæ & coniecturæ voluntatis in hac quæstione multum attendendæ sunt. In casu ergo illius consilij aderat attestatio Notarij declarantis talem fuisse mentem & intentionem testatoris: vt patet ex traditis per Eundem num. 88. aderan etiam depositiones testium pro declaranda testatoris voluntate: ibidem, num. 103. & sequentibus. Præterea in casu illo, testator non simpliciter legauerat domum cum suis ingressibus & egressibus, iuribus & pertinentiis, prout in casu proposito; sed præterea aderan verba illa, reliquit domum magnam modo & forma prout illam de presenti tenet & possidet, ac cum suis omnibus & singulis eius membris, & pertinentiis adia

adiacentibus, introitibus, exitibus, & commoditatibus quibuscumque. Vnde Author ponderat illa verba modo, & forma, similiter ponderat verbum *provi*, quod est inductum ad restrictionem legati: & sic non potest operari augmentum.

Præterea dictum consilium nititur pluribus fundamentis erroneis, quæ optimè reprobantur per Felician. *de censibus. tom. 2. lib. 1. cap. 1. numer. 6. versic. quamvis autem Achilles* quæ hîc non sunt repretenda.

- Dum autem Felician. *num. 6. allegat Pedroch. & hic numer. 42. & 159. refert Bursat. consil. 5. num. 6. & 7. volum. 1.* examinandum est illud Bursati consilium. Is sane Author Respondit in casu, qui quæstioni propositæ adaptari nullo modo potest: ibi enim agebatur de onere reali debito ratione certæ rei. † Nam in illo casu Cardinalis Mantuæ legauerat totam Curiam Pauleti, Principi Cæsari Gonzagæ, in qua Curia aderant 200. iugera terræ, quas testator Cardinalis acquisierat à Domino de Oliuis; cum pacto quodd eius hæredes tenerentur terras illas francare, & acquirere pretio 4000. scutorum: & sic agebatur non de aliquo censu redimibili, sed de onere ipsius rei: & cum ageretur de legato Curie pauleti quod est nomen vniuersale, & adesset clausula illa *cum iuribus & pertinentiis*, dicit Bursat. in illo rei vniuersalis legato onera & honores contineri, in quibus etiam terminis loquitur Bald. ab eodem
16. allegatus *consil. 245. numer. 1. volum. 3.* † Vbi loquitur de villa vel Castro quod est nomen rei vniuersalis: & sic etiam loquitur Innocent. per eum citatus *in cap. cum ad sedem. numer. 1. de restit. spoliat. & in cap. ex literis. numer. 3. de iure patronat.* Vbi quærit an venditâ vel donatâ villâ cum iuribus suis comprehendatur ius patronatus. Idem colligitur ex Beero *ibidem allegato quæst. 56. numer. 9. versic. si verò testator. & Bald. in l. prædia. numer. 1. Cod. de fideicom. & in l. cum pater. 79. §. cum existimaret. ff. de legat. 1.* qui tamen locus malè allegatur à Bursato; debebat enim allegare Bald. *in eadem quid. m. l. cum pater. sed in §. mensa negotium.* † vbi loquitur de legato mensæ seu apothecæ, quod est vniuersale, & continet commoda & incommoda. Omnes igitur dicti DD. loquuntur de legatis vniuersalibus veluti dotis, peculij, Castri & similibus quæ apta sunt comprehendere iura tam actiua, quàm passiva.

Et non est opus respondere ad DD. allegatos. apud Cens. *dict. quæst. 79. numer. 58.* quia vltra responsiones ab ipso datas *num. 59. & sequentibus.* vnico verbo satisfit: nempe nos agere de censibus diuersis, videlicet super omnibus bonis impositis; quamvis etiam super re certa: attentâ clausulâ. *Ita quod generalitas specialitati non deroget, nec è contra;* vt supra fusiùs demonstratum est.



CAPVT LXII.

Vtrum minor 25. annorum possit eligi ad Consulatam, vel aliam publicam administrationem: Et vtrum sufficiat attingisse annum 25. an verò requiratur quod sit completus. Forensis vtrum possit eligi ad Consulatam. Quid si se habitatorem declarare velit. Quibus competat ius agendi ad nullitatem electionis

Consularis. Si Consul electus mortuus fuerit, aut inhabilis, seu incapax declaratus; an sit procedendum ad nouam electionem, an verò is qui proximè plura habebat vota assumendus sit.

S V M M A R I V M.

1. Minor 25. annis non potest eligi ad Consulatam.
2. Si quis electus fuerit ad Consulatam ante 25. annum completum, non potest exercere, nec sufficit illum attingisse.
3. In aliis autem muneribus quibus non est annexa administratio, sufficit attingisse annum 25.
4. Deficientibus aliis capacibus, minor ad Consulatam eligi potest.
5. Consuetudine potest induci vt minor Consulatam exerceat.
6. Qui liberos habet, potest esse Consul, quamvis minor: & de 25. annis tot tolluntur, quot adsunt liberi.
7. Forenses alicuius loci non possunt in eo publica munera obire.
8. In materia electionum consularium, consuetudo multum potest.
9. Qui forensium congregationibus intersunt, non sunt ad loci congregationes vocandi, nec admittendi.
10. Incolatus renunciatio tam factò, quàm verbis inducitur.
11. Qui vocem habet in electionibus forensium, non potest habere vocem actiuam vel passiuam in electionibus Consulum.
12. Declaratio forensis quod vult subire onera habitatorum non releuat, si post electionem facta fuerit.
13. Quod sit immediatè ante electionem, non suffragatur vti in fraudem factum.
14. Emancipatio quamcumque generalis non suffragatur, si constet illam ad vnum duntaxat actum fuisse factam.
15. Declaratio forensis post maturatum tempus electionis Consulum dicentis se velle subire onera habitatorum, illi non prodest.
16. Ius agendi ad nullitatem electionis competit cuilibet de populo.
17. Mortuo Consule, ad nouam electionem procedendum est.
18. Valet argumentum ab electione in spiritualibus ad munera temporalia Ciuitatum.
19. Si maior pars Capituli minus idoneum eligat sustinetur electio in persona illius qui proximè accessit in votis.
20. Hoc est verum, quando eligentes habent ius eligendi tanquam singuli; secùs est si collegialiter potestas eligendi deuoluitur ad totum Collegium, cui minor pars errando preiudicare non potuit.
21. Vota minoris partis conualescunt aliquando ex votis & suffragiis aliorum, & quomodo id procedat.
22. Explicatur text. in cap. congregato. 53. de elect. vt procedat duntaxat, quando electio facta fuit collegialiter.
23. Minoris partis electio preualet quando scienter electus fuit indignus.
24. Eligentes indignum præsumuntur id fecisse scienter, quia tenentur se informare de qualitate electorum.

- 25 *Non debet fieri quoad hoc differentia inter eligentes scienter indignum, & incapacem, seu ineligibilem.*
- 26 *Verius est electo inhabili. procedendum esse per eodem loci Consiliarios ad nouam electionem; nec admittendum cum qui in uotorum numero proximus fuit.*
- 27 *Ius eligendi Magistratus municipales spectat ad consilium iure proprio.*
- 28 *Quando quis eligit iure proprio, factâ nulliter electione variare potest.*
- 29 *Qui ius habet eligendi & providendi, si nulliter elegerit, iterum eligit.*
- 30 *Quando impedimentum electi est duntaxat temporale, semel factâ electione, iterum ad illam rediri potest.*

Circa quamdam electionem Consularem, diuersæ quæstiones propositæ fuerunt. Prima, utrùm electio minoris 25. annorum ad Consulatum esset nulla. Secunda, utrùm ex alio capite dici posset de nullitate ipsius, nempe quia facta fuerat de persona illius, qui se forensis declarauerat. Tertia, posito quod electio esset nulla, utrùm deueniendum esset ad nouam electionem; an verò ad Consulatum admitti deberet ille, qui ad maiorem numerum uotorum proximè accesserat.

- 1. In primo capite fuit conclusum, electionem ad Consulatum de persona illius, qui 25. annis minor erat, inuvalidam esse: text. est expressus in *l. ad Rempublicam. 8 ff. de mun. & honorib.* † Ampliatur ut procedat, quamuis minor vigesimum quintum suæ ætatis annum attigisset: non enim Consul creati potest, aut si electus fuerit, non potest habere uocem in congregatione Vniuersitatis: quia agitur de munere habente administrationem: interest autem & Reipublicæ, ut minor non exerceat; quia posset in integrum restitui: & minoris, ut non supponatur periculo læsionis in administrando. † Quamuis uerum sit in illis honoribus, quibus non est annexa administratio sufficere quòd annus 25. sit inceptus: text. est in *d. l. ad Rempublicam. §. annus autem.* Limitatur duobus modis apud Lozæum, *de iur. uniuers. part. 1. cap. 3. numer. 29.* † Primò, quando adest defectus maiorum, qui illud munus exerceant. † Secundò, quando adest longa consuetudo in contrarium. † Addi potest & rarius casus notabilis, ut non procedat in eo qui liberos habet, cui demuntur tot anni à vigesimo quinto, quot habet liberos, ad hoc ut ante illam ætatem Consulatum vel Decurionatum exercere possit. *Pascal. de patr. potest. part. 4. numer. 5.* per text. in *l. 2. & ibi Gloss. in verb. ad honores. ff. de minorib.* & in text. *ibi*, ut *singuli anni per singulos liberos remittantur.* † In secundo capite hæc constituenda est regula: forenses in aliquo loco bona possidentes ad publica illius loci munera, ex iuris communis dispositione admitti non posse. *l. filios. Cod. de municip. & origin. & ibi Luc de Penna, lib. 10. l. 1. & 3. Cod. de incol. ibi & ubi quis domicilium habere uideatur lib. 10. l. Labeo. & ibi Gloss. in verb. ad munera. ff. ad municip. Bart. in l. assumptio. §. filius. numer. 2. versic. tertio casu. ff. eod. tit. Alberic. in d. l. Labeo. §. filius. numer. 5.* Addatur. *Gloss. in l. plane. & l. nulli. ff. quod cuiusque uniuersitatis nomin.* Angel. Aretin. in §. præterea etiam in versic. & tene menti quod semper & c. si Institut. de except. Bertrand. *consil. 177. numer. 3. lib. 5.* ubi propterea infert Illustriss. & Excellentiss. Dominum de Anceduna, Dominum Codolerti, & Caderossæ posse animalia sua immittere in territorium Auracense: quia in illo loco Consulatus munus exercuerat, & sic habitus fuerat pro habitatore, in consilio Ciuitatis

receptus, & pro tali agnitus. † Et ultra dispositio- nem iuris, adest quoque consuetudo uniuersalis huius patriæ, quæ in hac materia multum est attendenda. *Barz. decis. 58. num. 7.*

Eadem ratione qui forisium congregationibus interesse solent, non sunt ad congregationes Vniuersitatis tanquam incolæ uocandi. Qui enim facit actus ad eos, qui incolæ non sunt, spectantes; incolatui renuntiare uidetur. *Mastril de Magistr. lib. 2. c. 7. n. 81.* † Sufficit enim ad incolatus renunciationem animum suum factò, vel uerbis declarare. *Menoch. de arbitrar. cas. 86. n. 5.* † Ergo qui habuit uocem in electione Scindici forensium, non potest habere uocem actiuam vel passiuam in electione Consulatus: quia unâ uia electâ, alteri renuntiare censetur. *Mastrill. d. lib. 2. c. 7. num. 81.*

Quod procedit etiam si talis forensis declararet se in posterum uelle esse habitatore, & subire eadem onera quæ subeunt habitatores: quia si declaratio fieret post electionem, non suffragaretur ut facta intemptiue: cumabilitas requiratur tempore electionis: *cap. eam te. de rescript. c. si pro tempore. eod. tit. in 6. Caualer. decis. 231. n. 1. Gratian. discept. forens. 508. n. 10.*

Si uerò immediatè ante electionem; perinde est: quia præsumitur facta in fraudem; & ad illum actum duntaxat: ut in terminis translationis domicilij fraudulentè factæ tradit *Antibol. in tract. de munerib. & honorib. p. r. 1. n. 31.* † Nam dispositio quantūuis generalis facta ad certum actum, non ualet uti fraudulenta: ueluti de emancipatione ad unū actum facta, quantumuis generaliter facta sit; docet *Honded. consil. 32. n. 48. & n. 113. lib. 1.* † Maximè si talis declaratio facta esset post maturatum tempus electionis, vel eodem tempore; tunc enim fraudulenta censeretur. *Honded. d. consil. 32. n. 117. & 128. volum. 2.*

Ius autem agendi ad nullitatem huiusmodi electionis competit cuilibet de populo: *l. si reus delatus. §. fin. & ibi Gloss. ff. de munerib. & honorib. Abbas in cap. dilecti. colum. 2. de except. Gloss. in c. ut circa. in verb. aliqui. de elect. in 6. Federic. de Senis, consil. 227.*

Quod attinet ad tertiã difficultatem; Dicebam aliàs primò, quòd si Consul electus mortuus fuerit, sine dubio procedendū est ad nouam electionem: quia iam consilium functū est suo officio: *argum. l. Index posteaquam. ff. de re iudic. probatur per text. in c. si electio, de elect. in 6.* † qui text. licet loquatur de electione in spiritalibus, ex illo tamen argumentū rectè desumi potest ad officia sæcularia; ubi non adest diuersitas rationis. *Apostil. in verb. iuri, in c. si electio, de elect. Ioseph. Ramon. cons. 6. n. 47. Cabed. dec. Lusitan. 91. n. 4. par. 2. Fontan. de pact. nupt. claus. 4. glos. 10. par. 1. n. 42. & 49.*


Secundò Dicebam in hoc maximè attendendam esse consuetudinem, cuius in similibus electionibus præcipua ratio haberi debet: ex *Barz. decis. 58. n. 7.*

Tertio loco in dubio principali uidebatur non esse procedendum ad nouam electionem; sed eum qui plura uota post indebitè electum habebat esse in Consulatu præficiendum: per text. in *cap. congregato. 53.* cum *ibi* notat per DD. *extra de elect.* ubi deciditur quòd si maior pars Capituli indignum eligat, sustinetur electio facta per minorem partem in personam dignam in eodem scrutinio proximè minora uota habentem. Idem in terminis plurium Patronorum decisum testatur *Caualer. decis. 231. n. 2.*

Quod tamen intelligit *Lambertin. de iure patron. part. 3. artic. 5. quæst. 4. num. 1. versic. quod tu intellige.* Ut locum non habeat in præsentia casu in quo præsentatio fit à Patronis collegialiter, non uti singulis: nam dum fit electio seu nominatio per uiam Collegij, tunc potestas deuoluitur ad ipsū Collegiū, & maiorè ipsius partè; nec minor attenditur: quod & uoluit

- Rota, *decif.* 568. numer. 2. part. 2. recent. & ita videntur intelligendi DD. & iura superius allegata, sicuti & tradita per Anchar. in eodem cap. num. 2. & 3.
21. † Vbi dicit quòd ex eodem scrutinio valet electio celebrata per minorem partem: quia vota minoris partis conualescunt ex votis & suffragiis aliorum eligentium; quantumvis ante electionem peremptis: & quòd fictione iuris facultas eligendi competens maiori parti deuoluitur ad minorem. Idemque voluit Hostiens. in eod. cap. congregato. de elect.
22. Verùm iste intellectus manifestè contrarius est dispositioni dicti. cap. congregato. 53. vbi apertis verbis fit mentio de electione facta Capitulo congregato, & sic collegialiter: ideo quamuis in Curiis Neapolitanis fuisset aliàs iudicatum iuxta præfatum intellectum, quòd licebat Vniuersitati iterum se congregare; tamen in Senatu sententia illa fuit reuocata, & is qui proximè plura habuerat vota, fuit in officio constitutus: vt plenè Francisc. Merlin. *controuers. forens. part. 1. cap. 50. per totum maximè num. 26.* & ego hanc Merlini & Senatus Neapolitani sententiam aliàs sequebar in causa cuiusdam electionis Consulium; vel ex eo maximè, quia scienter incapax electus fuerat, nempe minor 25. annorum, qui habebat impedimentum iuris: & ad hoc allegabam DD. volentes
23. † minoris partis electionem præualere, quando maior pars scienter elegit indignum, seu inhabilem. Abbas, in cap. dudum. n. 10. de elect. & post ipsum Menoch. lib. 6. præsumpt. 85. n. 6.
24. Scientia autem probatur ex iuris præsumptione: quia eligentes tenentur se informare de qualitate & capacitate electi. Bart. in l. si patronus. numer. 1. ff. de confirmat. tutor. Decius, in cap. cum in cunctis. §. Clerici. versic. sed quantum ad istum. de election. in 6. Rip. resp. 32. seu 4. de election. numer. 1. 2. & 3. per text. in cap. innotuit. eodem titul. Bertachin. de Episcop. 3. part. 1. partis princip. num. 42. & 43. Caualer. d. decis. 231.
25. Et prædicta locum habent siue indignus scienter electus fuerit, siue ineligibilis: vt probat Bald. consil. 318. num. 2. versic. quod autem iste Rector. per text. in l. 2. §. si mater. versic. non solum. Ibi indignos vel minus habiles. ff. ad Senatuscons. Tertull. & ita tenet Mirand. in manual. Pralat. regular. tom. 2. quest. 28. artic. 33. conclus. 2. in 1. & 4. casu post Innocent. in cap. gratum. de postulat. Pralat. Cum duplex sit indignitas quarum vna facti, alia iuris nuncupatur. Caldas, de iur. emphyt. lib. 3. cap. 1. num. 64.
26. Tandem re maturius consideratâ existimo, quòd si electio Consulium non subsistat, & nulla sit; consilium Ciuitatis procedere potest & debet ad nouam electionem, & ad nouum scrutinium; nec admittendus est qui proximè maiorem vocum numerum habet.
27. † Primò, quia ius eligendi Magistratus municipales spectat ad consilium Decurionum iure proprio. Losæus de iur. Vniuers. par. 1. c. 3. n. 53. & probatur ex traditis per Bart. in l. 2. §. data. ff. de opt. legat. n. 7. versic. hic est aduertendum. † Si spectat iure proprio: ergo factâ nulliter electione, licita est variatio. Bart. ibid. n. 5. versic. & tunc, aut habent electionem iure proprio.
28. Secundò, quia non solum electio, sed & prouisio & deputatio Consulium Decurionibus competit. Quando autem quis ius habet eligendi, & prouidendi: non videtur facta prouisio per electionem malè factam: & per consequens ad aliam procedendum est, donec facta fuerit prouisio. Bart. in d. §. data. num. 5. versic. secus si dixit prouidendi.
- Atque ita secundum Bartoli sententiam determinat Lozæus, d. par. 1. c. 3. n. 104. Roman. consil. 492. n. 2.
30. Quartò id potissimum procedit in casu proposito,

in quo impedimentum electi non erat perpetuum, sed temporale; nempe ratione minoris ætatis; sicut ex eo quòd electus erat forensis: cum & maior fieri speraretur, & habitator, & incola deuenire posset & vellet: hoc autem casu si impedimentum sit temporale, deueniendum est ad nouam electionem: c. super eo. de elect. Roman. d. consil. 492. n. 3. & pro hac sententia faciunt tradita per Bald. consil. 318. n. 5. volum. 3. & sic credo iterandam esse electionem.



CAPVT LXIII.

Sola præsentia patris consentientis alienationi bonorum aduentitiorum filij, non præiudicat illi quoad vsumfructum legalem; nisi tamen filia præsentem patre, marito in dotem huiusmodi bona constitueret: hoc enim casu pater suo vsumfructui renunciare censeretur. Vnde filia dotem aduentitiam sine interuentu patris alienare potest; sicut & alia bona in quibus pater non habet vsumfructum: localia verò filiafamilias alienare potest absque paterno consensu. Quid de lucris nuptialibus. Donatio causâ mortis, vel inter viuos, bonorum; in quibus pater habet vsumfructum, eius requirit authoritatem: quâ deficiente, nulla est; tam quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum: Nec potest ad proprium commodum authoritatem, nec extra actum donationis, præstare: In Gallia tamen potest sibi ipsi author esse.

S V M M A R I V M.

- 1 Pater consentiens donationi factæ per filium in eius potestate existentem, sibi non præiudicat in vsumfructu legali, nisi illi expressè renunciet.
- 2 Fallit in dote: nam si pater consentiat bona aduentitia filie in dotem constitui; non potest amplius in illis pretendere fructus.
- 3 Pater non habet hodie vsumfructum nisi in bonis, in quibus iure antiquo proprietatem habebat.
- 4 Filiafamilias de dote aduentitia etiam absque consensu patris disponere potest; cum in ea pater non habeat vsumfructum.
- 5 Refellitur Gratian. cap. 781. in eo quòd vult patris consensum seu authoritatem requiri, etiam in bonis in quibus non habet vsumfructum.
- 6 Filiafamilias, in casibus in quibus patri non quaritur vsumfructus, sine authoritate patris in iudicio stare potest.
- 7 In huiusmodi bonis filius habet omnimodam potestatem, quoad actus extrajudiciales.
- 8 Filia de dote aduentitia disponit constante matrimonio.
- 9 Amplia, vt de ea etiam soluto matrimonio disponere possit.
- 10 Localia spectant ad filiamfamilias tam quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum; & ipsa de illis ad libitum absque interuentu patris disponere potest.

- 11 *Idem existimant aliqui DD. de lucris nuptialibus; quod tamen reuocatur in dubium: num. 12.*
- 13 *Filius familias cum autoritate patris donationem causa mortis facere potest, in casibus in quibus pater habet vsumfructum.*
- 14 *Idem dicendum est in donatione inter viuos eorundem bonorum.*
- 15 *Donatio per filium familias facta de bonis, in quibus pater habet vsumfructum, sine autoritate patris, nulla est; tam quoad proprietatem, quam quoad vsumfructum.*
- 16 *Contrarium tamen plurimi censuerunt esse verum, ut quoad proprietatem sit valida, non quoad vsumfructum.*
- 17 *Patris autoritas requiri potest, vel pro suo interesse, vel pro integratione persona filij.*
- 18 *Autoritas pro integratione requisita, non potest interponi ad proprium commodum, sicut nec alia qualibet qua prestatur ratione officij.*
- 19 *Ista distinctio non potest locum habere in casibus in quibus pater non habet vsumfructum: quia in his indistinctè filius sine patre contrahere potest.*
- 20 *Autoritas patris requiritur ad integrandam personam filij in casibus, in quibus patri competit vsumfructus.*
- 21 *Contractus facti sine autoritate paterna in casibus in quibus pater habet vsumfructum adeo nulli sunt, ut nec iuramento roborentur.*
- 22 *Donatio inter viuos iurata per filium familias facta non subsistit in casibus in quibus pater habet vsumfructum legalem.*
- 23 *Comprobatur patrem sibi authorem esse non posse: per text. in l. fin. §. filiis autem. Cod. de bon. quæ liber.*
- 24 *Consensus patris seu autoritas illius in casibus in quibus habet vsumfructum legalem, debet interuenire in ipso actu donationis, seu alienationis: nec sufficit quod interueniat ante, & post actum.*
- 25 *In Gallia, donatio filij familias facta ipsimet patri ad sui commodum autoritatem prestanti, valida est; & talis per arresta Supremarum Curiarum declarata.*

1. **V**era est regula solum consensum patris non ipsum excludere ab vsumfructu legali, quem habet in bonis filiorum, dum contractui alienationis bonorum aduentitiorum ad illos spectantium interfuit: sed ad hoc requiri expressam patris renunciationem, & declarationem, quod non intendebat aliquid sibi referuare ratione dicti vsumfructus: quam tradit Angel. à Gambilionib. in tract. de testam. in fine principij, num. 43. Anchar. consil. 106. cum pluribus aliis quos allegat Gratian. discept. forens. cap. 327. per totum, & cap. 519. num. 7. & sequentib. Rot. decis. 620. num. 4. & 5. part. 3. recent. & decis. 596. part. 2. repetita apud Pacific. de saluan. interd. decis. 91.

2. Quæ tamen regula specialiter fallit in dote, in qua pater sibi per simplicem consensum præiudicat in vsumfructu: per text. in l. Caius. 46. ff. solut. matrim. Bertrand. consil. 177. num. 4. & 5. volum. 4. Censetur enim patiendi quod filia bona sua aduentitia in dotem marito constitueret, voluisse vt fructus dictorum bonorum ad maritum pro sustinendis oneribus matrimonij pertinerent. l. si is qui. §. 1. ff. de inr. dot. DD. in Authen. quod locum. Cod. de collat. & maxime Deci. in 4. notabili, num. 6. Roman. num. 5. Curt. Iun. num. 46. Pascal. de patr. potest. part. 1. cap. 1. num. 39. & est text. in dicta. l. Caius. † Ratio siquidem ob quam pa-

tri in aduentitiis lex vsumfructum dedit, est quia iure antiquo pater in illis habebat proprietatem: vnde hodie pater non habet vsumfructum in illis bonis, in quibus secundum ius antiquum proprietatem non habebat: atqui in dote aduentitia nullum ius antiquitus pater habebat ante leges Codicis; ergo nec hodie habebit vsumfructum: d. l. Caius. & ibi Barbof. num. 27. versic. vltimò amplia Socin. Sen. in l. 2. §. quod si in patris. num. 2. & ibidem Iaf. num. 19. ff. solut. matrim.

Vnde inferebam, donationem inter viuos factam 4. per filiam familias absque interuentu patris, validam esse de iure communi; cum ageretur de dote aduentitia, in qua pater vsumfructum non habebat; cum verum sit filium familias liberè disponere posse absque consensu paterno in illis bonis, in quibus pater nullum habet vsumfructum: quia in illis non est legitimus administrator. Gratian. decis. 76. num. 6. Rot. apud Ludouil. decis. 391. num. 2. Iul. Clar. qui de communi testatur in §. donatio. quest. 6. num. 2. Pascal. de patr. potest. part. 1. cap. 6. num. 107. Crauet. consil. 92. per tot. Rot. decis. 596. num. 2. versic. nec valet dicere. part. 2. recent. vbi dicta decis. Ludouil. 391. confirmatur: & in eadem causa adest decisio Rotæ eiusdem apud Caualer. decis. 442. num. 1. † Quidquid 5. in contrarium dixerit idem Gratian. discept. forens. cap. 781. num. 10. qui scripsit in eadem causa, in qua emanatur mox allegatæ decisiones: & vt dictum est, ipsemet dicta decis. 76. contrarium tenuit: Nec Menoch. ab eo allegatæ remedi. 15. recuper. poss. quidpiam facit in contrarium: † Nam ipsemet num. 287. 6. fatetur receptiorem esse apud Interpretes sententiam, filium familias in casibus in quibus patri non quæritur vsumfructus super bonis aduentitiis, sine autoritate patris in iudicio stare posse. Immo idem Menoch. num. 315. explicando text. in Authen. vt liceat matri & auia. in princip. quæ est nouell. 117. de diuersis capitulis, † fatetur filium familias in extraiudicialibus sine 7. autoritate patris omnimodam habere administrationem in casibus, in quibus patri non quæritur vsumfructus. † Et in specie casus nostri, quod filia familias 8. de dote aduentitia possit ad libitum disponere, tradit Barbof. in l. 2. §. quod si in patris. ff. solut. matrim. num. 18. † Vbi dicit hoc habere locum, siue solum sit 9. matrimonium, siue filia sit adhuc in matrimonio: vt ibi, in versic. secundus casus. per text. in dicta l. Caius. 46. ff. solut. matrimon.

Multoque magis valida est donatio iocalium per 10. filiam familias facta: cum in illis pater careat omnino vsumfructu; sunt enim ad solum mulierum vsum destinata, adeo vt illorum vsumfructus masculis competere propriè non dicatur: vt in pari casu arguit, & pro validitate donationis concludit Castrenf. consil. 381. num. 3. volum. 1. † Idem de donatione lucrorum nuptialium existimauit Zabarel. consil. 37. num. 2. versic. si verò erat. quod allegat Tusch. litera F. conclus. 362. num. 35. † Sed eius dicto repugnat textus, qui lucrorum nuptialium vsumfructum patri concedit, in l. 1. & sequent. Cod. de bonis qua liberis. Barbof. in dicto §. quod si in patris. numer. 18. versic. non obstat secundum.

In casibus verò in quibus patri quæritur vsumfructus aduentitiorum, donatio causa mortis fieri potest per filium familias cum autoritate patris. Grass. §. donatio causa mortis. quest. 3. num. 2. text. est in l. tam is. §. 1. ff. de donat. caus. mortis. si verò patris autoritas non interueniat, donatio nulla est: l. fin. §. filijs autem. Cod. de bonis qua liberis. & ibi DD. omnes. † 14. Quod procedit etiam in donatione inter viuos. Pascal. de patr. potest. part. 1. cap. 6. n. 107. & 108. † Adeo 15. vt secundum mentem Rotæ Romanæ talis donatio absque

absque patris auctoritate facta, sit in totum nulla, tam quoad proprietatem quàm quoad vsumfructum. *dicta*
 16. *decif. 596. part. 2. recent.* † Quamuis multi DD. donationem quoad proprietatem subsistere, non autem in præiudicium vsumfructus paterni existiment: de quibus Thesaur. Iun. *in addit. ad decif. 150. par. suis, litera C.* quam opinionem veriolem esse, sed non receptiorem existimat Ioan. Bapt. Cost. *de facti scient. centur. 2. distinct. 47. num. 6.*

17. Sed maius dubium est, vtrum pater filio sibi donanti auctoritatem ad propriam vtilitatem impertiri possit. In qua controuersia ego aliàs in Rota obrinui pro nullitate donationis in causa donationis D. Herculis Boniliensis: cuius quæstionis resolutio pendet ex sequenti distinctione. Aut enim patris auctoritas requiritur ad integrandam filij personam, aut verò tantum pro interesse patris: † si ad integrandam personam, non potest pater sibi ipsi auctoritatem præstare: quod generaliter obtinet, quoties quis ratione officij auctoritatem præstat. Vincent. de Franc. *decif. 14. n. 4.* & tenent DD. in *l. 1. ff. de auctor. tutor. & in l. 1. §. fuit*

18. *quisitum. ff. ad Trebell.* † Ista distinctio non cadit in bonis in quibus pater non habet vsumfructum: quia indistinctè filius familias illa potest alienare sine consensu patris: & si sit minor, dandus erit illi curator: vel si pater non sit suspectus, interueniet vti simplex filij administrator: vt explicat Gratian. *d. decif. 76. n. 10. & 21.*

Et sic non est opus hoc casu disputare, vtrum sibi ipsi auctoritatem præstare possit: cum vel non requiratur eius auctoritas, vel si propter filij minorem ætatem sit necessaria, certum sit illam non præstari, nisi ratione officij: & sic hoc etiam casu sibi ipsi auctoritatem præstare non posse: vt mox dictum est.

20. Solum igitur videndum est, vtrum in bonis in quibus pater vsumfructum habet, eius auctoritas requiratur ratione præiudicij quod ipse posset habere; an verò etiam pro habilitanda & integranda filij persona.

In hoc articulo concludendum est requiri ad integrandam personam: Ratio est quia ante dispositionem text. in *l. fin. §. filijs autem. Cod. de bonis que liberis*, iam certum erat quòd non solum filius, sed nec quilibet alius proprietarius poterat vsumfructuario præiudicare: igitur superflua fuisset illius legis dispositio, si solum interesse paternum respiceret; cui iam per generales constitutiones inter omnes proprietarios & vsumfructuarios editas prouisum erat: ergo ne lex sit superflua, dicendum est illam fuisse factam ad evitandum damnum filij, qui vita patris durante in bonis aduentitijs in quibus pater habet vsumfructum non magis contrahere potest, quàm prodigus. † Et propterea contractus per eum gesti sine auctoritate patris, nequidem iuramenti robore confirmantur: vt optimè exponit Castrenf. in *l. & heredi. §. filius familias. num. 6. ff. de pact. & in d. l. finali. §. filijs autem.* † Et idem decifum in donatione inter viuos iurata tradit Cæsar de Grass. *decif. 2. de donat. aliàs 150. num. 7. & sequentib.* Crauet. *consil. 39. num. 10.* Maltril. *decif. 186. num. 22.* vbi de contractu renunciationis. Castrenf. *consil. 459. num. 1. volum. 1.*

23. Ad cuius rei comprobationem perpendendus est text. in *dicto §. filijs autem*, qui loquitur de alienationibus inter viuos: Cum enim filius à patre debeat habere alimenta, quare (inquit textus) proficiet, &c. ex quibus verbis DD. supra citati concludunt consensum paternum non solum requiri ratione præiudicij paterni, sed etiam ad integrandam filij personam: fusè Gratian. *discept. forens. 781. per tot.* Thesaur. Iun. *lib. 2. quæst. forens. 37.* Vnde non potest ad sui vtilitatem præstare auctoritatem.

Et ex præmissis sequitur quòd consensus patris in alienatione bonorum, in quibus ipse habet vsumfructum, interuenire debet in ipso actu alienationis; non ante, vel post: quod generale est, quotiescumque consensus alicuius requiritur ad habilitandam personam: iuxta distinctionem quam affert Rota, *decif. 294. num. 21. part. 5. recent.* Pascal. *de patr. potest. part. 1. d. cap. 6. num. 111. & 112.* Bellon. *de his que sunt incontinenti num. 11.* vbi loquitur de casu in quo consensus requiritur tam ratione præiudicij, quàm pro habilitatione personæ.

25. Sed tamen in Gallia donatio causa mortis facta per filium familias ipsi patri auctoritatem præstanti, solet valida declarari non obstantibus prædictis rationibus & auctoritatibus: provt ita Tholosæ decifum fuisse testatur Author *des remarques du droit françois, in verb. fils de famille. num. 33.* Maynard. *lib. 5. cap. 3.* Ferrer. ad Guid. Pap. *decif. 223.* vbi allegat Cuiac. *consil. 43.* Addit. ad Pap. *lib. 7. tit. 1. arrest. 7.* Atque ita in Aquisi Senatu iudicatum testatur Franc. Steph. *decif. 56.*

CAPVT LXIV.

Possessio incerta quando & quibus in casibus sit manutenenda, siue ad effectum genericæ cuiusdam communionis, seu ad effectum perceptionis fructuum. Dominus directus qui non habet intentionem fundatam in toto territorio agens contra emphyteutas, tenetur designare certa & determinata prædia pro quibus sibi debetur canon: & hoc non probato non est manutenendus, nequidem ad effectum genericæ communionis.

S V M M A R I V M.

- 1 Non sufficit quòd dominus directus agens contra emphyteutas producat rotulum possessorum, sed etiam tenetur designare & probare certa prædia, ex quibus prætendit canonem deberi.
- 2 In emphyteusi designatio prædiorum necessaria est, ad evitandam incertitudinem.
- 3 Concessio emphyteutica nulla est, si in genere fiat, non designatis & specificatis cortis prædijs.
- 4 Testes deponentes super possessione de parte prædijs, & non dicentes de qua parte, non probant.
- 5 Dominus agens contra successores descriptorum in lista, tenetur probare qualitatem illam quòd sint successores.
- 6 Legitimatio personarum necessaria est, etiam in possessorio summarissimo.
- 7 Dum agitur de quasi possessione iuris realis, necesse est, vt testes deponant solutiones factas fuisse pro illo prædio de quo agitur.
- 8 Quando non agitur de aliquo toto integrali; ex possessione vnius partis, malè infertur ad possessionem residui.
- 9 Quando nulla est certitudo, nec in vniuersum nec in particulari, possessio non dicitur sufficienter probata ad effectum mentionis.
- 10 In iure personali sufficit probare quòd aliàs facta fuerit solutio; sed in iure reali probandum est pro quo prædio facta sit.
- 11 Probationes imperfecte non coniunguntur in possessorio aduersus eum, qui pro se habet iuris assistentiam.

12. *Vniuersalitas iurisdictionis nihil infert ad dominia particularia prædiorum territorij.*
13. *Dominus loci probans dominij directi possessionem quoad certos particulares, quoad illos duntaxat manutenendus est.*
14. *Probatio possessionis quoad unum, non nocet alteri.*
15. *Testes se referentes ad scripturam incertam non suffragantur.*
16. *Ex eo quòd quis petierit dilationem ad soluendum, non sequitur creditorem manutenendum esse, ad fines exigendi.*
17. *Quando quis non habet dominium vniuersale territorij, tenetur docere quanam sint singula corpora emphyteutica.*
18. *Etiã in summarissimo possessorio debet contra successorem probari quòd sit talis.*
19. *An & quomodò ius vniuersale manuteneri possit: & quando ad hunc effectum dicaur certum, vel incertum.*
20. *Manutentio quando detur ad effectum generalis cuiusdam communionis, & quando ad effectum perceptionis fructuum.*
21. *Ad effectum manutentionis non debet attendi certitudo legis, sed hominis; id est vt res talis sit vt ad eam ferri possit animus certus & deliberatus illius, qui vult apprehendere possessionem.*

Dominus Iurisdictionalis, cui plurima loci & territorij prædia canones annuos debebant, petebat se manuteneri in quasi possessione exigendi canones illos emphyteuticos iuxta quamdam listam antiquam, in qua nec prædia particularia, pro quibus canon deberi poterat; nec nomina personarum designabantur, à quibus prædia possideri prætendebatur.

Dixi non esse locum petite manutentioni: quia probatio non erat certa, sed prorsus dubia & æquiuoca: cum enim ageretur de præstatione annua facienda ratione prædiorum particularium, & non ex iure vniuersali in certis & limitatis bonis competenti. † Necessè erat in rotulo seu lista producta, aut saltem in dispositionibus testiũ specificare & designare certa prædia; ex quibus & pro quibus canon emphyteuticus deberetur: neque sola personarum sufficiebat expressio, cum non de iure personali, sed de reali tractaretur. *Surd. consil. 135. num. 64.*

2. Et in materia emphyteutis, prædiorum designatio necessaria est ad euitandam incertitudinem. *Marsil. in rubric. de probat. num. 412. vol. 7. Repetentium.* † Vbi dicit non valere hanc concessionem ratione incertitudinis: *Concedo tibi omnia quæ habes & tenes de bonis meis.* *Specul. in tit. de locat. §. nunc aliqua.* seu in *tit. de emphyt. quæst. 59. num. 74.* vbi ponitur casus de quodam Episcopo qui concesserat emphyteutæ omnia quæ possidebat ab Ecclesia, in tali Castro vel villa: postea cum ageret contra emphyteutam, iste petebat se absolui ob incertitudinem; quia Ecclesia non probauerat certa & determinata prædia: & concludit pro emphyteuta, quia probatio Ecclesiæ erat incerta & obscura; poterat enim intelligi de modicis, vel de minimis. Item quia Ecclesia debebat singula specialiter declarare; & ideo, inquit, quia hoc non fecit, succumbere debet. Item subdit quòd Ecclesia tenebatur demonstrare fines rei emphyteuticæ.

4. Et in indiuiduo casus propositi, loquendo de testibus deponentibus de possessione, tradit *Mascard. de probat. conclus. 1207.* testibus possessionem probari *num. 7.* *Cephal. consil. 250. num. 47. volum. 2.* qui dicunt possessionem non probari propter incertitudi-

nem, quando testes non deponunt de toto; sed tantum de parte, & non designant quæ sit illa pars. † 5. Quia possessio debet probari certa & determinata. *l. 3. §. incertam. ff. de acquir. possess.* *Alexand. consil. 110. num. 3. volum. 1. versic. non obstat dictum.* vbi quòd non sufficit probare illos de Canali possedisse, sed debent singulariter designari personæ. Quia fieri poterat quòd illi qui erant in lite non essent eorum successores, debebant igitur testes examinati ad probandam intentionem Domini iurisdictionalis, singulares prædiorum possessores, & ipsa quoque prædia particulariter designare; & quinam essent successores illorum qui in rotulo seu lista nominati erant. † *Siquidem etiam in iudicio possessorij summarissimi personarum legitimatio necessaria est, & de eius defectu in qualibet iudicij parte opponi potest.* *Post. in tract. de manutent. obseruat. 87. num. 4.* Et in specie quando quis conuenitur ad soluendam pensionem tanquam successor alterius; quòd illa qualitas successoris sit probanda, nec non possessio ipsius, etiam in hoc iudicio summarissimo, tradit idem *Postius, obseruat. 56. numer. 3.* post *Lotter. de re benef. libr. 1. quæst. 39. num. 64.*

Eandemque incertitudinis exceptionem admittit 7. aliàs Rota, dum de probanda possessione ageretur apud *Mantic. decis. 192. num. 2.* vbi agitur de teste deponente aliquam partem fuisse possessam: quia hoc poterat etiam de minima intelligi: dictaque decisio fuit confirmata *ibidem, decis. 199.* hoc addito, quòd testes tenentur reddere rationem suæ scientiæ; & prætereà cum agatur de quasi possessione iuris realis, necesse est quòd dicant solutiones fuisse factas ex causa de qua agitur. Idem ostendit *Surd. consil. 151. n. 46.* & *sequentib.* quia dominus directus agens debet probare in specie quanam sint illa prædia, pro quibus agit: quia possent esse alia quàm possessa à reis conuentis: & dubia probatio interpretanda est contra producentem: & quia talis probatio reddit animum Iudicis dubium, ita vt certam absolutamque sententiam ferre nõ possit, ne veritas offendatur: vt *ibi* latius per eum. † Et 8. sane quando non agitur de vno eodemque corpore integrali; sed de pluribus diuersis & separatis prædiis: ex possessione vnus nihil inferri potest ad possessionem alterius. *Menoch. lib. 3. præsumpt. 91. n. 64.*

Et quòd in possessorio isto, probatio dubia & incerta non releuet, maximè quando nulla adest certitudo nec in vniuersum, nec in particulari, tradit *Post. de manutent. obseruat. 49. per tot. & n. 11.* vbi allegat *decis. 59. Rotæ. part. 2. diuersorum.* † Quæ decisio non suffragaretur, sed sufficeret probatio præstationis præteritæ, si ageretur de personali præstatione: sed cum agatur de iure reali, debuissent testes deponere de certa solutione, certis personis, & certis prædiis: vt dicitur in *d. decisione*, & tradunt *Mascard. Surd. Cephal. Mantic. & alij supra citati.* Debet enim actoris probatio esse certa, & concludens. *Postius obseruat. 1. n. 29.* *Rota apud eundem decis. 302. n. 2.*

Et cum particulares rei conuenti habeant pro se iuris assistentiam, non debent aduersus eos coniungi probationes imperfectæ. *Rot. apud Post. decis. 166. num. 55. & 56.* potestque reus semper dicere actori; Quoad te, liberas ædes habeo. *Barzium, decis. Bonon. 47. num. 15.*


Præsertim quia constabat hinc non agi de iure vniuersali, & vniformi; sed particulari & difformi: cum in illo territorio Communitas assereret multa esse bona libera & immunia ab aliqua præstatione; alia verò prætenderentur obnoxia præstationi tritici; alia aliorum granorum; alia pecuniæ: & quædam maioris, alia minoris quantitatis, vel summæ; & sic ista

- præstatio petita nihil habebat commune cum dominio vniuersali ratione iurisdictionis, ex quo certum est nihil inferri ad dominium directum prædiorum particularium. Rot. *decis. 696. numer. 4. part. 4. diuers.* & fusiùs supra ostendimus *hoc libro cap. 41. n. 1.*
13. Vnde sequitur quòd si Dominus loci probet possessionem quoad certos particulares, quoad illos duntaxat manutenendus est; non quoad vniuersitatem. Tusch. *in verb. possessor. concl. 441. n. 15. Alex. consil. 122. n. 26. in fin. lib. 4.*
14. Nec quasi possessio quoad vnum, suffragatur quoad alium; sed debet probari possessio singulorum prædiorum & corporum. Surd. *consil. 135. numer. 64.* Quod procedit etiam si res sub eodem iure regantur; veluti si sint sub eodem Castro: quia nihilominus tunc requiritur apprehensio possessionis singulorum corporum. Surd. *d. consil. 135. num. 65. & consil. 160. num. 12.*
15. Et quamuis testes se retulerint ad listam, seu rotulum, hoc nihil prodest actori: quia cum rotulus eadem laboret incertitudine, relatio incertæ dispositionis facta ad rotulum incertum non releuat, neque dicitur certitudinem continere. Bald. *consil. 129. num. 1. volum. 1. versic. solutio huius puncti.* Tusch. *in verb. relatum. conclus. 129. numer. 4.* Mascard. *de probat. conclus. 358. n. 4.*
16. Neque suffragari poterat, quòd aliqui testes deponebant nonnullos ex particularibus petiisse à Domino dilationem ad soluendum. Quia in hoc possessorio, vt quis manuteneatur in quasi possessione exigendi; necesse est probare veram & actuaalem solutionem: ita vt nec sufficiat commissio alicui data de soluendo. Postius *de manutent. obseruat. 35. num. 10. 11. & 12.* Sicuti nec sufficeret quòd quis per scripturam fateretur se esse debitore. Idem *loc. cit. n. 15. & 16.*
17. Præmissa confirmantur ex traditis per Surd. *consil. 423. numer. 37. versic. præterea etiamsi constaret.* vbi dicit non esse concedendam alicui possessionem, nisi doceat in specie quæ & quanta corpora ab aliquo possideantur. Rota, *decis. 94. numer. 3. post dict. tract.* Postij, vbi dicitur quòd multò magis probanda est identitas, quando non omnia bona territorij sunt sub dominio directo actoris; † & per eundem Post. *obseruat. 87. ante numer. 1. & numer. 3.* vbi quòd si quis in summarissimo possessorio conueniatur tanquam successor alterius, qualitas illa quòd sit successor probari debet, cum hic nulla adsit causa nec titulus vniuersalis qui tamen probandus est ab eo qui in ipso se fundat. Marescot. *lib. 1. variar. resol. cap. 11. num. 31. & sequentib.* Additio ad Ludouif. *decis. 557. num. 6. & sequentib.*
19. Et pro maiori declaratione, & responsione ad dubia super præmissis proposita, fuit dictum quòd quando agitur de aliquo iure vniuersali, duo casus sunt considerandi. Primus casus est, quando ius vniuersale est certum, sed corpora sunt incerta vt potè quòd non fuerint probata cum suis confinibus, & quantitate, & qualitate. Secundus casus est, quando ius vniuersale est incertum, quia non est adhuc probatum, & nondum Iudici innotuit tale ius extare, & corpora etiam particularia non sunt adhuc probata cum suis confinibus, & sic adest incertitudo tam in iure vniuersali, quàm particulari ratione corporum singularium.
- Hoc præsupposito, notandum est duobus concedi posse possessionem generalem. Primò quidem ad effectum genericæ cuiusdam communionis. Secundò ad effectum perceptionis fructuum ex quolibet prædio.
20. Quando ius seu titulus vniuersalis continet certitudinem in genere, licèt bona nondum sint probata & certificata in specie cum suis confinibus, datur

possessio generalis; sed non ad effectum perceptionis fructuum. Secundo verò casu (qui noster est in quo nulla adest certitudo, neque respectu iuris vniuersalis, quod nec probatum erat, nec competeat Domino loci; sicuti nec respectu iuris particularis, cum nec probata esset identitas prædiorum & corporum cum suis confinibus & demonstrationibus; neque qualitas illa quòd rei essent successores descriptorum in lista:) non poterat concedi possessio, non solum ratione perceptionis fructuum, sed nec etiam ratione genericæ cuiusdam adjudicationis, cum possessio vnde quaque remaneat incerta. Rot. apud Merlin. *de legit. decis. 7. n. 14.* Vbi explicatur *decis. 58. & 59. par. 2. diuers.* apud eundem Merlin. *decis. 97. num. 4. & 5. & in eod. tract. de legit. lib. 5. tit. 4. qu. 10. n. 16.*

Neque ista incertitudo tollitur ex eo quòd ius domini actoris prætendebatur ex futuris probationibus iustificari posse. Quia ad effectum, de quo agitur non debemus attendere certitudinem legis, sed hominis: an scilicet ille qui vult acquirere possessionem, possit animi & voluntatis suæ motum, dum possessionem apprehensus est, ferre ad certum prædium; sine qua animi certitudine non potest adipisci possessionem. Rot. *decis. 161. n. 8. part. 2. diuers.* & ita intelligi debent dictæ decisiones 58. & 59. par. 2. diuers. quæ in contrarium facere videbantur. Et ex his ita fuit decisum.

Verùm post aliquot annos factâ conuentione & transactione inter Dominum, & subditos; super variis differentiis: & sublata discordiæ radice, illi qui canones emphyteuticos debebant, bonam fidem agnouerunt, & debitam Domino recognitionem sponte fecerunt, dimissis liberaliter à Domino reliquis omnibus præteritorum canonum.



CAPVT LXV.

Si subditi cum Domino transactionem fecerint; promittentes duplicare census & seruitia, casu quo contingeret Dominum loci maritare filiam seu filias, vtrum duplicatus census debeat pro matrimonio spirituali in ingressu monasterij: Et vtrum pro sola filia primogenita, an verò pro omnibus. Quid si agatur de filia spuria, vel illegitima, & vtrum cessante conuentione vel consuetudine, subuentio ista debeat.

S V M M A R I V M.

2. Promissio duplicati census in casum matrimonij filiarum, executioni demandari debet, non solum in casu matrimonij carnalis, sed etiam spiritualis, dum filia monasterium ingreditur.
2. Promissio suprascripta locum non habet, nisi tempore professionis emissa.
3. Promissio facta per subditos in casum matrimonij filiarum Domini, debet tantum intelligi de filia primogenita; secundum Theaur. Sed contra; num. sequentib.
4. Conuentionem de soluendo pro matrimonio filie, vel filiarum; non de sola primogenita intelligenda est. Ampliatur, etiamsi dictum fuerit de filia in numero singulari. ibidem.

5. In quibus casibus ex aequitate procedere possit Thesauri sententia circa promissam solutionem per subditos in casu matrimonij filia.
6. Pactum de adiuvando Dominum in casum matrimonij filiarum, debet intelligi in casum paupertatis Domini, & in subsidium.
7. Hoc non procedit quando certa & limitata summa fuit promissa: nam hoc casu solui debet etiamsi Dominus non egeat.
8. Alimenta non taxata debentur ad ratam fructuum, secus est si certa & determinata summa fuerit promissa.
9. Subditi allegantes possessionem contra Dominum tenentur deducere, & probare quod cum Dominus iura exigere voluit; fuit repulsus, & solutio illis denegata.
10. Quid si feudum acquirat Ecclesia, que liberos habere non potest.
11. Cessante pacto & inspecto solo iure communi, ista subuentio non debetur Domino.
12. Vtrum debeatur ista subuentio pro maritanda filia spuria, vel illegitima; concluditur negatiue.

INitâ transactione inter Dominum cuiusdam loci, & subditos pro se & successoribus tractantes, quod si contingeret Dominum, aut eius successores fieri milites armatæ militiæ, vel accedere ad Papam, vel ultra mare, vel maritare filiam seu filias, vel emere aliquod Castrum, vel fieri captiuum; quod in casibus prædictis, & quolibet eorum, duplicentur census & seruitia; & ultra vigesimam consuetam, soluantur dimidium vintenum de annona duntaxat.

Dominus vigore pacti egit executiue ad obtinendam solutionem duplicati census, & dimidij vinteni pro illo anno quo filiam matrimonio spirituali addixerat in quodam monasterio; subditi renuebant: Quærebatur quid iuris.

1. Dixi deberi præstationem illam Domino, quamuis filia non carnali sed spirituali duntaxat matrimonio fuisset collocata: & ommissis argumentationibus adduxi in terminis decisionem Vincent. de Franch. 42. numer. 1. & 2. Amendol. ad decis. eiusdem, 215. num. 11. Capiblanc. de iur. Baron. pragmat. 1. numer. 95. Ferrer. ad decis. Guid. Pap. 57. versic. quinimo exigitur etiam illud tributum pro ingressu filia in monasterium. Andr. Capan. in tract. de iur. reley, part. 3. quest. 14. numer. 20. & 21. † Vbi dicit hanc subuentionem deberi duntaxat tempore professionis, quod verissimum est: cum ante illud tempus non dicatur contractum spirituale matrimonium. Boër. decis. 126. numer. 12. & in effectum, ego illud ius exegi vigore transactionis à meis subditis Sancti Legerij; dum filiam meam matrimonio spirituali collocaui in deuoto monasterio Sanctæ Clare præsentis Ciuitatis, prout apparet ex instrumento publico.
2. Sed maius dubium erat, vtrum subuentio illa deberetur non solum pro filia illa primogenita; sed etiam pro aliis filiabus natu minoribus, quoties illas contigerit spirituali vel temporali matrimonio collocari. Quod conuentio seu consuetudo de prima duntaxat filia intelligenda sit, tenet Cancer. lib. 2. variar. resol. cap. 2. numer. 302. in nouis, versic. pro his facit. Sanson. in consuet. Turonens. tit. des Royaux aides. §. 4. Tiraquel. in l. bone. §. hoc sermone. n. 14. ff. de verb. signif. Petr. Rebuf. in l. vnic. in 1. notab. Cod. de sent. que pro eo quod interest. numer. 31. Rosental. de feud. cap. 5. conclus. 79. num. 3. in glos.

littera. C. Steph. Bertrand. consil. 4. per totum, volum. 4. Thesaur. Iun. lib. 4. quest. forens. 69.

In contrarium quod promissio solutionis duplicati census in casum futuri matrimonij filia, vel filiarum Domini, non terminetur in prima filia; sed intelligatur de qualibet, tenuit Vincent. de Franch. decis. 215. numer. 2. & decis. 306. & b. Ricc. in addit. Capiblanc. de Baronib. pragmat. 1. num. 84. qui loquitur etiam in terminis conuentionis facientis mentionem de filia, in numero singulari. Capan. qui sic fuisse iudicatum testatur in tract. de iur. reley, part. 3. quest. 14. numer. 20. Afflict. in constit. Neapol. lib. 3. rubric. 17. de adiutoris exigendis num. 13. ad numer. 18. Masuer. in tit. 8. des tailles. num. 4. versic. or ces quatre cas. sequitur Tiraquel. in tract. de primogen. quest. 70. numer. 2. Boër. decis. 131. numer. 1. Fontanel. de pact. nuptial. in fine secundi volum. in 1. addit. ad claus. 5. glos. 4. Ferrer. in addit. ad decis. Guid. Pap. 57. vbi sæpius ita decisum fuisse testatur.

Et hæc sententia sine dubio admittenda est in casu proposito, reiectâ contrariâ; quia conuentio loquitur de filia vel filiabus; ita vt non sit dubitandum quin contrahentes intellexerint subuentionem præstari debere, non semel, sed pluries propter expressionem numeri pluralis.

Quod attinet ad DD. in contrarium allegatos; Notandum est magnam fieri debere differentiam inter duos casus diuersos: quorum primus est, quando agitur de secundo matrimonio eiusdem filia iam vidua facta; & hoc casu verum est quod locus est regulæ l. boues. §. hoc sermone. ff. de verb. signif. nempe quod verba intelligi debent de primo actu. Secundus casus est, quando non de eadem, sed de alia filia agitur; & hoc casu verius est iterandam esse subuentionem: & ita intelligendus est Tiraquel. in d. §. hoc sermone. num. 14. iuxta tradita per Masuer. quem allegat; qui dictam distinctionem facit inter vnam filiam secundò nubentem, & aliam filiam Domini non prius nuptam; quem propterea non immeritò pro nostra sententia allegauimus; & ita loquitur Argentr. in consuet. Britan. artic. 87. in fin. versic. sed magna est dubitatio. qui licet paulò ante dicat non deberi subuentionem nisi pro vna filia; hoc ideo quia consuetudo loquebatur in singulari de vna aliqua filia maritanda; vt ibi per eum: & ipsemet Tiraquel. in tract. de iur. primogen. quest. 70. numer. 2. videtur residere in sententia Afflict. quod subuentio debeatur pro qualibet filia.


Rebuf. in d. l. vnic. Cod. de sentent. que pro eo quod interest. in 1. notabili, ampliat. 19. num. 78. aliàs 31. se refert ad ea quæ tradit Masuer. loco citato: Ideo secundum prædictam distinctionem ab ipso allatam intelligendus est. Bertrand. dict. consil. 4. volum. 4. loquitur de transactione in qua facta erat mentio de filiabus simpliciter, & aderat pactum de faciendo vnam collectam duntaxat semel in quolibet ex casibus ibi expressis; sed in casu nostro non fuit dictum de filiabus, sed de filia, vel filiabus; nec adest pactum illud de faciendo collectam semel duntaxat in quolibet dictorum casuum: & per consequens non nocet nostræ sententiæ.

Sicut nec Rosental. qui non loquitur in terminis conuentionis eo modo quo supra loquentis de filia vel filiabus; nec Thesaur. Iun. dict. quest. 69. lib. 4. qui se restringit num. 7. ad casum in quo conuentio loquitur de filia in numero singulari.

Præterea Thesauri casus fuit potius decisus ex æquitate, quam ex rigore iuris: quia cum adessent plures Condomini eiusdem feudi, ideo ius exigendi sub-

uentionem fuit restrictum ad primam filiam maritandam, ne res abiret in infinitum. Quod intelligit de pluribus Condominis pro diuiso: nam si pro indiuiso, & in solidum; dicit illos pro vno reputandos: quod nunc non examino. Ceterum verò ex professo tractat de filia iam nupta; quæ ad secunda vota transit: vt videre est *dict. lib. 2. cap. 2. num. 302. in versic. verum pro his facit.* loquitur quidem de casu quæstionis nostræ; sed hoc tractat incidenter & relatiuè: vt *ibi* videri potest: Igitur concludendum est promissionem subuentionis, de qua agitur, intelligendam esse tam de prima filia, quàm de aliis.

6. Nec obstat si dicatur subuentionem istam non esse Domino iurisdictionali præstandam, nisi in subsidiũ; quando ipse non habet sufficientes facultates ad dotandam filiam: vt dicit Rosental. *de feud. cap. 5. conclus. 79 in princip.*
7. Siquidem respondetur pactũ de soluendo subuentionem duobus modis concipi posse. Primò generaliter, quando absque limitatione certæ summæ subditi simpliciter promiserunt iuare Dominum filias suas matrimonio collocantem: & hoc casu procedere potest doctrina prædicti Rosental. *loco citato.* Secundò, quando subditi sese obligarunt ad soluendam certam summam taxatam & determinatam, vel certum censum in toto, vel in quota parte fructuum; & tunc cum conuentio sit certa, non debet tractari de subsidiario remedio, sed certa illa quantitas præstanda est iuxta conuentionem. † sicut videmus à simili, quòd si aliméta sine taxatione promissa vel relicta fuerint, de solis fructibus debentur, & ad ratam ipsorũ; sed si certa quantitas fuerit promissa aut relicta, tunc etiam fundus alienari potest: quia promissio certæ quantitatis non patitur restrictionem. *Surd de aliment. tit. 4. quest. 9. num. 28. Bertrand. consil. 268. num. 2. volum. 2. part. 1.*
9. Quod si Communitas probare velit contrariam consuetudinem contra tenorem transactionis, non sufficit probare quòd adueniente tali casu non fuit soluta subuentio; sed probandum est quòd quando Domini voluit exigere, fuit repulsus. *Ludouif. decis. 472. num. 1. Post. de manut. obseruat. 13. & 14. & Rota apud ipsum, decis. 186. num. 7.*
10. Sed quæri potest, quid si feudum donationis aut emptionis alioue titulo deueniat ad Ecclesiam, quæ liberos habere non potest; vtrum aliquid illi loco subuentionis pro liberorum coniugio promissæ sit soluendum? Responsum est negatiuè, vt per *Antibol. in tract. de muneribus. & honorib. Argent. in consuet. Britan. artic. 87. in fine.*
11. Hoc etiam sciendum est, quod cessante pacto vel consuetudine legitima, ista subuentio Dominis non debetur. *Petr. Iacob. in pract. rubric. 63. de causis in quibus. Vass. num. 29. & in Rub. de feud. distinct. Rubr. 61. num. 62. Iacobin. de feud. in verb. qui quidem inuestiti. num. 76. & in verb. cum mero & mixto imperio. num. 16. Ayell. de iure Adhæ. num. 30. Bertrand. consil. 305. num. 1. lib. 6. Francisc. Marc. decis. 65. per totam. Rosental. cap. 5. conclus. 78.*
12. Fuit etiam quæsitum, vtrum subuentio ista deberetur pro maritanda filia spuria vel illegitima? Ego negatiuam veriore esse existimo; cum non idem debeat esse harum priuilegium, quod legitimarum: vt tradit *Argent. in dict. artic. 87. notab. 2. in verb. marie sa fille. num. 4. Rosental. de feud. cap. 5. conclus. 79. numer. 4.*



CAPVT LXVI.

Cessionarius iuris prælationis & primi laudemij, factâ suæ cessionis intimatione & declaratione, quòd vult vti iure prælationis sibi per dominum directum certorum prædiorum cesso, renuente bonorum illorum emptore, léque aduersus retentionem opponente, si postea emptor pœnitentiâ ductus resiliat à sua oppositione, & consentiat retentioni; vtrum pariter ipse possit recedere à iure prælationis, & cogere emptorem ad soluendum sibi laudemium, & sumendam inuestituram à domino directo.

S V M M A R I V M.

1. *Qui non vtitur iure suo dum potest, censetur illi renunciare.*
2. *Actori quod licet, reo denegari non debet.*
3. *Ex actibus iudicialibus oritur quasi contractus, in quo locus est pœnitentiæ, quando actus introductus est fauore facientis.*
4. *Qui bonis cessit potest recedere à cessione, & se defendere aduersus creditores.*
5. *Qui iuramentum detulit, potest recedere à delatione, si nondum iuratum fuerit; quamuis delatio esset acceptata.*
6. *Omnis oblatio seu declaratio iudicialis facta in fauorem alterius, debet intelligi dummodo statim acceptetur.*
7. *Recedere licet à requisitione iudiciali, si noua causa superueniat.*
8. *Propositum ex causa mutare licet, etiam sequenti acceptatione.*
9. *Periculum rei venditæ spectat ad emptorem, donec facta fuerit retrouenditio in casibus, in quibus quis cogi potest ad retrouenditionem.*
10. *Euictione pendente in limine contractus, danda est cautio emptori.*
11. *Si lata fuerit sententia in fauorem actoris in actione redhibitoria, potest actor ab illa sententia recedere, & ea non vti etiam inuito reo condemnato.*
12. *Quasi contractus qui oritur ex sententia fortior est eo, qui oritur ex sola litis contestatione.*
13. *Retentio feudalis de iure non potest alteri cedi.*
14. *Statutum Auenionense prohibet cessionem iuris retentionis in vim directi domini competentis.*
15. *Quando sententia fundatur super iure quodam extraordinario, is qui sententiam obtinuit potest ab illa recedere, & ea non vti si velit.*
16. *Obtinens sententiam in fauorem retractus potest ab illa recedere.*
17. *Donec petens retractum, pretium realiter exsoluerit; res dicitur integra.*
18. *Ius prælationis competens cessionario fundatum dicitur in iure extraordinario.*
19. *Cessionarius domini directi non habet vim attractiuam pro consolidatione domini utilis cum directo;*

directo, cum illa affixa sit ossibus ipsius domini directi; & ab illo inseparabilis.

20. Magna est differentia inter renunciationem & acceptationem iuris prælationis, ad effectum ut res dicatur integra, vel non.
21. Acceptatio & declaratio quod quis vult vti retentione feudali, non dicitur perfecta; nisi retinere volens, pretium venditionis restituat.
22. Emphyteusis quandoque reuertitur ad dominum ipso iure, & aliquando facta hominis; ita ut non sufficiat sola declaratio animi.
23. Qui vult vti iure retentionis tenetur declarare animum suum, & pretium offerre emptori, illudque in casum recusationis deponere.
24. Dominus directus habet ius reale pro vniendo dominio utili cum directo.
25. Cessionarius domini directi solam habet actionem confessoriam pro iure retentionis.
26. Res dicitur integra quoad cessionarium domini directi, donec in eius fauorem lata fuerit sententia pro iure prælationis, & facta actualis pretij restitutio.

Dubitatum fuit vtrum cessionarius domini directi Ecclesiastici, qui iudicialiter significauerat emptori cuiusdam prædij existentis de dominio directo Ecclesiæ se tanquam cessionarium iure prælationis retinere velle, posset deinde pœnitentiã ductus ab illa retentione & declaratione recedere, attento maxime quod dictus emptor qui se opposuerat, & locum esse iuri prælationis iudicialiter excipiebat; postea similiter pœnitentiã ductus dictæ retentioni consentiebat, quam prius non modo non acceptauerat, sed etiam expressè impugnaverat.

Respondi cessionarium posse à petita prælatione ad libitum recedere.

1. Primò quia cum emptor noluerit acceptare petitam retentionem, illamque impugnaverit, sed eum suæ impugnationis deinde pœnituerit; potest cessionarius opponere emptori illud axioma: Quod potui nolui, quod volui adimplere nequii, ex regula correlatiuorum de qua in *l. final. Cod. de indict. viduit. tollend.* Surd. *consil.* 401. num. 15. † Et quod actori conceditur, reo denegari non debet: & è conuerso. *cap. non licet actori.* 32. *de reg. iur. in 6.* Barbof. *axiom.* 10. num. 7. & 8.
3. Secundò, quia licet in contractibus non sit locus pœnitentiæ; tamen in quasi contractibus qui oriuntur ex actibus iudicialibus, iuxta *l. 3. §. sed si filius. ff. de pecul.* pœnitere licet, quando agitur de actu non obligatorio; sed inducto in fauorem facientis.
4. Bartol. *l. qui bonis. ff. de cess. honorum.* † vbi qui bonis cessit potest à cessione recedere, & se defendere aduersus creditores: per text. in *l. quem pœnitet. ff. de cession. bonor.* † Similiter qui iuramentum detulit, pœnitere potest etiam post acceptationem iuramenti, si nondum iuratum fuerit. Caroc. *de iurament. lit. decisor. quæst. 6. principali.*
6. Tercio, quia omnis obligatio aut declaratio iudicialis debet intelligi sub illa conditione, si statim acceptetur; adeo ut non sufficiat acceptatio facta ex intervallo: *l. non erit. §. si neque. & ibi DD.* maxime Castrenf. *ff. de iureiurand.* ergo non suffragatur emptori intempestiua illa acceptatio post denegationem, & oppositionem, longique temporis intervallum facta.
7. Quarto, quia recedere licet à requisitione iudicialiter facta, quando superuenit iusta causa recedendi.
8. Caroc. *de oblat. part. 2. quæst. 96. num. 4.* † vbi dicit quod licitum est ex causa mutare propositum, etiam

sequutà acceptatione per patrem: atque ita limitat regulam *l. nemo potest. 76. ff. de reg. iur.* hic autem superueniat noua causa, quia comparuerant multi creditores quibus prædictum prædium erat hypothecatum; cum tamen emptor iam pretium illius venditori soluisset: & sic periculum esset, ne pretium amitteretur.

Quintò, quia cum solutio pretij, ut dictum est, 9. per emptorẽ facta fuisset venditori, periculum amissionis pretij non ad retinentem, sed ad emptorem spectare deberet: verum enim est donec in effectu facta fuerit retrouenditio, omne periculum ad emptorem non autem ad retrahentem pertinere: quia hoc casu non ageretur de venditione facta respectu retrahentis, sed de venditione quæ fieri peteretur. Tiraquel. *de retract. consang. §. final. num. 31.* † Et sic cum 10. penderet euictio in limine contractus, non poterat redimens cogi ad soluendum pretium, donec sibi cautio indemnitate respectu creditorum data fuisset. *l. si post perfectam. Cod. de euiction. Surd. decis. 295. num. 7. & ibi Hodiern. num. 7.*

Sextò, quod liceat à retractus petitione recedere, 11. probatur à simili; immò à fortiori: Nam si lata fuerit sententia in actione redhibitoria in fauorem actoris, potest nihilominus actor ab illa sententia recedere, & illa non vti, etiam reluctante & inuito reo condemnato. *Glof. in l. illud. §. 1. in fin. ff. de Edilit. edicto* quam sequitur *ibidem* Bald. *dict. l. illud. §. condemnatio versic. querit glossa.* Galerat. *de renunciat. centur. 2. cap. 109. num. 3.* † Et tamen quasi 12. contractus qui oritur ex sententia, fortior est eo qui oritur ex sola petitione iudiciali: ille enim obligat ad obseruandam sententiam, hic verò duntaxat obligat ad perfeuerandum in lite. Castrenf. *in l. 3. §. si filiusfamilias num. 3. ff. de pecul.*

Septimò, quia retentio ista feudalis de iure alteri 13. cedi non potest. *Guid. Pap. decis. 411.* & de communi opinione testatur Claper. *causa 100. quæst. 1. num. 12. iuncto num. 32. versic. ad decimum tertium.* † stante 14. potissimum statuto Auen. quod prohibet huiusmodi cessiones iuris retentionis. *lib. 1. rubic. 72. artic. 28.* Ideo si dictus cessionarius prætendens Ecclesiam non esse in statuto comprehensam, (quod tamen nunc non determino) voluerit vti iure retentionis, eius petitio erat contraria iuri communi, fundata duntaxat in prætensa consuetudine: † Et per consequens 15. etiam posito quod obtinuisset sententiam fauorabilem pro retentione, potuisset ab illa recedere: quia quotiescumque sententia fundatur super iure quodam extraordinario, is qui illam obtinuit, potest si velit ab illa recedere, & ea non vti. Tiraquel. *de retract. §. final. num. 24. & sequentib.* Vincent. de Franch. *decis. 346.* vbi testatur ita fuisse iudicatum.


Non obstat *decisio* Boërij, 48. *in fin.* & *Pap. lib. 11. tit. 7. arrest. 7. & 9.* vbi contrarium decidi videtur: tum quia Boërius fatetur opinionem, quã conceditur etiam post latam sententiam à retractu posse recedi, veriore esse: ut per eum, *numer. 24. versic. & ista ultima pars.* Tum etiam quia posterioribus arrestis fuit iudicatum pro opinione Tiraquelli, ut testatur *Additio ad Pap. dict. arrest. 9.* vbi refertur decretum Senatus sub die 21. Martij 1580. Charond. *lib. 4. respons. 57. in fin. versic. toutefois.* † & ratio *ibi* 17. redditur, quia donec petens retractum, pretium realiter exsoluerit, res dicitur integra.

Et pro maiori præcedentium elucidatione aduertendum est in primis, magnam esse differentiam inter retentionem feudalem, quæ fit ab ipso domino directo; & illam quæ fit ab eius cessionario. Quæ enim fit à domino directo, fundata est in iure ordinario

nario ipsi à lege concessio: de quo in *l. fin. Cod. de iure emphyteut.* Sed ius prælationis competens eius cessionario, fundatum est in iure quodam extraordinario, quod est exorbitans à iure communi: ut mox ostendimus *num. 15.*

19. Secundò supponendum est, quòd ius cessionarij non habet vim attractiuam quam habet ipse dominus directus: quia statim facta declaratione per dominum directum quòd vult uti iure retentionis, faciliùs sequitur consolidatio dominij utilis cum directo ex quadam vi magnetica ipsius dominij directi, quæ ab ipso inseparabilis est, & ossibus domini directi inhæret; adeo ut cessionarius non habeat ius istud atrahendi: ideo sola illius declaratio quòd vult retinere, non ita faciliè perficit nec consummat retentionem: & per consequens quidquid sit de ipso domino directo retinente de quo mox agemus; tamen faciliùs quoad eius cessionarium locus est pœnitentiæ. Hæc differentia notatur per Claper. *causa 100. quest. 1. num. 2. 4. & 29.*
20. Tertio supponendum est magnam esse differentiam inter renunciationem iuris prælationis, & acceptationem illius; ad effectum ut sciatur, utrùm res sit integra, an non: renunctio siquidem sola animi declaratione perficitur: quia statim ubi facta fuit declaratio domini directi, vel eius cessionarij, quòd non vult uti iure retentionis, ipse se excludit ab illo iure: quia post animi declarationem, nihil aliud superest agendum. † Sed dum agitur de acceptatione & effectuione iuris prælationis, non sufficit sola declaratio animi; sed præterea requiritur realis solutio pretij faciendâ per eum qui vult retinere. Claper. *dict. causa 100. quest. 1. num. 29. vers. sic. qua reuersio.* † ubi dicit reuersionem aliquando fieri ab ipso iure, sola lege operante, sine aliquo facto vel ministerio hominis; veluti quando emphyteusis reuertitur ad dominum propter tempus & generationem finitam; aliquando verò requiritur factum hominis quod consistit in duobus. Primò, quòd dominus declarat se velle retinere. Secundò, quòd restituat pretium emptori: quod etiam tradit Solsona, in *lucerna laudimiorum, quest. 3. principali numer. 156.*
23. † ubi dicit dominum directum teneri declarare animum suum super retentione, & interpellare emptorem, & illi offerre pretium rei venditæ; & in casum recusationis debet deponere pretium & illud consignare: & quòd per talem oblationem & interpellationem & depositionem acquiritur ius domino directo, aut eius cessionario: quod etiam sequitur Ripoll. *variar. resol. capit. 7. de iure emphyteut. numer. 200.*
24. Quarto supponendum est, quòd licet dominus directus habeat ius incorporandi, & vniendi dominiũ utile cum directo, quod est ius reale, & à re emphyteutica dependens, prout testatur Claper. *dict. quest.*
25. 1. † Tamen hoc ius non competit eo modo cessionario domini directi, qui non habet rei venditionem, cum non sit dominus rei emphyteuticæ; sed tantum habet actionem confessoriam, directam, vel utilem per quam petit declarari se præferendum esse pro eodem pretio in dicta re: & factâ per Iudicem declaratione quòd sit locus prælationi, petit officio Iudicis detentorem & turbatorem cogi, & compelli ad restitutionem rei soluto sibi pretio: ut optimè explicat Castrens. *consil. 335. numer. 5. volum. 1.* † Unde sequitur non esse verum in iure, quòd per solam cessionarij declarationem ipso iure fiat unio dominij utilis cum directo; cum ultra declarationem requiratur quòd intentetur actio confessoria; & sequatur sententia Iudicis, unâ cum restitutione pretij: & sic

antequam hæc omnia fiant, res dicitur integra, & retentio nondum perfecta: & per consequens etiam subsequutâ declaratione licitum est cessionario ab illa recedere. Atque ita in terminis retractus, determinat Grimaudet. in *tract. des retractés, lib. 2. cap. 33. per totum.*



CAPVT LXVII.

Ex duobus cessionariis iuris prælationis vter sit præferendus; utrùm is qui primò usus est concessione sibi facta; an verò qui primus est in data. Quid si conditionem tempore congruo non adimpleuerit: Et utrùm gratia primi laudemij & iuris prælationis alicui facta expiret per aduentum noui Vicelegati; præsertim si nouus Vicelegatus alteri similem concessione fecerit.

S V M M A R I V M.

1. Rescriptum conditionale non adimpletâ conditione nullum est.
2. Conditio que faciliè adimpleri potest, adimplenda est statim, aliàs habetur pro non impleta.
3. Qui obligatur aliquid facere, tenetur id facere quamprimum potest.
4. Non adimplens contenta in rescripto intra tempus in eo designatum, non potest postea se iuuare illo rescripto.
5. Dicitio dummodò quo casu vim conditionis obtineat.
6. Quando concessio facta fuit cum limitatione temporis, qui non obseruat tempus non dicitur obseruare formam.
7. Dilatio apposita in rescripto numeratur à die data.
8. Omne tempus in dubio continuum esse censetur.
9. Qui posterius rescriptum obtinet non facta mentione primi per aduersarium impetrati, excusandus est ex causa probabilis ignorantia.
10. Iuris incerti & euentualis, ac nondum perfectè questiti, mentio faciendâ non est in rescripto.
11. Scientia domini cum taciturnitate ipsius infert tacitum consensum præstitum alienationi prædy emphyteutici.
12. Concessione duobus factâ, si is qui primam obtinuit non curauerit concessionem suam intimari, rectè soluitur laudemium, & capitur inuestitura à Camera vigore secunda concessionis: quia directæ actiones remanent penes Camera.
13. Dominus si recipiat laudemia, excluditur cessionarius iuris prælationis qui cessionem suam non curauit intimari.
14. Factâ traditione reali per dominum emphyteuta, ius illi in re questitum est aduersus cessionarium iuris retractus.
15. In iuribus incorporabilibus, primus occupans præfertur.
16. Dispositio leg. quoties duobus. Cod. de rei vendic. locum habet in omnibus contractibus tam onerosis, quam lucratuis.
17. Vicelegatus licet Principem representet, non ta-

men omnia potest que Princeps.

18. *Quod factum est tempore inhabili, non potest retrahari maximè in præiudicium tertij.*
19. *Si non sit certum quæ concessio vel actus præcedat, ille præsumitur prior, qui respicit fauorem pie causæ.*
20. *Conditio potestatiua non trahitur retro.*
21. *Gratia conditionalis non solum adimplenda est, sed etiam adimplenda tempore congruo*
22. *Gratia conditionalis concessa per Vicelegatum, non potest sortiri effectum, nisi conditio fuerit adimpleta durante officio ipsius Vicelegati: nec sufficit adimpleri post aduentum alterius Vicelegati.*
23. *Adimplementum non releuat nisi factum fuerit tempore habili.*
24. *Maior habilitas requiritur in termino ad quem, quàm in termino à quo: ille enim debet esse habilis essentialiter, hic verò sufficit quòd sit habilis potentialiter.*
25. *In rescripto gratioso attendi debet tempus adimpletae conditionis: & sic quando conditio fuit adimpleta finito officio concedentis, perinde est ac si concessa non fuisset.*

Tempore cuiusdam Vicelegati, concessum fuit impetranti per rescriptum, ius prælationis seu retractus ac primi laudemij cuiusdam prædij in rescripto designati, venditi vel vendendi, cum clausula attentis narratis, & præstita obligatione de soluendo ius laudemij Camerae Apostolicæ, iuxta pretium appositum vel apponendum in venditione illius prædij.

Post tres annos nouo existente Vicelegato quoddam monasterium obtinuit ab ipso similem gratiam, in qua etiam fuit condonata dimidia pars laudemij quolibet nouennio persoluendi: quia agebatur de manu mortua.

Eodem anno & die quo vltima ista gratia fuit concessa, primus ille concessionarius præstitit obligationem de soluendo laudemio Camerae iuxta formam sui rescripti.

Cum disputaretur inter istos duos concessionarios; dixi concessionem secundam factam monasterio sortiri debere effectum, neque monasterium posse molestari ab eo qui primum rescriptum obtinuerat.

1. Primò, quia rescriptum quòd antèrius in data reperitur erat conditionale, per ablatiuos videlicet absolutos, qui conditionem important, his verbis: *præstita obligatione &c.* & per còsequens nõ adimpletâ conditione, rescriptum nullum & inualidum remanet.
2. Duran. *decif. 87. num. 19.* † Quòd autem conditio non fuerit adimpleta, probatur: quia à die primi rescripti lapsus erat triennium; ratione cuius dilationis conditio dicitur defecisse: quia quotiescumque agitur de conditione quæ facillè potest adimpleri, qualis est conditio præstandi obligationem; tunc conditio dicitur defecisse, quando statim & incontinenti non fuit adimpleta. *l. si ita stipulatus essem. 14. ff. de verb. obligat. Roland. consil. 63. num. 48. versic. ad secundum. volum. 4. Ruin. consil. 131. numer. 11. volum. 1.*
3. Neque opus erat aliqua interpellatione; quia vbi cumque quis tenetur aliquid facere, tenetur illud facere quamprimum fieri potest. *Bellon. in tract. de de his que sunt incontinenti. cap. 129. num. 6.*
4. Multò magis in alio casu dixi exclusum esse impetrantem à iure retentionis, stante clausula in rescripto apposita, *dummodo intra quindecim dies inuestituram acceperit, & laudemium soluerit*: quia cum intra dictam dilationem inuestituram non accepisset,

& laudemium non soluisset exclusus erat à beneficio dicti rescripti. † Quamuis enim dictio *Dummodo* potius modum quàm conditionem importare videatur; tamen eo modo quo superius expressa fuit, verè conditionem importat: quia adiecta est substantiæ dispositionis; & non executioni. *Setaphin. decif. 107. num. 4. Verall. part. 2. dec. 35. num. 3. Caualet. decif. 255. num. 4. vbi loquitur de illa clausula dummodo pacem obtineat. Ludouif. decif. 311. num. 12. vbi loquitur de clausula dummodo solutio fiat. Rota, decif. 1160. num. 2. & 3. part. 3. l. b. 3. diuers. vbi dicit verba illa formam substantialem continere. † Et generaliter quotiescumque concessio facta fuit cum limitatione certi temporis, qui non obseruat tempus, non dicitur formam seruare. Rota *decif. 167. num. 8. & 9. part. 2. recent.**

Nec dici poterat dilationem quindecim dierum intelligendam esse à die adeptæ possessionis: quia imò in rescriptis attenditur tempus datæ: *cap. eam te. de rescript. Guid. Pap. singular. 715.* superflua enim fuisset illa clausula, si intelligeretur de solutione laudemij post adeptam possessionem faciendam. † Et in dubio omne tempus censetur esse continuum. *Costa de facti scient. regul. 14. num. 1.*

Nec etiam est quòd dicatur in secundo rescripto fieri debuisse mentionem primi: Quia Respondetur primò, obtinentem secundum rescriptum excusandum esse propter probabilem ignorantiam; maximè cum primum illud rescriptum non esset registratum; pro vt in eo fieri mandabatur. *Put. decif. 181. num. 4. lib. 1. in correctis*

Secundò, quia ius primi impetrantis ante adimpletam conditionem erat euentuale, & incertum; nec per illud ius erat perfectè quæsitum; ideo illius mentio non erat in secundo rescripto necessaria: vt per Rotam coram Andrea, *decif. 48. numer. 3. & sequentib. & part. 5. recent. decif. 23. num. 15.* Adden. ad Burat. *decif. 576. num. 12.*

Secunda ratio principalis est; quia Illustrissimus Dominus Vicelegatus dum posterius rescriptum concessit, præstitit consensum venditioni factæ in fauorem monasterij; eique gratiam fecit de laudemio, nec non de præstatione singulo nouennio faciendâ: & sic venditionem approbando, exclusit omne ius prælationis: ex notatis per Fab. *in Cod. lib. 4. tit. 42. de iure emphyt. definit. 49.* Redoan. *de reb. Eccles. non alien. quæst. 79. cap. 9. num. 24.* vbi quòd scientia domini cum taciturnitate, infert consensum ipsius præstitum alienationi.

Hinc sequitur quòd licet alteri prius facta fuerit gratia seu concessio iuris prælationis; tamen quia actiones directæ remanebant penes Cameraam, prædictusque primus cõcessionarius nullam fecerat iuris sui intimationem seu denunciationem, neque interuenerat vnum ex tribus requisitis in *l. 3. Cod. de nouat.* licitum fuit Camerae habenti actiones directas, seu dicto Vicelegato per acceptilationem seu gratiam liberare monasterium à solutione partis laudemij, nullâ stante collusione: ex traditis per Odd. *ad l. 3. Cod. de nouat. quæst. 3. artic. 6. versic. secundo casu.*

Et sic locus est doctrinæ Ferrerij ad Guid. Papæ *decif. 477. in noua addit. versic. sed in hac causâ.* vbi dicit quòd si non fuerit facta denuntiatio, & dominus receperit laudemiam ab emptore, non est amplius locus iuri prælationis.

Et præmissa multò magis locum haberent, si secundus iste concessionarius, & idem emphyteuta ante dictam denunciationem adeptus fuisset possessionem dicti prædij: iuxta text. in *l. quoties. Cod. de rei vendic.* quia quando subsequuta est traditio, & concessa


concessa inuestitura, ius reale quæsitum est possessori: quod tanquam potentius præferri debet actioni competenti primo cessionario, quæ nullum habet fundamentum in iure reali: vt bene ostendit Charond. *lib. 3. respons. 6.* † Vbi dicit quod in cessione facultatis retrahendi, aut alterius iuris incorporalis, primus occupans præfertur: quia iura ista incorporalia possidentur insimul cum corporibus quibus inhaerent: & ideo in illis locus est dispositioni *dict. l. quoties*. Et ita in simili decisum fuisse testatur Papon. *lib. 1. tit. 6. arrest. 9.* Maynard. *lib. 2. cap. 6.* † Quia in emphyteuticis ille præferendus est cui prius verè & realiter concessa fuit inuestitura: nam dispositio *dict. l. quoties*, locum habet in omnibus contractibus tam onerosis, quàm lucratiuis. Gomes. *lib. 2. variar. resol. cap. 2. de empr. & vendit. num. 20. in prima ampliari. in princip. 2. colum.*

15. 3. *respons. 6.* † Vbi dicit quod in cessione facultatis retrahendi, aut alterius iuris incorporalis, primus occupans præfertur: quia iura ista incorporalia possidentur insimul cum corporibus quibus inhaerent: & ideo in illis locus est dispositioni *dict. l. quoties*. Et ita in simili decisum fuisse testatur Papon. *lib. 1. tit. 6. arrest. 9.* Maynard. *lib. 2. cap. 6.* † Quia in emphyteuticis ille præferendus est cui prius verè & realiter concessa fuit inuestitura: nam dispositio *dict. l. quoties*, locum habet in omnibus contractibus tam onerosis, quàm lucratiuis. Gomes. *lib. 2. variar. resol. cap. 2. de empr. & vendit. num. 20. in prima ampliari. in princip. 2. colum.*
17. Nec obstat si dicatur dispositionem *dict. l. quoties*, non habere locum in concessione facta per Principem. Tum quia hic non agitur de Principe, sed de eius vicario, qui vt notorium est multo minorem habet potestatem. Cùm etiam ipse Legatus de latere non possit aliquid concedere contra dispositionem iuris communis. Gratian. *discep. forens. cap. 245. num. 42. & cap. 300. num. 50.* fusè Capiblan. *de iure Baron. pragmat. 1. num. 32.*

Non obstat etiam, si dicatur dictum primum cessionarium satisfecisse conditioni appositæ in dicto rescripto, & in effectu præstitisse obligationem iuxta formam dicti rescripti.

18. Quia respondetur id factum fuisse tempore inhabili, neque posse retrahi in præiudicium iuris quæsitæ monasterio: quia retractio numquam fit in præiudicium tertij, cui ius est quæsitum. *Surd. consil. 382. numer. 79. Cost. de retract. cap. 8. cas. 19. 2. numer. 10.* † Quia licet obligatio prædicta reperitur facta eadem die, & sub eadem data sub qua concessio secunda fuit facta monasterio; tamen de iure præsumitur quod gratia monasterij sit anterior, propter priuilegium personarum, & causæ piæ. Menoch. *de arbit. cas. 48. num. 35.*
20. Præterea cùm conditio appositæ primo rescripto sit potestatiua, non potest prætendi aliqua illius retractio; quæ nunquam fit in conditionibus potestatiuis. *l. qui balneum. ff. qui potior. in pig. hab. Surd. dict. consil. 382. num. 78.*
21. Tertia ratio principalis petitur ex eo, quod cùm gratia facta per antiquum Vicelegatum esset conditionalis, vt mox ostensum fuit; nempe si præstaretur obligatio de soluendo laudemio: non poterat dici perfecta nisi prius dicta conditio fuisset adimpleta. *Caualer. decis. 561. per tot. & sic cùm dictus Vicelegatus concedens esset extra officium Legationis, † non potest quidpiam operari finito officio; cùm illo durante effectum sortita non fuisset: vt determinat Rota, decis. 628. numer. 11. part. 4. recent. tom. 1.*
23. † Quia non potest gratia dici sortita effectum; cùm implementum conditionis superuenerit tempore inhabili. *Rot. decis. 46. numer. 6. part. 6. recent.* † si quidem requiriturabilitas tam in termino à quo, quàm in termino ad quem; immò maior requiritur in termino ad quem, quàm in termino à quo: quia licet sufficiat quod terminus à quo sit habilis potencialiter; tamen terminus ad quem debet esse habilis essentialiter. *Bartol. & alij in l. si is qui pro emptore. ff. de usucapionib. Giouagnon. consil. 98. num. 3. & 24. volum. primo.*
25. Præsertim cùm agatur de rescripto gratioso, in quo inspicitur tempus impletæ conditionis: & sic perinde est ac si prima gratia concessa fuisset tempore præ-

stitæ obligationis: quo tempore concedens non erat amplius in officio, & per consequens nulliter, ex notatis per Galganet. *de condit. & demonstr. part. 2. cap. 1. quest. 106. num. 3.*



CAPVT LXVIII.

Quæ sit differentia inter administratorem generalem, & particularem, quoad redditionem rationis: Et ex quibus colligatur vtrum administrator sit generalis, vel particularis. Vtrum verum sit, Aduocatum cum Cliente contrahere non posse. Confessio ad tollendū scrupulum facta, vtrum noceat confitenti. Notarius vtrum possit deponere contra instrumentum per ipsum rogatum: Et si in instrumento dicatur quod quis confitetur recepisse in præsentia Notarij; vtrum ex eo probetur realis numeratio. Cancellatio instrumenti quid operetur: Et vtrum metus amissionis scripturarum, sit sufficiens ad obtinendam rescissionem contractus.

S V M M A R I V M.

1. Administrator particularis tenetur duntaxat reddere rationem de administratis, nec tenetur librum conficere.
2. Ratio non dicitur reddita in parte, sed in totum, si reddita fuerit de tota administratione particulari.
3. Qui non accessit ad administrationem omnia gesturus, non tenetur nisi de administratis.
4. Qui agit contra administratorem particularem, tenetur probare in specie quid per eum fuerit administratum.
5. Vtrum quis fuerit generalis administrator, probatur ex lectura mandati.
6. Generalis & libera administratio non censetur alicui concessa, nisi id in mandato exprimat in specie.
7. Observantia subsequuta declarat quam sit partium intentio circa administrationem.
8. Procurator non potest dici generalis, quando principalis multa gessit, aut alij eius nomine.
9. Aduocatus potest contrahere cum Cliente de re in iudicium non deducta.
10. Aduocatus potest emere à Cliente, aut ab eo donationem omnium bonorum accipere, licet in illis aliqua sint litigiosa.
11. Qui contraxit cum persona prohibita, potest nihilominus ab eadem liberationem obtinere.
12. Scrupulus est nuda dubitatio, vel titubatio animi, sine vlla ratione vel fundamento.
13. Verba illa vt omnis scrupulus auferatur, quid importent.
14. Quid intersit inter veram sufficionem, & scrupulum.
15. Conscientia scrupulosa quæ dicatur.
16. Confessio debet acceptari cum suis qualitatibus.
17. Liberationem eius qui administravit concipi sub verbis donationis vel gratificationis, non est inconueniens.
18. Confessio ad hoc vt præiudicet, debet concludere per necesse, non per possibile.
19. Confessio

19. *Confessio in dubio explicari debet in fauorem illius qui confitetur.*
20. *Confessio quæ non continet certam quantitatem, explicari debet de eo quod minimum est.*
21. *Notarius si deponat contra instrumentum per eum rogatum, non præiudicat partibus contrahentibus.*
22. *Verba solam confessionem importantia probant realem numerationem, si addita fuerint verba illa in instrumento in præsentia mei Notarij, & testium.*
23. *Instrumenti cancellatio solo verbo facta, illud destruit & euacuat.*
24. *Negotiorum gestor non potest teneri nisi de his quæ administrauit.*
25. *Quæ requirantur ut negotiorum gestor teneatur de non administratis.*
26. *Computorum solidatio plenam inducit liberationem.*
27. *Geminatio quitanciarum multum illas corroborat.*
28. *Aduersus liberationem iurata nemo auditur, nisi probet verum dolum.*
29. *Agens ad reuisionem computorum non auditur nisi exhibitis scripturis ipsi remissis.*
30. *In redditione computorum potest fieri gratificatio administratori, immò & tutori, per principalem legitime atatis.*
31. *Metus amissionis scripturarum dicitur iustus, quando agitur de statu vel libertate.*
32. *Metus amissionis scripturarum quando iustus non dicitur.*

Supponendum est in primis magnam esse differentiam inter administratorem generale, qualis est tutor, curator, aut negotiorum gestor, seu procurator, qui generaliter omnia alicuius negotia administranda suscepit; & particularem, cui vel simplex exactio, vel certarum rerum, & non vniuersi patrimonij administratio concessa, vel demandata fuit.

1. † Generalis enim administrator librum rationum conficere tenetur, non autem particularis seu simplex reddituum exactor. Rota coram Ludouif. *decif. 199. num. 4. & decif. 274. num. 3. & 4.* Item administrator generalis de omnibus rationem reddere tenetur; particularis autem de iis duntaxat quæ per eum gesta sunt. † Non enim dicitur ratio pro parte reddita, quando fuit reddita de tota administratione particulari. Rota, *decif. 342. num. 2. & 4. post. consil. Farin.* & ideo administrator qui non est generalis, tenetur duntaxat de administratis: ut dicitur in eadem *decif. num. 2.* Gratian. *discept. forens. cap. 665. num. 3.* Rot. *decif. 470. n. 1. & 4. part. 1. recent. repetita decif. 475. num. 1. & 4. part. 3. recent.* † Et ratio est quia cum hoc casu administrator non accesserit ad administrationem omnia gesturus, non tenetur nisi de administratis. Corn. *consil. 81. num. 6. lib. 4.* Rota. *decif. mox allegata num. 1. & apud Caualer. decif. 412. num. 2.*
4. Secundò supponendum est, eum qui agit contra administratorem particularem non esse fundatum, nisi probet in specie quid & quantum per eum fuerit administratum Socin. *consil. 24. num. 35. volum. 1.* vbi dicit quòd licet libellus generalis procedat, dum quis petit reddi rationem administrationis; non tamen potest ferri sententia, nisi actor probet in causæ prosecutione res, vel quantitates certas. Sequitur Crauet. *consil. 231. num. 14.* Cyriac. Nig. *controuers. 29. num. 12. & 13. volum. 1.* Munnoz *de ratiocin. cap. 4. num. 17. in fine.*
5. Tertiò supponendum est, quòd cum præallegati DD. & maximè Corneus, *dict. consil. 81. num. 6. lib. 4.* distinguant vtrum administrator accesserit omnia ge-

sturus, an non; loquuntur de eo qui non habebat certam aliquam potestatem, qualis est negotiorum gestor: & sic in casu dubio. Aliud est, si de potestate constet ex lectura mandati: tunc enim non est ad coniecturas recurrendum. *l. continuus. §. cum ita. ff. de verb. obligat.* † Ad hoc enim vt alicui censeatur concessa generalis & libera bonorum administratio, necessariò fieri debet ea de re specifica metio in mandato. *l. quam tiberonis. 7. §. al. a. ff. de pecul. Caualer. dict. decif. 412. num. 1.* † Et in effectu obseruantia subsequuta declarare debet mentem contrahentium in casu dubio, vtrum administrator fuerit generaliter constitutus, an non: Ludouis. *decif. 274. num. ult. in fine.*

Maximè autem dicitur exclusa qualitas generalis administratoris, quando verificatur quòd principalis per se, vel per alios multa exegit. Rota, *decif. 342. num. 5. post. consil. Farin. Caualer. dict. decif. 412. ante num. 1. versic. & licet Domini.*

Quartò resoluendum est, contractum liberationis factum administratori, non posse impugnari sub eo prætextu, quòd ille fungeretur munere Aduocati in causis sui principalis: Quia regula illa generalis qua dicitur contractus inter Aduocatum & Clientem factos non valere, debet intelligi vt locum habeat quando pactio facta fuit super re litigiosa, aut in iudicium deducta: si enim facta fuit super alia re, validus est contractus, nec impugnari potest propter qualitatem personæ Aduocati: vt bene decidit Guid. Pap. *decif. 102.* & ibi Addit. Ranchin. & alia Additio litera A. Carpan. *ad statut. Mediol. cap. 429. num. 1. part. 1.* Sicard. *ad l. creditori. §. num. 4. Cod. de pact.* vbi cum prius *num. 2.* proposuisset regulam generalem quòd Aduocati prohibètur inire pacta cum Clientibus suis, sicut expressum est in *l. 1. §. si cui. de variis & extraordinariis cognitionibus* his verbis vtitur *n. 4.* Præterea non obstat quòd diximus prohibitam esse pactiorem inter Aduocatos, & Clientes: quia omnes leges loquentes de illa prohibitione intelligi debent ne paciscantur de quota super litem. hætenus Sichard. qui dicit hanc esse pulchram limitationem ad dictas leges. Idem tradit Roland. *consil. 26. num. 21. versic. secus vbi promitteretur. volum. 3.* Plotus *tract. de in litem iurando. §. 16. num. 10.* vbi dicit quòd valet pactum inter Aduocatum & Clientem, quando fit non respectu eius quod in litem deducitur, sed ratione alicuius certæ rei in litem non deductæ. Bald. in *l. si quis Aduocatorum. §. num. 2. Cod. de postuland.* vbi dicit quòd valet pactum de re quæ non est in lite inter Clientem & Aduocatum. Idem dicit Aloisius de Leo in eadem *l. num. 3.* post Bald. Angel. & Salicet. *ibidem* allegat Gratian. *decif. 218. num. 2.* vbi tamen hoc limitat *num. 3.* nisi pactum fieret in casum victoriæ & ibi Additio rationem reddens: quia hoc casu esset pactum de quota litis, fieret enim habito respectu ad rem in iudicium deductam: & bene Codex Fabrian. *lib. 2. tit. 6. de procurator. definit. 22.* † Vbi dicit licitum esse Aduocato emere, aut aliter cõtrahere cum suo Cliente, dummodo non emat rem litigiosã, vel alienari prohibitã, immò vniuersorum bonorum donationem à suo Cliente Aduocatum recipere posse asserit; quamuis in illis bonis aliqua adesset litigiosa. *dict. tit. 6. definit. 21.* Nam vt ipse ait *definit. 23. num. 6.* sequeretur alioquin magno incommodo affici huiusce conditionis homines, ex publici officij susceptione, quod dici non debet.

Et hoc potissimum locum habere debet fauore liberationis necessariæ, ac dependentis ex contractu præcedenti inter easdem personas confecto, sicut depositarius rectè restituit pecuniam Monacho, vel ser-

uo, cum quo prius contraxerat. Ludouif. *decif.* 511. num. 6. Rot. *decif.* 487. num. 4. part. 1. recent. Addent. ad Ludouif. *dict. decif.* 511. num. 32.

12. Neque nocere potest allegata confessio administratoris petentis tibi condonari, vel fieri gratificationem, ad tollendum omnem scrupulum: quia talis confessio nullo modo nocere potest contententi. Siquidem scrupulum dicitur quis iniicere, qui sollicitudinem iniicit animo cuiuspiam; & scrupulum tollit qui sollicitudinem eximit: & sic illa confessio nihil infert, aut probat, nisi sollicitudinem animo inhaerentem, à quo confitens eximi desiderabat. † vt probatur per text. in *l. cum proponas Cod. de interd. matrimon.* in illis verbis: *vt omnis scrupulus auferatur*; vbi quòd licet sine ratione dubitaretur vtram foer prohiberetur dari curator nurui, cum de iure id fieri possit; tamen vt omnis scrupulus auferatur, peti potest vt alius eius loco detur: & ibi *Glof. in verb. omnis. scrupulus.* dicit scrupulum posse consistere vel in iure, vel in facto: & Bald. in *ead. l. cum proponas. num. 2.* dicit illum esse scrupulum suspitionis, & ideo dicit quòd vir bonus in eo quod facit, ita debet facere quòd non possit esse sinistra suspicio: & *ibidem num. 2.* dicit, quòd ad omne ambiguum remouendum lex dat ibi consilium, vt omnis tollatur scrupulus: vt *ibi* per eum.

- Et sane scrupulus ita definitur, vt sit leuis quaedam suspicio, aut existimatio ex leuibus orta rationibus & fundamentis, quia quis credit aliquid esse peccatum, quod non est. † Quod intelligendum est non de vera suspicione, vel credulitate, quæ assensum producat; sic enim esset opinio: aut de ea quæ vtriusque partis assensum excludat, sic enim esset dubium: sed quando vehemens est apprehensio ex leui fundamento quæ assensum partis contrariæ non excludit; sed titubare aliquantulum facit: vnde scrupulosa conscientia dicitur quæ dubitat, sed ex causa friuola, absque tamen rationabili fundamento. Ita loquitur Sanch. in *præcept. decalog. lib. 1. cap. 9. numer. 2.* vel aliter, scrupulus dicitur suspicio leuis, orta ex leuibus fundamentis, qua quis putat aliquid esse peccatum, quod reuera non est. † Et conscientia scrupulosa, est illa quæ vni parti adhæret cum formidine partis contrariæ ex leui motiuo, & minus sufficienti fundamento; timendo vbi non est timendum: vt loquitur Bonacin. in *tract. de peccat. disput. 2. quest. 4. punct. 6. num. 2. & 3.* † & ideo confessio illa acceptanda est, prout iacet & cum omnibus suis qualitatibus. *Surd. consil. 258. num. 4. Rot. decif. 434. num. 5. part. 5. recent.* † & verba gratificationis seu donationis petita ad fines tollendi scrupula non nocent, & non sunt contraria redditioni rationum, in qua licitum est, vt omnis tollatur scrupulus, vti verbo donationis: vt bene *decisum* fuit ad propositum in *Romana cura, coram Illustriss. bonæ mem. Du Nozet. die Mercurij 11. Martij 1620.* quæ hodie reperitur inserta in *recent. tomo. 2. partis 4. decif. 190. num. 6. & 7.* vbi dicitur non obstare quòd liberatio facta fuerit per viam donationis: quia hoc potuit fieri ad tollendas scrupulositates, quæ cõtingere potuissent.
18. Rursus confessio illa non nocet, cum non contineat aliquam summam certam, claram & determinatam; debet enim confessio concludere de necessitate, non per possibile. *Surd. consil. 5. num. 45. Rota decif. 131. num. 18. part. 1. diuers. & 443. num. 8. part. 1. recent.* † & in dubio interpretatio fieri debet ad fauorem contententis. *Surd. dict. consil. 5. num. 48. Rot. decif. 207. num. 13. part. 7. recent.* Addent. ad *Burat. decif. 443. num. 5. & 6.* † Et cum dicta confessio nullam contineat certam quantitatem, debet intelligi

de re modica; immò & de minima: per text. in *l. semper. in obscuris, quod minimum est sequimur. ff. de reg. iur. Tusch. tom. 2. litera C. conclus. 651. num. 1.* post *Oldrad. consil. 133. num. 3.*

Quintò concludendum est Notarium deponentem contra instrumentum per ipsum receptum, non posse præiudicare partibus contrahentibus. *Cod. Fabri. lib. 4. tit. 16. de fid. instrum. definit. 11.* quem citat & sequitur *Hodierna ad Surd. decif. 107. num. 2.* & ideo quamuis Notarius deponeret scripturas iustificatiuas computorum non fuisse receptas per principalem, non obstante confessione facta in instrumento, eius depositio pro nihilo habenda esset.

Quamuis enim instrumentum videatur nudam confessionem continere de receptis scripturis iustificatiuis computorum; tamen quia adsunt illa verba, *Confessus est se recepisse in presentia mei Notarij & testium*, verba illa, maximè iuncta clausula illa *presentialiter & in presentia mei Notarij*, important realem & actualem traditionem: quia verba illa non sunt verba partis, sed verba Notarij; ideo referri non possunt ad partis confessionem, & sic important realem traditionem: maximè cum scripturæ essent præsentis tempore contractus. *Socin. Senior. consil. 143. num. 1. versic. hoc etiam demonstratur. volum. 1.* & aliam rationem subiicit *Rota. decif. 310. num. 4. & sequentib. part. 4. recent.* Quòd cum in initio contractus in quo de confessione fit sermo, apponatur illa clausula *in presentia mei Notarij, & testium*, repetitio eorundem verborum inepte fieret in hac posteriori clausula, si non referretur ad realem & actualem traditionem.


Sextò concludendum est non esse dubitandum, quin mandata dicto administratori facta reuocata fuerint ab illa die, qua principalis declarauit se velle quòd illa habeantur pro cancellatis; cum instrumenti cancellatio possit fieri verbo, vel facto; & sola verbalis cancellatio sufficiat. *Tusch. litera C. conclus. 20. num. 3. & conclus. 22. num. 23.*

Neque potest dici quòd administratio facta fuerit post reuocatum mandatum, tanquam à negotiorum gestore: quia in omnem euentum non teneretur reddere rationem nisi de gestis, cum non accesserit omnia gestura: iuxta tradita in *l. tutori. 20. Cod. de negot. gestis.* † Et vt quis negotia alterius gerens teneatur de non administratis, probanda sunt requisita sequentia. Primò, quòd alius erat gesturus illa quæ ipse neglexit. Secundò, quòd ille alius erat diligens. Tertiò, quòd ille alius omisit gerere, ex eo quòd sciebat istum administratorem omnia esse gesturum. *Corneus dict. consil. 81. num. 6. volum. 4. Rot. dict. decif. 470. num. 4. part. 1. recent.*

Septimò concludendum est, ex computorum solidatione facta inter principalem & administratorem, induci plenam liberationem. *Surd. decif. 217. num. 14. Cyriac. controuers. 494. num. 16.* vbi aderat sola confessio quòd computa fuerant solidata: imò solam enunciatiuam solidationis computorum probare, & fidem facere censuit *Gratian. discept. forens. cap. 739. num. 30. & 35.* † Accedente maximè geminatione confessionum, & solidationis computorum, quæ facit vt omnia præsumantur facta cum maiori deliberatione. *Tusch. litera A conclus. 203. num. 87. Montan. de tutel. cap. 38. num. 162.* † Vnde non potest audiri principalis aduersus liberationem iuratam, nisi probet dolum verum, & non præsumptum. *Rot. decif. 101. per tot. post consil. Farinac.*

Immò antequam audiatur, non debet audiri nisi restitutis scripturis prius acceptis; alioqui ipsi dene-ganda est audientia, etiamsi iureiurando præstito affirmare vellet coram Iudice se scripturas illas amisisse,

29. aut præ manibus non habere: † vt decidit Rot. coram Illustrii. Domino du Nozet, 14. Iannarij 1619. in aitt. Romana Cura, decis. 71. num. 6. part. 4. recent. tom. 2. & 11. Martij 1620. corā eodē inserta ibidem decis. 190.
30. Nec obstant verba gratificationis; cū non sit inconueniens nec à iure alienum quòd creditor legitime ætatis suo administratori multas partitas per eum debitas gratiosè condonet, & remittat; cū bonis suis uti & abuti possit, & de illis gratiā facere, vel donare: vt per text. in l. calculi verj. sed & si gratiosè, ff. de administ. rer. ad Ciuit. pertin. determinat Montan. de tutel. cap. 38. num. 165.
31. Vltimò concludendum est metum amissionis instrumentorum, iustum dici, quando ageretur de libertate vel statu personæ; & ideo tunc ille metus sufficeret ad rescindendum contractum: vt dicit text. in l. isti quidem. 8. & ibi Glos. & DD. ff. de eo quod metus caus. quem ita intellexit Sanch. de matrim. lib. 4. disp. 5. n. 6. Farin. in fragment. in verb. metus. n. 117.
32. Sed quando agitur de aliis instrumentis dicta regula non procedit; nisi talia essent instrumenta, in quibus consisteret verificatio maioris partis bonorum, quæ aliunde haberi non posset; idque non propter instrumenta, sed propter metum amissionis bonorum, quorum maior pars amitteretur si instrumenta perderentur, aut cõburentur: vt dicit Glos. in d.l. isti quidem. §. 1. in verb. metu & ibidē Bald. Alberic. & alij; & ideo ratio cessat, si instrumenta non sint prædictæ qualitatis, maxime si sint simplices extrinsecus, quorum originalia facilè apud Notarios reperiri possunt.



CAPVT LXIX.

Matrimonio contracto secundum vsus & consuetudines Ciuitatis Parisiensis, vtrum debita pendente matrimonio exacta, quorum origo matrimonium præcedebat, inter acquestus numerentur ad effectum, vt cadant in coniugalem societatem. Fructus pendentes & radicati tempore mortis mariti; vtrum incidant in communionem. Quid sit dicendum de arreragijs, seu reliquis annuorum reddituum: expensa funeris an sit onus communionis coniugalis; an verò spectet ad hæredes mariti. Quid de legatis per maritum factis in fauorem domesticorum. Redemptio bonorum instantibus antiquis creditoribus vili pretio distractorum, si per maritum constante matrimonio facta sit de suis pecunijs, an in eo quod vtilitatis accessit, partem habeat vxor bonorum socia; an etiam in melioramētis cõstante matrimonio factis: & quomodò illa hoc debeant æstimari.

S V M M A R I V M.

1. Stante pacto communionis inter virum & uxorem debita ante matrimonium concepta, & per maritum constante matrimonio exacta, non numerantur inter acquestus.
2. Diminutiones patrimonij post mortem testatoris obuinentes, si causam habeant à tempore vite testatoris falcidiam diminuunt.

3. Quæ post mortem obuenerunt in hereditate ex causa, qua habet originem viuente testatore, augent hereditatem & falcidiam.
4. Consolidatio vsusfructus facta tempore matrimonij ex causa præcedenti, censetur facta ante matrimonium.
5. Quod dependet causatiuè à suo principio, referri debet ad principium.
6. Si pactum redemptiuum executioni demandetur, soluto matrimonio, referendum est ad tempus matrimonij quo fuit contractum.
7. Fructus pendentes & radicati tempore mortis mariti, sunt hereditarij; sed expensa cultus pertinet ad communionem.
8. Fructus pendentes in bonis patrimonialibus vxoris nõ communibus, spectant ad uxorem tempore mortis mariti & sit eorum compensatio cum fructibus pendentibus in bonis mariti.
9. L. diuortio. ff. soluto matrimonio. non habet locū in Gallia, quoad bona in quibus maritus & vxor ex consuetudine sunt in communionem.
10. In fructibus tamen beneficiorum. l. diuortio. seruatur in Gallia, & fructus mortuo beneficiario pro rata diuiduntur inter heredem, & successorem beneficij.
11. Arreragia annuorum reddituum spectant ad societatem coniugalem.
12. Reditus annui currentes tempore mortis mariti & dissoluta communionis reputantur inter acquestus.
13. Pensiones seu præstationes reales qua debentur occasione bonorum immobilium, eodem iurè censentur quo fructus bonorum immobilium.
14. Expensa funerum sunt onus hereditatis, non societatis coniugalis.
15. Legata gratuita per maritū facta de illius hereditate, & nõ de bonis cõmunione soluenda sunt.
16. Legata in eo in quo sunt onerosa, & verè remuneratoria, vxor bonorum socia pro parte sua soluere tenetur.
17. Si maritus bona antiquis creditoribus viliori pretio distracta redemerit. vilitatem inde prouenientem communem esse verum est; sed dubium, vtrum communicari debeat æstimatio maioris valoris, an verò ipsum prædium seu res redempta.
18. Verius est hoc casu uxorem, solam pretij partem prætere posse.
19. Si de bonis ante matrimonium acquisitis transactum fuerit mediante pecuniâ, sola pecunia in communionem ponenda est.
20. Si maritus prædium patrimoniale retraxerit, non prædium, sed pecunia qua retractus factus est, in communionem venit.
21. Ius retractus competit ratione personæ, non autem ratione bonorum socialium.
22. Quando finis habet necessariam connexitatem ad suum principium; debet haberi respectus ad principium, & non ad finem.
23. Reparationes & melioramenta per maritum constante matrimonio facta, numerantur inter acquestus, quatenus bonorum æstimatio aucta fuit.
24. Melioramenta solo cedunt, & sunt eiusdem nature prout ipse fundus.
25. Æstimatio reparationum fieri debet prout bona meliora facta fuerunt, habito respectu ad tempus dissolute societatis.
26. In societate coniugali, inæqualitas omnino vitanda est.



Marius vxori medietatem acquestuum & con-
questuum, secundum usum & consuetudinem
Parisiensem in contractu matrimonij donauerat:
mortuo marito, variæ ortæ fuerunt difficultates, vt
dicta medietas ad praxim reducta & liquidata vxori
traderetur: quarum resolutio pro interpretatione si-
milium contractuum vtilissima est.

- In primis dubitatum fuit, vtrum summæ quæ ma-
rito debebantur ante contractum matrimonij, & pen-
dente matrimonio exactæ fuerunt numerari debeant
1. inter acquestus. † Respondi debita exacta pendente
matrimonio dependentia ex contractibus ante matri-
monium celebratis, inter acquestus pendente matri-
monio factos numerari non posse: cum originem du-
cant à causa antecedenti: ideo à primordio tituli po-
sterior formetur euentus. Probatum per text. in l. in
 2. rationem 11. §. Imperator ff. ad l. falcid. † vbi decidi-
tur diminutiones patrimonij testatoris, si post mortem
ipsius superuenerint, habeant tamen causam & ori-
ginem tempore vitæ ipsius, censi superuenerisse tem-
pore vitæ; & per consequens per ipsas falcidiâ dimi-
nui: ita vt semper debeat haberi ratio causæ & origi-
nis: l. serui qui apud hostes. 42. ff. ad leg. falcid. vbi di-
citur quod serui qui apud hostes sunt, post mortem te-
statoris reuersi, quod ad falcidiâ pertinet, locupletio-
 3. rem faciunt hæreditatē. † Ex qua lege Alexander col-
ligit res quæ post mortem superuenerunt ex causa habē-
te originem in vita testatoris, in patrimonio cōputari.
Chassan. in consuet. Burg. rubric. 4. §. 9. n. 3. Lupus, in
tract. de lucris mariti. & vxor. cap. 6. aliàs §. 62. n. 13.
 4. versic. cogit: bis. vbi dicit † quod consolidatio vsus-
fructus cum proprietate, quamuis fiat tempore matri-
monij; tamen habet originem à tempore præterito,
antequam matrimonium esset contractum; nempe
vel ratione legati vel alterius dispositionis propter
quam postea fit dicta consolidatio: vnde iudicari de-
 5. bet ac si ante matrimonium facta fuisset. † Et ex quo
finis, id est solutio habet necessariam consequentiam
ad suum principium, maxime causatiuè, habetur res-
pectus ad initium, & non ad finem. Argentr. in con-
 6. suet. Britan. artic. 219. glos. 6. n. 4. litera. E & F. † vbi
dicit, quod si virtute contractus durante matrimonio
facti acquiratur in vim pacti redemptionis in eo ap-
positi, cuius pacti conditio post solum matrimonium
existat; de eo sic debet iudicari, ac si dissoluti
matrimonij tempore res in rerum natura, & in bonis
coniugum reperta esset in primaria sua natura. Lo-
uet litera A num. 3. & ibi Addent.
 7. Secundò concludendum est, fructus bonorum pa-
trimonialium seu priorum mariti pendentes &
radicatos tempore mortis mariti esse hæreditarios,
& pertinere ad hæredem, cum onere tamen soluendi
communioni seu societati coniugum medietatem la-
boris & seminis: iuxta artic. 231. consuetud. Parisien.
 8. Bacquet. in tract. des droitz de iustice, cap. 15. n. 59.
† vbi idem dicit obseruandum esse, tam in fructibus
pendentibus in bonis patrimonialibus vxoris, quàm
 9. mariti, & si fructus bonorum tam mariti quàm vxor-
is concurrant, fieri compensationem. † Et hac ratio-
ne legem diuortio. ff. solut. matrim. assignantem mari-
to fructus bonorum dotalium pro rata temporis, quo
sustinuit onera matrimonij, non obseruari in casibus
 10. in quibus viget consuetudo Parisiensis, dum agitur de
fructibus bonorum dotalium: † secus si agatur de
fructibus beneficiorum, in quibus locus est disposi-
tioni dict. l. diuortio. in Gallia, sicuti & cap. final. §.
porro. de offic. Ordin. in 6. cum possidentes beneficia
faciant fructus suos pro rata temporis, quo sustinue-
runt onera beneficij, siue sit Episcopatus, siue Abba-
tia, siue Prioratus, aut alia Ecclesia. Et quod supra-

dictum est de fructibus bonorum dotalium, confir-
matur ex traditis per Bouuot, in quest. notab. part. 2. in
verb. fructus. quest. prima.

Tertiò concluditur, omnia areragia siue reliqua
annuorum reddituum inter acquestus & mobilia nu-
merari, & per consequens in iis vxori competere me-
diatatem vigore pacti: ipsam verò sortem seu ca-
pitalia dictorum annuorum reddituum, immobilia iu-
dicati: vt notat Argentr. in consuet. Britan. artic.
219. glos. 5. num. 5. maxime stante artic. 94. consue-
tud. Parisiensis, quo statuitur redditus in pecunia nu-
merata constitutos, inter immobilia numerari an-
tequam redimantur. † Sed quod attinet ad redditus
currentes tempore mortis mariti, certum est illos
computari debere pro rata temporis inter acquestus
& mobilia, cum sint fructus ciuiles qui singulis
diebus percipiuntur. Bald. in cap. cum M. num. 5.
column. 2. versic. nota quod domina. de constitutionib.
Couar. lib. 1. variar. resol. cap. 15. num. 10. & sequen-
tib. Tiraquel. lib. 2. de retract. §. 5. glos. 3. † Sed hoc
intelligendum est de pensionibus personalibus, non
autem de realibus, quæ debentur respectu fructuum
bonorum immobilium pro quibus debentur: vt no-
tant Couar. & Tiraquel. in locis supra citatis. Castill.
de usufruct. cap. 78. num. 7.

Quartò quoad expensas funerum illæ solui de-
bent per hæredem de bonis hæreditatis, non de bo-
nis communionis seu societatis coniugalis: quia mor-
tuo marito vxor non tenetur ad aliquam contributio-
nem, ideo debet remanere exempta à solutione ex-
pensarum funeris, quæ incipit duntaxat deberi post
mortem mariti, per quam extincta fuit societas con-
iugalis. Chass. in consuet. Burgund. rubric. 4. §. 9. in
verb. ez frais funeraux. num. 1. & sequentib.


Quintò, quod attinet ad legata per maritum facta
in fauorem familiarium & domesticorum; distinguen-
dum est: aut enim sunt legata gratuita, aut remun-
eratoria: si gratuita, non potuerunt per maritum fieri
in præiudiciū vxoris, ad quam medietas acquestuum
& conquestuum pertinebat. Chass. d. §. 9. in verb. &
ne sont point legats, n. 1. & 2. nam per art. 296. aliàs
94. dicta consuetudinis Parisien. prohibita est marito
dispositio testamentaria in præiudiciū acquestuum
& conquestuum, quorū medietas pertinet ad vxorem.

Si verò sint legata onerosa & remuneratoria, ca-
pienda sunt super bonis societatis cōiugalis pro rata
oneris. Argentr. d. art. 219. glos. 5. n. 1. & 2. Segura, in d.
tract. de lucris mariti. & vxor. n. 34. Roderic. Suarez, in
eod. tract. n. 52. aliquid simile Renat. Chopin. in tract.
de priuileg. rustic. lib. 3. cap. 4. versic. ita autem legibus.

Sextò maius dubiū videtur circa solutiones factas
creditoribus bonorum patrimonialium antiquorum, quæ
cum vili pretio distracta fuissent, illaque publico de-
creto creditoribus antiquis adiudicata; fuerunt per
maritū restituto illis pretio redempta; vtrum videlicet
maior ille bonorū valor pro medietate ad vxorē tan-
quā acquestus pertinere debeat, an verò ad hæredita-
tem mariti, iure patrimonij: siquidē Chopin. d. cap. 4.
mox citato; nec non Additio ad Papon lib. 15. arrest.
22. in verb. si le mary vend. loquuntur alternativè,
nempe quod maritus redimens bona antiqua pro-
priis pecuniis, tenetur in societate reponere vel
acquisiti fundi, vel pretij parrem: & eodem modo
loquitur arrestum Kalendis Martij anno 1567. pro-
larum, de quo loquitur Chopin, loc. citato.

Nihilominus tamen verum videtur, viduam ni-
hil posse prætere vltra dimidiā partem pretij per
maritum soluti. Ratio est, quia bona redempta sunt
antiqua, & patrimonialia: & per consequens ma-
ritus non auxit patrimonium suum, nisi quoad
pretium

- pretium exbursum : in eo verò quod est ultra pretium solutum, non tam acquirere quam non amittere maritus censetur : vnde Argentr. *d. artic. 219. gloss. 5. n. 5.* de sola pretij computatione loquitur Louet; *litera. T. n. 5.* † Vbi concluditur quòd de bonis ante matrimonium quæsitis factâ transactione mediante pecuniâ, sola pecunia incidit in communionem ; non autem bona transactione quæsitâ : non enim omnis acquisitio communicatur inter virum & vxorem, sed solum ea quæ fit constante matrimonio, & non dependet à iure iam alteri eorum ante matrimonium quæsitio : vt dicit Addit. *ad dictum. n. 5. litera. A.* Idem Louet *litera, A. n. 3.*
19. Et præmissa probantur ex communi DD. conclusione qui dicunt quòd quando maritus fundum patrimoniale retransit, pretium per eum solutum pro retransitu commune fit inter coniuges, non autem ipse fundus. Ita Sancius *in tract. de diuis. bonor. lib. 2. cap. 11. n. 11. & 47.* Ratio est in iure fundata ; † quia videlicet ius retractus acquiritur contemplatione personæ, & ex causa speciali ; & per consequens non debet eius occasione quidpiam acquiri societati. *l. verè. §. si seruo. ff. pro socio.* & generale est, † quòd quando finis habet connexitatem necessariam cum suo principio, debet haberi respectus ad principium, non ad finem. *l. damni infecti. §. Sabini. ff. de damno infecti. l. quod ait lex. §. final. & l. 3. §. scio. ff. de minor. d. l. in ratione. 1. §. Imperator. ff. ad leg. falcid. & per has rationes aliæque iura per eum deducta sic resoluit Anton. Gomez. ad l. 70. Tauri. n. 28.*
20. Septimò, quod attinet ad reparationes & melioramenta notabilia per maritum constante matrimonio facta, illa reputantur inter acquestus, quatenus illis mediantibus hæreditas aucta fuit in valore, & æstimatione : nam quoad melioramenta pro sola commoditate facta, vel ea quæ non sunt magni momenti, inter acquestus computanda non sunt. Consideranda igitur tantum sunt melioramenta in quantum bonorum valore adaugent. Charond. *lib. 2. respons. 63.* † cum melioramenta & reparationes solo cedat, & eiusdem naturæ sint cuius ipse fundus, si sint permanentes : veluti muri solaria, camini, & aliæ similes concernentes partes integrales domus, quæ propterea non debet æstimari nisi quatenus bona in valore aucta sint, iuxta relationem per peritos faciendam. Bouot. *in qq. notab. par. 2. in verb. Mere, q. 3. versic. enquis aussi si les reparations.*
21. Æstimatio autem hac ratione facienda est, vt non rudera, aut materia vel cæmenta, nec omnes expensæ per maritum factæ inspiciantur ; sed quantitas & valor auctus bonorum mediantibus reparationibus, non quidem respectu temporis quo meliorationes factæ sunt ; sed respectu temporis quo societas coniugalis dissoluta fuit Bouot. *in cõsuet. Burgund. tit. des droits appartenants aux gens mariez. §. 25. versic. s'il y a edifice fol. 193.* † Et ratio euidentis est, quia si aliter feret, oriri posset magna inæqualitas & disproportion inter socios acquestu, contra naturam societatis ; & maritus forsân potuisset fecisse magnas expensas, per quas bona non fuissent aucta in notabili valore, vel forsân ex aliqua causa exteriori, vtilitas per reparationes causata ad nihilum vel ad modicum reduci : & hoc casu sequeretur absurdum, nempe quòd ad maritum nulla aut pauca deuenisset vtilitas ; ad vxorem verò magna : & tota iactura marito, tota verò expensa societati tribueretur, quod non est dicendum. Hæc probantur in *l. domos. 61. ff. de legat. 1.* Ibi *adificiorum & c.* Bart. *in l. 3. ff. de impens. in reb. dotal. factis.* Barbof. *in l. diuortio. §. fin. n. 40. versic. est tamen aduertendum. ff. solut. matrim.*



CAPVT LXX.

Matrem grauata de restituendo alicui ex filiis hæreditatem, in qua adsunt pecuniæ & mobilia ; teneri cauere non solum iuratoriè, sed etiam idoneè. Quomodo intelligendum sit quod dicitur illam non teneri cauere nisi pro possibilitate. Quomodo substituto consulendum sit, si mater idoneè cauere non possit. Et quid continere debeat huiusmodi cautio.

S V M M A R I V M.

- 1 Heres grauatus tenetur regulariter cauere de restituendo fideicommissum.
- 2 Pater vel mater grauati de restituendo fideicommissum, non tenentur cauere : quod an verum sit, vide inferius num. 17.
- 3 Pater vel Dominus qui filium emancipauit, vel seruum manumisit, non tenentur ad cautionem fideiussoriam ; sed tantum ad iuratoriam.
- 4 Textus in l. iubemus. §. in supradictis. Cod. ad Trebellian. non est extendendus extra causam suam.
- 5 Mater grauata de restituendo liberis suis ab alio, quam à proprio parente primi gradus, tenetur cauere de restituendo fideicommissum liberis.
- 6 Mater etiam à proprio parente grauata tenetur fideicommissi nomine cauere liberis suis, si ad secunda vota transierit.
- 7 Quando mater grauata non est filia primi gradus grauantis, tenetur liberis suis cauere fideicommissi nomine.
- 8 Cautio de fideicommissis præstandis, est in usu quo ad mobilia & pecunias, non quo ad immobilia.
- 9 Mater tenetur cauere liberis pro possibilitate. Intellige vt num. 14.
- 10 Cautio per heredem grauatum præstanda est de bonis fideicommissi seruandis, & non deteriorandis, & de dolo malo abfurro, & de restituendo bona casu restitutionis adueniente.
- 11 Cautio fideicommissi nomine præstari debet idonea datis pignoribus, vel fideiussoribus.
- 12 Si heres grauatus solam offerat iuratoriam cautionem, peti potest per fideicommissarium vt mittatur in possessionem bonorum.
- 13 Cautio iuratoria non admittitur, quando alio modo partibus potest esse consultum ; veluti per depositum, vel aliis modis.
- 14 Quod dicitur heredem teneri cauere tantum pro possibilitate, intelligendum est vt procedat quo ad immobilia ; nam quo ad mobilia & pecunias debet cauere idoneè.
- 15 Cautio admittitur pro possibilitate, quando agitur de Regno, vel Ducatu.
- 16 Idem dicendum est si ageretur de tam magno & amplo patrimonio, vt impossibile esset reperiri fideiussorem.
- 17 Quando mater, aut alius grauatus non potest cauere idoneè, mittitur fideicommissarius in possessionem bonorum causâ rei seruandæ ; vel prouidetur partibus per depositum seu sequestrum apud personam idoneam.

Dubitatum fuit vtrum mater hæres instituta, & grauata de restituendo filio, teneatur & cogi possit ad dandam cautionem saltem pro mobilibus restituendis, adueniente casu fideicommissi.

1. Regula generalis est, quod hæres grauatus de restituendo, tenetur dictam cautionem præstare: vt tradunt plurimi DD. allegati per Fufar. *de substi. q. 515. num. 1.*
2. Sed tamen regula illa limitatur per Peregr. *artic. 40. n. 10. in fine*: vt locum non habeat in patre vel matre, grauatis de restituendo liberis suis: sequitur Fufar. *de substi. d. quest. 515. num. 12.*
3. Verum, hæc limitatio non procedebat in casu proposito: quia text. in *l. filio. 7. ff. vt legat. & fideicom. nom. caueatur*, quo præcipue nititur Fufar. *loco citato*, loquitur specialiter in patre qui filium habebat in sua potestate, vel Domino qui erat grauatus de restituendo seruo suo sub conditione. Nã si pater filium emanciparet, vel Dominus seruum manumitteret; disputabatur vtrum cautio peti posset: sed in hoc dubio Paulus Iurisconsultus mediam viam eligendo dixit, illos teneri præstare cautionem duntaxat cum hypotheca rerum suarum; & sic iuratoriam, non autem fideiussoriam. Quod ideo sic constitutum fuit, ne patri vel Domino beneficium emancipationis seu manumissionis esset onerosum: vt dicit Gloss. *in d. l. filio. & ibi DD.* & ideo textus ille non debet extēdi ad matrē, cui non cōuenit emācipatio, cum liberos nō habeat in potestate.
4. Textus autem *l. iubemus. 6. §. in supradictis. Cod. ad Trebellian.* ad quem se remittit Peregr. obiter tantum loquens & non ex professo tractans *loco cit. n. 10. in fine*, procedit duntaxat in suo casu speciali: vt probatur ex verbis dicti textus, ibi, *in supradictis autem casibus*. Vnde cum in *d. l. iubemus* expressus tantum fuisset casus, quando pater vel mater qui erat filius vel filia primi gradus respectu testatoris grauatus vel grauata erat restituere liberis suis: † ideo dispositio dictæ *l.* cessare debet quando non agitur de matre grauata restituere liberis suis ab alio, quàm à proprio parente primi gradus: vt benè aduertunt Molin. *tract. de primogen. lib. 1. cap. 15. n. 31. versic. qua ratione*. Rota, *decis. 168. à n. 4. vsque ad 11. part. 5. recent.* Bertrand. *consil. 19. n. 2. part. 1. poster.* Cancr. *lib. 1. variar. resol. cap. 2. n. 130. in fin. in nouis.*
5. Gallus autem (quem allegat Fufar in contrarium) in *tract. de except. part. 2. except. 23. n. 93. fol. 537.* non loquitur de matre, sed tantum de patre: per text. in *d. l. filio. 7. ff. vt legatorum & fideicom. nomine caueatur*, & dum dicit quod coniux ad secundas nuptias transiens, tenetur cauere de restituendo fideicommissio, loquitur in casu dicti §. *in supradictis*; non autem generaliter de qualibet matre grauata.
6. Plotus autem in loco per Fufar. allegato nempe in *tract. de in lit. iurand. §. 26. num. 6. in fin.* se remittit etiam ad dispositionem dictæ *l. iubemus*. & ad Gloss. *l. 1. ff. vt legat. vel fideicom. nomin. caueatur*. quæ in *verb. semper. in fine eiusdem glossæ* allegat *l. iubemus*. vt probet quod liberi testatoris non satisfiant, nisi testator id præceperit; statim subdit id esse speciale, quando filius à patre rogatus est restituere filio suo: & sic patet quod illa limitatio locum habere non potest quando mater illa quæ est grauata de restituendo filiis suis, non est filia ipsius testatoris: atque ita remanet firma sententia Molinæ *loco citato*.
7. Et licet aliqui DD. asserant cautionem istam nomine legatorum & fideicommissorum non esse in vsu, provt D. Ludou. Bell. *consil. 106. n. 7.* tamen consuetudo illa locum habere non potest quoad mobilia, sed tantum quoad immobilia: vt tenuit Rota Romana, *dec. 168. n. 5. par. 5. recent. & dec. 193. n. 11. par. 6. recent.*

Sed iterum dubitatum fuit, posito quod mater teneatur cauere pro mobilibus & pecuniis hæreditariis, vtrum teneatur tantum cauere iuratorie, & pro possibilitate iuxta Peregr. *de fideicom. art. 40. n. 10. post medium versic. pro possibilitate tamen*. Gratian. *discept. forens. c. 822. n. 5. cum aliis per eum allegatis*.


His non obstantibus remanet firma conclusio matrem teneri ad præstādam idoneam cautionem de bonis fideicommissi seruandis, & non deteriorandis, & de dolo malo ab futuro, & de restituendo bona casu restitutionis adueniente, iuxta formam traditam per Riminald. iun. *consil. 656. n. 13. † Ratio est quia cautio ista est pratoria, & propterea non sufficit iuratoria; sed debet esse idonea datis pignoribus, vel fideiussoribus: vt benè comprobatur Cuiac. lib. 9. obseruat. c. 5. & in notis ad Paul. lib. 14. ad edictum. in l. de die. 8. §. tutor. ff. qui satisfdar. cogant. volum. 1. fol. mihi 983. quod etiam tradit Lupus, in repetit. cap. per vestras. de donat. inter vir. & vxor. in 2. part. §. 44. n. 5. fol. mihi 67. & in 3. & 4. colum. Peregr. d. art. 40. n. 10. his verbis, & cautio cum fideiussoribus idoneis est præstanda; per text. in l. 1. ff. vt legat. nom. caueatur. Molin. de primogen. lib. 1. c. 15. n. 15. & 18. per l. quoties. ff. qui satisfdare cogant. † Ita vt si hæres solam iuratoriam offerat cautionem, non audiatur, sed fideicommissarius mittendus sit in possessionem. Hering. de fideiussor. c. 18. n. 104. & ita fuit decisum per Ioseph. Ludouic. *decis. Perus. 63. per tot. maxime n. 10. & seqq. eā ratione, † quia cautio iuratoria non admittitur, quando alio modo consultum esse potest vtrique parti, provt in hoc casu, in quo pecunia & mobilia seu pretium ipsorum reponi possunt penes honestam personam, & ad honestum lucrum: vt sic hæres fructus habeat, substitutus verò capitale eueniente casu restitutionis consequatur: vt dicitur in d. *decis. 63. per Ioseph. Ludouic. n. 23. & 24. post Roland. consil. 43. n. 49. volum. 2. Hering. d. cap. 18. n. 111. Surd. in simili casu decis. 141. n. 14.***

Et ex his non obstant tradita per Gratian. & Peregr. in locis supra citatis, quod scilicet hæres non teneatur cauere nisi pro possibilitate: quia intelligenda sunt quando fideicommissum consistit in rebus immobilibus; provt ita intelligenda esse censuit Rota Romana *d. decis. 168. n. 5. & 6. part. 5. recent.* cum vt mox diximus, ipsemet Peregr. *d. n. 10.* asserat cautionem huiusmodi cum fideiussoribus esse præstandam, qui nisi ita intelligeretur, sibi esset contrarius: & in effectu DD. ferè omnes se remittunt ad Molin. de primogen. Hispan. lib. 1. c. 15. n. 18. & 19. qui loquitur in casu speciali, videlicet † si ageretur de Regno, Ducatu, vel alio magno patrimonio, pro quo nullus idoneus posset reperiri fideiussor; quo casu dicit admittendam esse cautionem pro possibilitate. Roderic. Suar. de compendinationibus. §. nunc opportunè. n. 18. versic. vnum tene menti. fol. mihi. 199. † Vbi dicit quod si pupillus est ita diues, vt nimis esset difficile inuenire talem fideiussorem, poterit tolerari etiam minus sufficiens; quod probat per textum elegantem in *l. fin. §. sed siquidem. Cod. de curat. furios.* ibi, *tunc etiam fideiussor in quantum possibile est ab eo exploretur*; quem textum dicit allegari per Bald. in *l. fin. Cod. de Magistrat. conueniend.* & in hoc sensu intelligenda sunt ea quæ dicuntur per præfatos DD. dum volunt cautionem admittendam esse pro possibilitate.

Et hoc casu si mater grauata non possit alia ratione cauere pro mobilibus & pecuniis, aliis remediis pro possibilitate prouideretur; nempe quod si cautio præstari nō possit, fiet immisso in possessionem bonorum, causâ rei seruandæ, vel alio iuris remedio prouidebitur; vt tenet Gomef. in *l. Tau. 40. num. 78.*

Lup. in d. cap. per vestras. §. 44. numer. 5. in fine. vbi dicit quòd potest fieri tali casu sequestrum apud idoneam personam, quæ bona teneat pro securitate successoris.

Vnde sequitur non sufficere cautionem iuratoriam pro mobilibus & pecuniis, sed Iudicem debere securitati & indemnitati successoris, quando agitur de pecuniis vel mobilibus; prouidere.



CAPVT LXXI.

Incrementa per alluionem territorij alicuius loci accedentia, vtrùm spectent ad Dominum iurisdictionalem huius loci; an verò ad particulares prope ripam prædia possidentes; an denique ad fiscum. Quid si Dominus fuerit inuestitus de toto territorio, aut si concessa illi fuerint Regalia; Vtrùm flumen non nauigabile omni genere nauigij contineatur sub nomine Regaliorum: Et quando verum sit Communitatem esse fundatam in pascuis, nemoribus, & terris herbidis.

S V M M A R I V M.

1. Quibus concessum est prædium limitatum, ius alluionis competere non potest.
2. Alluio non mutat confines territoriorum nec parochiarum, quando sunt limitati.
3. Alluio vtrùm mutet terminos iurisdictionum. Remissiuè.
4. Si agri non sint limitati, quod alluione quaritur pertinet ad prædium vicini iure gentium.
5. Officiales Principis iure prætendunt incrementa alluionis, si talis sit consuetudo.
6. In Gallia incrementa pertinent ad Regem.
7. Hodie iure Romano fiscus occupat incrementa alluionum.
8. Iure nouissimo, omnia ferè prædia limitata conceduntur.
9. Quidquid prædiis ultra mensuram limitatam accedit, hodie ad Principem spectat, cum nullus in bonis sit.
10. Dominus loci inuestitus de toto territorio, dominus est incrementorum.
11. Idem dicendum est, si Domino iurisdictionali concessa fuerint à Principe Regalia.
12. Rates appellatione nauigij continentur.
13. Flumen dicitur nauigabile quamuis non omni nauigij genere sit nauigabile: ideo illius incrementa dicuntur de Regalibus.
14. Cursus aquarum, flumina & lacus pertinent ad eum, ad quem pertinent Regalia.
15. Bona vacantia pertinent ad fiscum, si quis nullo relicto hærede moriatur, nec non omnia bona herema & à nemine possessa.
16. Si dominus loci incrementa alluionis possideat, præsumuntur feudalia.
17. Si bona possideantur per feudatarium, præsumendum est illa à Principe fuisse possessa tempore concessionis, & tradita feudatario per Principem.
18. Inuestitus de territorio, præsumitur inuestitus de omnibus contentis in ipso.
19. Bona herema & pascua qua non possidentur per

Communitatem, sed per Dominum; præsumuntur esse Domini.

20. Princeps concedens inuestituras cum clausulis amplissimis, censetur concessisse prædia inculta.
21. Non datur actio spoliij contra feudatarium ratione illius rei, cuius possessio erat apud concedentem.
22. Dominus non potest uti pascuis nisi moderatè, non autem ut conuertat totum in suam utilitatem.
23. Intellige in pascuis in quorum possessione est Communitas, non autem quoad pascua in quorum possessione Dominus loci reperitur: cum in illis habeat pro se iuris præsumptionem.
24. Ex generali Gallia consuetudine Domini iurisdictionales præsumuntur Domini pascuorum, nemorum, & similium bonorum.

Non leuis est disceptatio circa incrementa territorij per alluionem adiuncta, cum particulares prædia vicina habentes, illa ad se spectare contendunt, Dominis iurisdictionalibus eadem vindicare volentibus, quibus accedit fiscus supremi Principis, seu Agentes & Officiales ipsius, qui & Dominos loci & particulares excludere volunt, prætendentes ius sibi competere illa in emphyteusim concedendi sub reservatione directi dominij & canonis annui.

Particulares quidem, si agri ipsis limitati concessi fuerint nullum ius alluionis prætereant possunt. *l. in agris. ff. de acquir. rei domin.* † Vnde nec alluio mutat confines territoriorum, nec parochiarum, quando sunt limitati. *Pereg. de iure fisc. lib. 8. num. 77.* † Qui *n. 80.* explicat vtrùm ex alluione mutetur iurisdictionis. † Si verò agri non sunt limitati, quidquid per alluionem accreuit, pertinet iure gentium ad dominum prædij vicini. *l. adeo. §. prætereant. ff. de acquir. rer. domin. Peregr. ibidem, num. 69.*


Officiales fisci incrementa ista iure petere possunt, si talis sit consuetudo, vt ad fiscum seu Cameram Principis pertineant: vt dicit *Peregr. loco citato, n. 70.* † talis autem consuetudo viget in Gallia, vbi *les isles atterissemens, & establissemens* appartiennent au Roy, vt testatur *Bacquet des droicts de iustice, cap. 30. n. 5. & 6.* facit *l. Casar. 15 ff. de public.* vbi legitur Cæsarem insulam Cretæ legasse, & *l. insula. 9. ff. de iudic.* vbi dicitur insulas Italiæ esse partem Italiæ & cuiusque prouinciæ. & *l. adeo. 7. §. si insula. ff. de acquir. rer. domino. l. 1. §. si insula. ff. de fluminib.* Ex quibus colligitur, quòd cessante consuetudine contraria, Principis fiscus nihil prætereant potest super insula in flumine publico nata: quia si agri limitati fuerint, sit occupantis: sin minus ad eos pertinet qui vicina prædia possident. † *7.* Quanquã hodie ex iure Romano prædij incrementa ex alluione prodeuntia ad fiscum pertinere testetur *Bernard. Autum. in d. l. in agris. 16. ff. de acquir. rer. domin.* † Talia autem nempe limitata hodie sunt omnia ferè quæ conceduntur prædia, teste *Mench. consil. 201. n. 158.* † Ideo cum quidquid prædiis ultra mensuram limitatam accedit, nullius in bonis sit, ad Principem spectare debet: vt dicit *Guid. Conchilius in suis quaest. 7.*

Sed Dominus loci si in ius Principis successerit, Fiscus ipsius seu Cameram iuste potest excludere: veluti si inuestituram loci & totius territorij obtinuerit; cum enim totum territorium sit feudale, incrementa quoque feudalia territorio accedentia erunt feudalia: vt notatur in *§. si quis de manso, & in cap. 1. si de inuestitura. feudal. fuerit controuers.* quod fufius explicat *Roland. Cauagnol. decis. consult. lib. 1. decis. 41.*

11. Eadem militat ratio in Domino iurisdictionali cui ex Principis concessione competunt Regalia: cum enim Regaliorum appellatione flumina publica contineantur quale est flumen de quo agitur quod est nauigabile, quamuis non omni nauigij genere, sequitur ipsum flumen, & quod ab eo dimittitur ad Feudatarium pertinere. † Quod autem ad hoc ut flumen publicum dicatur sufficiat illud esse nauigabile non omni, sed certo nauigij genere, probat Georg. Euerard. *consil.* 47. *num.* 26. 27. & 28. *volum.* 1. per text. in *l. 1. in princip.*
13. *iuncto §. ai prator. ff. de flumin.* † vbi nauigij appellatione rates etiam continentur: quia plerumque & ratiū vsus necessarius est. Igitur Regaliorum appellatione continetur incrementum per flumen illud dimissum: † certus enim aquarum, & flumina, & lacus ad eum pertinent, ad quem pertinent Regalia: per text. in *cap. 1. que sint Regalia.* Bart. in *rubric. ff. ut in flumin. public. nauig. lic.* Angel. in *l. flumina. in princip. n. 3. ff. de dam. infect.* Cepola, *de seruit. cap. 31. de fluminib. ante n. 5.* dicens quod qui habet Regalia, dicitur habere proprietatem fluminum. Boss. in *tit. de aquis & fluminib. ante num. 13.* Si igitur proprietates fluminis pertinent ad Dominum loci, cui Princeps concessit Regalia, eodem modo ad ipsum pertinere debent clementa, quæ non ad possessores prædiorum vicinorum, sed ad Principem concedentem pertinuisent, concessione cessante ex tradit. per Bacquet. Autumn. & Guid. Conchil. *locis proximè citatis.*
15. Quamuis enim nonnulli DD. existimauerint illa solum bona vacantia fisco deferri, quæ nullo relicto hærede ex testamento, vel ab intestato à nemine possidentur; verior tamen & receptior est sententia, etiam bona hereditaria, & à nemine vnquam possessa ad fiscum pertinere: ut tradunt Castrenf. Socin. & alij in *l. 1. ff. de acquir. possess.* Roland. *consil.* 46. *n. 33. volum. 3.* Et plures citat Peregr. *de iur. fisci lib. 4. tit. 3. num. 29.*
16. † Immo cum talia bona possiderentur ab ipso Domino iurisdictionali, qui à pluribus annis consueuerat de illis ad libitum disponere; sequitur quod etiam si non habuisset Regalia, tamen bona illa iure suo petere posset tanquam feudalia, ex iure sibi per infeudationem quæsito. Honded. *consil.* 84. *n. 12. volum. 2.* † vbi dicit quod ex eo quod bona possidentur per alium, quam per Principem; & non apparet quod alius tempore inuestituræ illa possideret: Præsumendum est illa fuisse Principis infeudantis, & postea possessa per Feudarios ex titulo præcedenti: ad quod allegat Natt. *consil.* 460. *n. 12. lib. 2.* vbi dicit quod possessio operatur præsumptionem dominij, nisi alius doceat de iure suo; & quod præsumitur Feudatarium possidentem habuisse concessionem illorum à Principe:
18. & *consil.* 506. *num. 33. lib. 3.* † vbi quod inuestitus de territorio præsumitur inuestitus de omnibus contentis in eo. Ruyn. *consil.* 26. *num. 7. volum. 1.* vbi dicit;
19. † quod si aliqua sunt bona immobilia possessa per Dominum loci, cum non fuerint ab aliquo apprehensa, præsumuntur ad Dominum loci pertinere. Ad quod conferunt tradita per Cauagnol. *dict. decis.* 41. & per nos antea *cap. 25.* vbi ostendimus Cameram non esse fundatam contra Communitatem; quando probatum fuerat bona fuisse per eam possessa, locata, & eorum fructus conuersos in vtilitatem Communitatis, quod in casu proposito non verificabatur: Immo constabat Dominum iurisdictionalem esse in antiquissima possessione bona illa locandi vel concedendi in emphyteusim, & aliàs de ipsis ad libitum disponendi. Et ratio præmissorum est; † quia Princeps concedens inuestituras, aut approbans concessionem seu transactiones feudorum, cum clausulis amplissimis factas; omnes vtilitates & commoda, & nomi-

natim quoad prædia inculca transfert in Feudatarium, maximè concessis Regalibus. Peregr. *consil.* 13. *num. 15. volum. 1.* † vbi propterea quod stante titulo inuestituræ spoliū argui nequit contra Feudatarium eius rei, cuius possessio apud concedentem erat. *l. quadam mulier. ff. de rei vendicat. l. 2. Cod. de acquir. possess.*

Neque obstat quod diximus in *d. cap. 25.* & quod dicunt multi DD. Dominum non posse vti pascuis nisi moderatè; non autem ut totum conuertat in suam vtilitatem: ut fasè Couarr. *pract. quest. cap. 37.* Honded. *dict. consil.* 84. † Quia illud intelligendum est de pascuis, quorum proprietates pertinent ad Communitatem, quæ est in possessione & consuetudine illis vtendi, ut *ibidem* diximus: secus est in pascuis, in quorum possessione Dominus loci reperitur, cum in illis habeat pro se præsumptionem: ut optimè explicat. Peregr. *dict. consil.* 13. *numer. 17. volum. 1.* Ludouic. Bell. *consil.* 103. *numer. 1.* vbi loquitur de Domino inuestito de toto territorio: & subdit *num. 5.* † quod ex generali Galliarum consuetudine Domini iurisdictionales præsumuntur Domini pascuorum, nemorum, & similibus bonorum: Et ita conclusum fuit in fauorem Domini iurisdictionalis.



CAPVT LXXII.

Creditor magno ære alieno grauatus non potest dici decoctor ex eo solo, quod tempore solutionis suis creditoribus non satisfecerit: Cum magna sit differentia inter decoctorem, & illum qui suis creditoribus satisfacere non potest: Et ideo contractus per eum celebrati sunt validi, quamuis ille ad domum religiosam recesserit, non animo fraudandi creditores; sed ut commodius cum ipsis tractaret: præsertim si postea liberam bonorum suorum administrationem habuerit & publicè videntibus & consentientibus creditoribus negotiatus fuerit. Explicatur statutum Auenionense in *tit. de his qui foro cedunt lib. primo, Rubric. 40. artic. 3.* Explicatur quid sit latitatio, & quis dicatur latitator; & an, & quomodo cum debitore proximè decocturo contractus celebrari possint.

S V M M A R I V M.

1. Omnes contractus aut alienationes factæ per fallitum post detectam decoctionem sunt nulli.
2. Non debet fieri differentia inter decoctorem, & eum qui proximè decocturus est.
3. Recognitio chirographi aut aliud instrumentum factum per eum, qui infra duos dies decoxit, non præiudicat aliis creditoribus.
4. Instrumentum factum per duos menses ante decoctionem ab eo qui sciebat debitorem paratum esse ad decoctionem, non præiudicat creditoribus.
5. Creditor chirographarius cogitur venire in tributum cum aliis pariter chirographariis, non obstante recognitione facta per debitorem decoctum, vel qui se preparabat ad decoctionem.

- 6 *Recognitio vel aliud instrumentum est validum, si factum fuit à debitore eodem tempore quo nemo cogitare poterat illum esse decocturum.*
- 7 *Magna est differentia inter debitorem qui decoxit, & eum qui non est soluendo, seu creditoribus suis satisfacere non potest.*
- 8 *Ad hoc ut quis dicatur fallitus, necesse est ut omnia bona sua remittat in manibus creditorum, & illorum possessione ac administratione priuetur.*
- 9 *Decoctor habetur pro mortuo, & perinde est ac si non esset in humanis.*
- 10 *Explicatur statutum Auenionis. sub tit. de his qui foro cedunt lib. 1. rubric. 40. art. 3. & ostenditur ex mente illius ad hoc ut quis dicatur decoctus requiri, quòd bona sua occultauerit, vel se in fugam dederit, aut latitauerit animo fraudandi creditores.*
- 11 *Latitatio dicitur turpis in occultatio animo fraudandi creditores.*
- 12 *Rota Genuensis maxima est autoritas, maximè in negotijs mercantilibus.*
- 13 *Mercator qui recessit in domum religiosam, non ut creditores fraudaret; sed ut commodius cum illis tractaret; non potest dici decoctor seu latitator.*
- 14 *Quando debitor recognoscit bonam fidem pro summa verè per eum debita, & ad cuius solutionem cogi poterat, cessat suspicio fraudis.*
- 15 *Licetum est unicuique sibi consulere, & uti diligentia pro obtinenda solutione, vel securatione sui crediti, quamuis inde damnum alterius indirectè emergat.*
- 16 *Licet quis credat probabiliter debitorem non esse soluendo, sibi tamen precauere potest.*
- 17 *Diligentia qua adhibetur pro conseruatione bonorum suorum, dolo carere presumitur.*
- 18 *Qui vult impugnare contractum vel alium actum celebratum per eum, qui post aliquod tempus decoxit; tenetur probare non solum decoctionem, sed etiam quòd is qui cum tali debitore contraxit, habebat notitiam futura decoctionis.*
- 19 *Quamuis timore futura decoctionis debitores concessoerint dilationem communi debitori; ipse tamen non expectatà dilatione sibi concessa soluere potest suis creditoribus: & talis solutio valida est, non obstante quòd facta fuerit pendente dilatione sibi à creditoribus concessa.*

Mercator quidam magni nominis videns se multis & diuersis creditoribus obnoxium, secessit in domum quamdam religiosam, ut facilius cum creditoribus componere posset; ibique visus, & visitatus fuit ab amicis & creditoribus, & in fauorem aliquorum ex ipsis fecit instrumenta publica tam recognitione apocharum, quàm alia plurima, tandèmq; ad domum rediens apertâ semper manente apothecâ dilationem obtinuit à creditoribus: quâ pendente, negociationem continuauit & publicè emit, vendidit, literas Cambij conscripsit, & soluit. Sed deinde morte præuentus, intra dilationem sibi assignatam à creditoribus, illis satisfacere non potuit, sed eius bona inter creditores generali discussionis iudicio distributa fuerunt. In qua distributione & concursu creditorum, magnum exortum fuit dubium circa validitatem instrumentorum per dictum debitorem confectorum eo tempore, quo intra domum illam Religiosam secesserat. Siquidem creditores alij contendebant

dictos contractus nullos, & fraudulentos declarari debere: † Quia regulariter omnes alienationes vel contractus per fallitum post decoctionem detectam facti, nulli sunt & inualidi. † Immo non debet fieri differentia inter decoctorem, & eum qui proximè est decocturus. Strac. *de mercat. tit. de decoct. part. 3. num. 28. versic. consueuerunt.* Pascal. *de parr. potest. part. 2. cap. 7. num. 53.* Gratian. *discept. forens. 391. n. 12.* † Vbi dicit quòd si instrumentum, vel recognitio facta fuerit vno aut altero die ante decoctionem, non potest præiudicare aliis creditoribus. Mart. Med. *decis. 82. num. 7.* Rot. *decis. 46. part. 2. recent.* quæ est apud Burat. *decis. 9.* Iterum Gratian. *discept. cap. 768. num. 7. & 8.* Bald. *consil. 400. i. num. 2. ad 5. volum. 5.* quod est repetitum *consil. 249. vol. 1. ead. Rota post 2. volum. consil. Farin. decis. 157.* † Immo de actu facto duobus mensibus ante decoctionem, idem dicit Rota *post consil. 1arin. decis. 110.* Vbi tamen dicit potuisse contractum fieri ab eo, qui ignorabat futuram decoctionem.

Ergo cum creditor die immediatè sequenti post confecta instrumenta de quibus agebatur, recessisset in domum Religiosam ob timorem creditorum, prætendebant alij creditores dictum instrumentum vti factum in fraudem nullum esse, nec illis præiudicare posse: † sed illum in cuius fauorem recognitio & obligatio facta fuerat cogendum esse ut veniret in tributum cum aliis creditoribus: quia cessante dicta recognitione erat chirographariis, & nullam habebat hypothecam; sed solum actionem personalem. DD. *in l. priuilegia.* & maximè Rip. *ff. de priuileg. credit. Gaill. lib. 2. obseru. 25. per 101.*


Attamen dictam recognitionem & instrumentum obligatorium validum esse, & legitimum Censui; & illius vigore creditorem in instrumento nominatum aliis chirographariis ac etiam posterioribus hypothecariis tanquam tempore antiquiorem præferendum esse. *l. potior. ff. qui potior. in pign. habe.* quia verum non erat, quòd de eo tempore aut post illud tempus debitor præfatus decoxisset, aut decoctor nominari potuisset. † Siquidem magna est differentia inter debitorem qui decoxit, & eum qui non est soluendo, seu creditoribus suis satisfacere non potest: ex eo enim quòd quis non soluit, vel soluere non potest; non propterea decoctor dicendus est. Ruin. *consil. 90. n. 12. vol. 1.* vbi dicit aliud esse egestatem, aliud decoctionem: & idem tenuit Rot. Auenionen. *dec. 146. n. 3.* Seraph. *dec. 1475. n. 1.* vbi dicit quòd licet quis defecerit in solutione, ex hoc tamen non potest argui dolus. † Et ratio præmissorum petitur ex traditis per Scacc. *de commerc. & cambijs. §. 2. glos. 5. num. 446.* & per Vincent. *de Franch. decis. 55. num. 2. & 3.* quia decoctus aut fallitus dicitur ille qui omnia bona sua remittit creditoribus suis, vel in manibus Curia, & priuatur & spoliatur illorum administratione Camill. Medic. *cons. 98. n. 25.* † Seraph. *decis. 794. n. 17.* vbi dicit decoctum haberi perinde ac si non esset in humanis: & diximus infra *cap. 100. n. 19.* dictus autem mercator semper habebat administrationem bonorum suorum, immò & publicum officium in Cancellaria Apostolica exercebat: quod si decoctus fuisset, sine dubio exercere non potuisset: & quod plus est libera bonorum administratio ipsi à creditoribus durante dilatione relicta fuit; vnde decoctus nullo modo dici potuit. † Quod etiam probatur ex dispositione statuti Auen. *in tit. de his qui foro cedunt.* vbi dicitur decoctorem eum appellari seu fallitum qui tempore solutionis non satisfecerit, sed se in fugam dederit, vel latitauerit, sui copiam non faciendo; vel bona sua occultauerit: ut habetur in *lib. 1. rubr. 40. art. 3.* ex quo patet quòd ut quis decoctor nominari possit, non solù requiritur quòd deficiat in solutione; sed præterea requi

requiritur quòd aufugerit, & personam vel bona sua occultauerit: vt patet ex illis verbis; *sed se in fugam dederit &c.* quæ verba debent intelligi ampliatiuè & copulatiuè; ita vt vtrumque verificari debeat, ad hoc vt quis decoctor dici possit: vt explicat Rota Auen. *decis. 146. num. 3.* vbi ita explicatur dictum statutum in simili casu.

Neque dici potest dictum creditorem latitasse:

11. cum ille non dicatur latitare qui non habet animum fraudandi creditores; siquidem latitatio definitur turpis sui occultatio gratiã fraudandi creditores. Roman. *consil. 474. num. 17.* & *singulari. 595.* Tusch. *litera L. conclus. 12.* & est textus expressus in *l. fulcinus in §. quid sit latitare. ff. ex quib. caus. in possess. eatur.* Abbas, *consil. 43. colum. 2. versic. secundo non valuit.*
12. *volum. 2.* † Et in simili casu decisum fuit per Rotam Genuens. cuius in his materiis mercantilibus maxima est autoritas: prout testatur Menoch. *consil. 410. num. 38.* † Prædicta igitur Rota Genuens *decis. 168. num. 15.* dicit quòd licet quidam mercator recessisset intra Conuentum, ex eo tamen non poterat inferri, ipsum esse decoctorem, vel fallitum; quia non probatur talem recessum fuisse fraudulentum, & factum animo decipiendi creditores; quamuis (inquit Rota) testis dicat de Gregorio qui latitauit in Monasterio, non tamen probat: quia non didit quòd dolosè latitauerit, & causã fraudandi creditores; quod fuisset necessarium: quam decisis. Rotæ Genuensis sequitur Rota Romana corã Caualler. *decis. 654. n. 4.* Gratian. *discep. forens. c. 392. n. 20.* Surd. *consil. 528. n. 38.* & sic cum dictus mercator intra domũ religionem existens tractauerit cum creditoribus, & amicis; & deinde palam & publicè mercatoriam & negociationem continuauerit; non potest nominari decoctor, nec instrumenta per eum facta tempore dicti recessus vti fraudulenta impugnari.
14. Idque maximè quia cessat omnis suspicio fraudis: cum constaret de debito præcederi tam per scripturã priuatã, quàm per libros eiusdem: quo casu minor est fraudis suspicio, & contractus multò facilius legitimus declarandus est; cum debitor illud fecerit, ad quod cogi poterat. Vincent. de Franch. *d. Et. decis. 55. n. 4. versic. & ultimò dicebatur. Rota, dict. decis. 157. n. 2. & 3. post consil. Farin. Gratian. discept. 392. n. 15. & 16.*
15. Et sanè licitum est cuique pro bonorum suorum conseruatione vti diligentia, quamuis ex ea damnum alterius emergat: quia qui iure suo vititur nemini iniuriam facit; & vigilantibus, & non dormientibus
16. iura subueniunt. *l. pupillus. ff. que in fraud. credit.* † Et licitum est sibi præcauere quamuis probabiliter credatur debitorem non esse soluendo. *l. qui autem §. sciendum ff. que in fraud. cred.* † Et diligentia pro conseruatione bonorum, non præsumitur dolosa. Surd. *consil. 528. num. 35. 36. & 37.*
18. Et si creditores alij velint impugnare dicta instrumenta, non solum tenentur probare qualitatem decoctoris, sed etiam quòd creditor qui cum eo contraxit haberet noticiam certam futuræ decoctionis. Rota, *decis. 163. n. 2. part. 4. recent.* Surd. *consil. 528. num. 6. iuncto num. 37. versic. secundo loco respondeo. & n. 42.* Gratian. *dict. cap. 392. num. 23. 24. & 25.*
19. Et quamuis deinde creditores dederint dilationem aliquot annorum dicto debitori; tamen licitum illi fuit non expectatã dilatione sibi concessã anticipare solutiones, & tali casu solutio rectè facta dici debet: vt notauit Apicell. *in tutamine pauperum, tit. 1. num. 191. versic. nec quod soluit debitor.*

Et ex his conclusum fuit, & iudicatum pro validitate contractus; quamuis à dicta sententia fuerit interposita appellatio.



CAPVT LXXIII.

Quando, & in quibus casibus falcidia detrahatur de legatis piis; & vtrum quod non detrahatur de legatis piis, aut aliis priuilegiatis reiciatur in onus aliorum collegatariorum non priuilegiatorum, siue hæreditas sit soluendo, siue non: Et vtrum diminutio falcidiæ fiat æqualiter super legatis consistentibus in specie, & in quantitate. Quæ sit praxis computationis falcidiæ quando adsunt legata pia, si hæreditas sit in totum legatis absorpta: Quæ verò, si non in totum: Et quæ, si adsint legata priuilegiata non ex dispositione iuris, sed testatoris. In legato vsusfructus, quando locus est falcidiæ, quæ sit praxis supputationis.

S V M M A R I V M.

1. Ex legatis piis falcidia non deducitur.
2. Fallit si legatum factum fuerit ad certum & determinatum opus, quando aliunde fieri potest.
3. Quando in hereditate adsunt legata pia, & non pia, verum quod non deducitur de legatis piis, deducatur super non piis.
4. Si legatum vni eidemque persona factum, sit priuilegiatum, & aliud non priuilegiatum; quod non deducitur de priuilegiato, capitur super non priuilegiato.
5. Quod deest de falcidia ex legatis piis, suppleri super non piis quidam existimant; sed contra, inferius numeris sequentibus.
6. Quando hereditas est in totum exhausta legatis, omnia tam pia, quàm non pia falcidiam patiuntur.
7. Amplia, vt falcidia detrahatur etiam de legatis in specie consistentibus.
8. Praxis supputationis falcidiæ, quando hereditas est in totum exhausta legatis, tam piis, quàm non piis.
9. Si legata non exhauriunt totum patrimonium, pia eximuntur à falcidia.
10. Quod non detrahatur de legatis à iure priuilegiatis, non cedit damno aliorum legatariorum; sed solius heredis.
11. Priuilegium exemptionis legalis legatariorum non facit vt falcidia, que ex illis capienda fuisset, reiciatur super aliis legatis.
12. Quæ sit praxis supputandi falcidiam quando tota hereditas non est legatis absorpta.
13. Causa pia aduersus aliam causam piam non detrahit falcidiam.
14. Si legatum non ex dispositione iuris, sed ex ordinatione testatoris eximatur à falcidia; quod in hoc desinit, capitur super aliis legatis non exemptis.
15. Praxis supputandi falcidiam aduersus legatarium vsusfructus.
16. Falcidia detrahatur ex legato vsusfructus, sicut ex aliis legatis.

1. Circa praxim detractionis falcidiae ortâ contro-
uerfiâ, cum in hæreditate aliqua adessent legata
pia; alia non pia: Dixi in primis regulam generalem
esse falcidiam ex legatis piis detrahi minimè posse:
per text. in *Auben. similiter. Cod. ad leg. falcid.*
2. Si tamen legatum factum fuisset ad certum & de-
terminatum opus, vel ad certam causam quæ posset
mandari executioni cum detractione falcidiae; tunc
legatum quantumuis pium pateretur falcidiam: vt
post Angel. in l. *decem. de fideicom. libert.* & Alexan-
dram in l. *Marcellus. num. 7. ff. ad Trebell.* tradit Pere-
grin. de *fideicom. artic. 3. num. 68.* Exemplum datur si
legatum factum fuerit pro constructione alicuius ca-
pellæ, vel sepulturæ; si enim is vsus explicari potest, &
perfici cum detractione falcidiae; illa detrahitur. Ti-
raquel. de *privileg. pia caus. privileg. 26. in 2. limit.* Man-
gil. de *imput. quæst. 121. num. 8.*
3. Verùm in casu quo falcidia non detrahitur de le-
gatis piis, dubitatur vtrum illud cedat in onus hære-
dis, an legatariorum, ita vt quod non detrahitur de
legatis piis, reiciatur & detrahatur super non piis.
Pro cuius quæstionis resolutione Peregr. dicto *artic.*
3. num. 7. & Mangil. dicta *quæst. 121. num. 6.* distinxe-
runt: † Quòd si legatum priuilegiatum, & non pri-
uilegiatum factum fuerit vni & eidem personæ; hoc
casu legatarius patitur falcidiam integram tam ex
legato priuilegiato, quam non priuilegiato; sed si aga-
tur de duobus legatis factis diuersis personis, tali casu
legatum priuilegiatum non patitur falcidiam, nisi re-
spectu sui legati & damnum non factæ diminutionis,
vel detractionis falcidiae ex legato pio vel priuilegia-
to spectat ad hæredem: quod & sequitur Mangil. *quæst.*
122. num. 15. & quæst. 123. num. 21.
5. Sed tamen Grassus in §. *falcidia.* asserit illam quæ
non detrahitur de legatis piis vel priuilegiatis reici-
endam esse, & capiendam ab hærede super aliis le-
gatis non priuilegiatis: vt per eundem Grass. §. *falci-*
dia. quæst. num. 8. Gall. de *exc. pt. tit. 4. except. 29.*
part. 2. num. 4.
6. Pro vera resolutione huius difficultatis hoc consti-
tuendum est; quòd regulariter si hæreditas non sit
soluendo, omnia legata veniunt in contributionem;
& quodlibet ex ipsis diminuitur pro rata; nec legata
non pia diminutionem patiuntur pro legatis piis: vt
fuit decisum in Curia Archiep. Neapol. apud Ricc.
7. decif. 221. part. 1. † Nec datur prælatio inter plures
legatarios, sed omnes pro rata diminutionem patiun-
tur, etiam si aliqui essent legatarij speciei, alij verò
quantitatis: vt dicit Peregrin. de *fideicom. art. 4. num.*
65. versic. difficultas. ff. Anchar. iun. part. 1. quæst. fa-
mil. 4. per totam Gomes. lib. 1. variar. resol. cap. 12. de
legat. num. 34. cum pluribus quos sequitur Gratian.
discept. forens. cap. 646. à num. 1. vsque ad 25. Ideo non
est vera sententia Cenalos *præf. quæst. 103. num. 35.*
quem sequitur Cost. de *rata. quæst. 107. num. 5.* cum
aduersus eos sit verior & receptior sententia. De ea-
dem quæstione agit Vincent. de *Franchis decif. 236.*
num. 3. & sequentib. quod etiam confirmat Ricc. in
addit. ad dictam decisionem, vbi dicit, quòd quando
hæreditas non est soluendo, diminutio debet fieri pro
8. rata tam de legatis piis, quam de non piis. † Quod
quia difficile esset ad praxim reducere, optimum erit
exemplo declarare, ex traditis per Castrenf. in l. *si post*
missionem. ff. ad leg. falcid. ponamus igitur testatorem
habentem in bonis quadringenta, legasse quadrin-
genta ad non pias causas, & centum ad pias: hoc
casu illa centum non debentur integra piæ causæ, sed
de illis etiam de quadringentis, non piæ causæ re-
lictis deduceretur quinta pars vt deducantur ad vires
patrimonij, atque ita piæ causæ deberentur solum

octuaginta, & eam quintam partem scilicet viginti,
hæres retinebit, & de quadringentis legatis ad non
pias causas detrahet falcidiam: ita etiam explicat Ti-
raquel. de *privileg. pia caus. caus. priuileg. 26. in 4. limit.*
sequitur Grass. in *ff. falcidia. quæst. 3. num. 8.* Cost. de
remed. subst. remed. 84. num. 7.

Dices quando igitur locus erit priuilegio piæ cau-
sæ? Respondeo locum fore quando legata non trans-
cendunt vires patrimonij; nam si vires patrimonij
transcendant, nullum ex legatis quantumuis priuile-
giatis potest impedire quominus fiat detraçtio falci-
diæ in fauorem hæredis: & hæc notanda sunt, quia
sæpius in praxi occurrunt.


Hoc etiam secundo loco statuendum est; quòd
etiam si legata non transcendant vires patrimonij, &
sic pia causa vtatur priuilegio excludente falcidiam,
quod non detrahitur ex legatis piis; non cedit in
damnum collegatariorum non piorum; sed in dam-
num hæredis: quia quarta sua detrahitur ex quolibet
legato non pio pro rata, & nihil amplius: Castrenf. in
dicta l. si post missionem. Peregrin. de *fideicom. artic. 4.*
num. 31. Mart. de *succ. leg. quæst. 28. artic. 2. num.*
24. & 25. Gratian. *discept. forens. cap. 59. num. 6. versic.*
veriore. † Quod eodem modo obtinet in quibus-
cumque legatis, quibus à iure priuilegium datum est:
vt à falcidia sint immunia: nam priuilegium immu-
nitatis non reflectitur in onus aliorum legatorum, sed
in onus hæredis: & hæc est communis opinio quam
sequitur Ioan. Anton. Bellon. in *tract. de iure accres-*
cend. cap. 6. quæst. 4. num. 6. & 14.

Praxis erit hoc casu quo legata pia diminutionem
non patiuntur, vt illa in primis de hæreditate detra-
hantur tanquam æs alienum, & de eo quod super-
erit post detracta pia legata, quarta pars hæredi pro
sua falcidia assignetur. Peregrin. de *fideicom. artic. 4.*
num. 31. Mart. de *succ. ff. legali part. 4. quæst. 28. artic. 2.*
num. 24. & 25.

Si tamen hæres legatis grauatus, esset causa pia, à
legatariis æqualiter piis & priuilegiatis falcidiam non
detraheret: vt communiter receptum testatur Grass.
dicto §. falcidia. quæst. 3. num. 9. Vasquius de *succ.*
progress. lib. 1. §. 26. num. 24. Magon. *decif. Florent.*
130. quem sequitur Mart. *ff. nouiss. som. 5. in verb. fal-*
cidia.

Porrò supradicta intelligenda sunt, vt præcedant,
quando agitur de legatis in quibus falcidia cessat ex
dispositione legis; qualia sunt legata pia, aut alia à
iure priuilegiata: secus est quando agitur de legatis
exemptis à falcidia, ex testatoris dispositione, qui
quoad aliqua legata falcidiam prohibuit, quoad alia
verò nihil dixit; tunc falcidia quæ de legato excepto
solui debuisset, non reflectitur in onus hæredis, sed
detrahitur pro rata portione priuilegiati & non pri-
uilegiati legati super legato non exempto. Ita Bart.
Alexand. Castrenf. & Imol. quos citat & sequitur
Bellon. de *iur. accrescend. cap. 6. quæst. 4. num. 17.* qui
hanc quæstionem bene examinat à *num. 6. ad 27.* Gra-
tian. & Peregrin. *locis citatis.* Mantie. de *coniect. lib. 9.*
tit. 14. & ultimo, num. 24.

Sed quomodo fiet calculus si legatum vsusfructus
alicui factum fuerit, ex quo detrahenda sit falcidia:
Respondeo verius, certius, & commodius ita cal-
culus instituendum esse: vt singulis annis ex fructi-
bus hæres quartam partem, residuum verò legata-
rius vsusfructus percipiat: ita docet Glos. in l. *1. §. si*
vsusfructus. ff. ad leg. falcid. Barr. de *succ. lib. 14.*
tit. de falcid. cap. 2. numer. 12. † Certum enim est
etiam ex legato vsusfructus falcidiam esse detrahen-
dam. l. *omnium. ff. de vsufructu. d. l. 1. §. si vsusfructus.*
Marra. de *succ. leg. part. 4. quæst. 28. art. 2. num. 26.*



CAPVT. LXXIV.

In legato generali vsusfructus omnium & quorumcumque bonorum, vtrum comprehendatur vsusfructus bonorum, quæ ad hæredes illius institutos ex testamento alterius obuenire debebant; & sic illorum bonorum restitutio ipsimet hæredi fieri aliunde debebat. Fructus perceptos filius etiam primi gradus in falcidiam imputare tenetur: Et quomodò hoc procedat.

S V M M A R I V M.

- 1 *Res propria heredis non continetur in legato generali.*
- 2 *Amplia, etiamsi factum esset legatum cum clausula omnium & quorumcumque bonorum vbiliber constitutorum.*
- 3 *Declara id maximè procedere posse, si adiecta fuerit mentio bonorum suorum.*
- 4 *In re communi testator partem suam legasse duntaxat censetur, non autem partem heredis.*
- 5 *Sub legato vsusfructus omnium bonorum, res possessæ tempore testamenti per testatorem restitutioni subiecta non continentur.*
- 6 *Nisi tamen restitutio ipsi hæredi facienda esset; tunc enim continentur, si legatarius sit vxor, vel coniuncta persona, & legatum sit generale & amplum.*
- 7 *Testatorem propriam rem heredis legare potuisse indubitatum est.*
- 8 *Quòd res heredis in vsufructu contineatur, si ipsi hæredi restitutio sit facienda; verius est & receptius.*
- 9 *Res heredis non continetur in legato generali vsusfructus, stantibus coniecturis in contrarium.*
- 10 *Legatum vsusfructus francum ab omnibus oneribus hereditarijs, similibusque verbis conceptum, comprehendit res quarum restitutio ipsi hæredi facienda est.*
- 11 *Fideicommissa ex alterius testamento debita, sunt tanquam es alienum.*
- 12 *Fructus per heredem percepti in falcidiam sunt imputandi.*
- 13 *Intellige de fructibus perceptis ex rebus legatis, non de ijs qui ex hereditate percipiuntur; hi enim in falcidiam non imputantur.*
- 14 *Quæ sit hoc in casu diuersitatis ratio inter falcidiam, & Trebellianicam.*
- 15 *Hæres non tenetur negociari ex pecunia hereditaria pro legatario.*
- 16 *Vsura imputantur in falcidiam, si probetur heredem illas percepisse.*
- 17 *Hæres semper potest dicere se tenuisse pecunias hereditatis otiosas, & sic fructus in falcidiam occasione pecuniarum imputare non teneri.*

TEstator heredem institutum grauauit de soluendo quinque fratribus, vel sororibus, summam sexcentorum aureorum post mortem dicti heredis. Verùm casu quo Agnesia vna ex sororibus nuberet, ipsi legauit pensionem annuam dicti legati ad rationem triginta aureorum, dictosque collegatarios inuicem substituit.

Agnesia moriens marito suo vsusfructum omnium bonorum suorum & hæreditatis per integrum decennium reliquit, dictos verò collegatarios fratres & sorores substitutos in dicto legato 600. aureorum hæredes instituit. Maritus in legato generali dictam pensionem triginta aureorum contineri prætendebat, hæredibus dictæ Agnesiæ contrarium asserentibus. Ideo dubitatum fuit, vtrum in legato generali vsusfructus, dicta pensio triginta aureorum contineretur.


In hac quæstione controuersa, hæredes vxoris dictam pensionem non contineri in legato generali vsusfructus probabant: quia licet iidem sint hæredes Agnesiæ & eiusdem fideicommissarij ex testamento sororis, non tamen tenebantur vsufructuario pensionem illam soluere, quæ ad ipsos vigore fideicommissi pertinebat: † Cum res heredis non censetur per generalem dispositionem alteri legata; & bona alienari prohibita, qualia sunt fideicommissio subiecta, in legato verbis generalibus concepto non includantur, neque de illis testatorem voluisse disponere credendum sit: cum de bonis proprijs, non de alienis dispositio intelligenda sit: vt per plures rationes quæ hic non transcribuntur ostendit Peregrin. de fideicom. artic. 6. num. 10. † Ita vt si domina Agnesia legasset vsusfructum etiam cum clausula omnium & quorumcumque bonorum vbiq; existentium, tale legatum non esset ampliandum ad res heredis; vt multis illustrat Caualean. de vsufruct. num. 104. & 105. & sequentib. quem sequitur Castil. de vsufruct. cap. 39. num. 17. & quatuor fundamentis confirmat Mantica. de coniect. lib. 9. titul. 6. à num. 8. vsque ad 13. † Præsertim quia dicta Agnesia ad sua bona se restrinxit; ex Roland. consil. 71. num. 28. lib. 2. per quæ verba bona heredum videtur exclusisse. Rota; decis. 375. part. 1. recent. Thesaur. quæst. forens. 19. num. 3. lib. 3. † Nam in re communi cum testator legat fundum suum, non censetur legasse rem heredis, neque eius partem. Rip. in l. serui electione, §. fin. num. 14. de legat. 1. Capra consil. 105. num. 9. Raudens. decis. 10. num. 22. & istam communem opinionem adstruit Paris. consil. 98. num. 14. volum. 4. eandem communem firmat Cauale. loco mox citato. & Grassus, in §. legatum. quæst. 27. Cephal. consil. 515. volum. 4. Et ita bis se obtinuisse testatur Peregrin. loco citato, & decisum in Rota, d. de. if. 375. part. 1. recent.

Ex aduerso pro parte mariti dicebatur, quòd quamuis regulariter bona subiecta fideicommissio possessa per testatorem de tempore testamenti non comprehendantur sub legato vniuersali vsusfructus omnium & quorumcumque bonorum, ex supradictis; & ex Beroo, quæst. 95. num. 2. & 3. Caualean. de vsufruct. num. 95. Castil. de vsufruct. cap. 39. num. 13. Sola de alienat. bonor. minor. gloss. 3. num. 27. Peregr. decis. 123. Cancer. part. 3. cap. 20. num. 289. & diximus supra cap. 50. num. 30. & 31.

At tamen quando bona subiecta fideicommissio sunt restituenda per testatorem ipsimet hæredi per eum instituto; & legatarius, est vxor seu coniuncta persona testatoris, & legatum est factum sub vniuersitate verborum; tunc fructus huiusmodi bonorum comprehenduntur sub legato vniuersali vsusfructus omnium & quorumcumque bonorum; & eo casu testator censetur illa voluisse comprehendere: † non enim dubitatur quin testator potuerit. l. cum rem alienam. Cod. de legat. l. vnum ex familia. §. si rem. ff. de legat. 2. & ita Responderunt Capra consil. 146. Corn. consil. 84. volum. 2. Ruyn. consil. 75. volum. 2. Deci. consil. 57. per tot. cui Peregrin. qui ex aduerso consuluit, multos solemnnes DD. subscripsisse testatur. Alciat. consil. 135. lib. 9.

- lib.9. Abbas, *consil.* 17. & *consil.* 73. & alij relati à Peregrin. *de fideicom. art.* 6. *num.* 10. & vltra eos Menoch. *presumpt.* 42. *num.* 12. *lib.* 4. & *consil.* 955. *volum.* 10. *per tot.* & *presumpt.* 197. *num.* 22. *eodem lib.* & licet in eodem loco Peregr. omninò contrarium teneat, provt Mantica, *de coniect. lib.* 2. *tit.* 2. *num.* 1. cum aliis in contrarium allegatis.
8. Opinio tamen pro vsufructuario est magis communis, vt testatur Thesaur. *quæst. forens.* 19. *lib.* 3. *per totum.* & pro ea iudicauit Rota Bononiens. apud Benintend. *decis. vlt. n.* 10. Maynard. *lib.* 3. *cap.* 40. & per Rotam Florent. apud Tusch. *in verb. vsufructuarius. concl.* 309. *num.* 9. & *in verb. legatum. conclus.* 60. *num.* 14. vbi dicit, Senatam Mediolanen. litem illam inter potentes exillentem, & in qua valentissimi Aduocati hinc inde scripserunt, non determinasse; & interim vsufructuariam gauisam esse semper vsufructu lite nunquam finita in Senatu Mediolan.
9. Et licet Thesaurus *loco citato* asserat Senatam pro hærede pronunciaffe contra vsufructuariam, id fuit propter coniecturas quæ in casu per eum relato militabant. Hærebam equidem in casu proposito, propter rationes & authoritates hinc inde deductas; nisi ex verbis testamenti fuisset desumpta coniectura voluntatis: † dum Agnesia legatum vsufructum omnium bonorum marito fecit francum & liberum ab omni ære alieno, legatis, & aliis oneribus hæreditariis: quod idem est ac si dixisset se nolle per quæcumque legata & onera hæreditatis vsufructum marito legatum vllam pati diminutionem, ex traditis per Surd. *consil.* 218. *num.* 9. & 10. Ruyn. *consil.* 41. *volum.* 2. Crauet. *consil.* 563. *num.* 1.
11. Cum itaque bona fideicommissaria sint tanquam æs alienum, & sint de oneribus hæreditatis: vt decidunt Caualean. *loc. citat.* Peguer. *dicto consil.* 123. Rota, *d. decis.* 375. *part.* 1. *recens.* conclusum fuit vsufructum legatum non debere minui per detractionem bonorum fideicommissariorum ab hæreditate legantis, & per consequens comprehendi in legato vsufructus.
12. Contra hæredem aderat regula generalis quòd fructus quos hæres percipit in falcidiam imputare tenetur. Peregr. *de fideicom. art.* 49. *num.* 50. quod procedit etiam si hæres sit de liberis primi gradus. Mantica. *de coniect. lib.* 7. *tit.* 2. *num.* 12.
13. Tamen præmissa debent intelligi de fructibus quos hæres percipit ex bonis legatis; sed non de iis quos percipit ex hæreditate, quos in falcidiam imputare nõ tenetur; cum illos iure proprio, & tanquam suos percipiat. *l. in ratione.* 30. in illis verbis: *Quemadmodum ad hæredis lucrum pertinent fructus.* & ibi, *quorum nihil in rationem legis falcidia cadit.* ff. *ad leg. falcid.* Grassi. *in §. falcidia. quæst.* 18. Cuiac. *ad l. qui quadraginta.* 87. §. *qui ducenta.* ff. *ad leg. falcid.* Cancer. *lib.* 1. *variar. resol. cap.* 2. *num.* 24. alias 76. † Ratio est quia non idem obtinet circa falcidiam, quod in Trebellianica: in hanc enim omnia imputantur quæ ex iudicio testatoris capiuntur, etiam si non iure institutionis; in falcidiam verò, quod iure institutionis capitur duntaxat, fructus autem non eo iure capiuntur, sed iure dominij.
14. Fructus igitur ex hæreditate perceptos non imputabit hæres in falcidia: quia oportet quòd hæres quartam suam cum illius fructibus sibi præcipuam habeat. *l. quod de bonis. §. fructus.* & ibi Bartol. & alij. ff. *ad leg. falcid.* Ex legatis verò, si quid perceptum esse prætendatur, per legatarios probandum est, non enim tenetur hæres negotiari ex pecunia hæreditaria; pecunia autem pecuniam non generat. Castrenf. *d. §. qui ducenta.* *versic. ad contrarium.* † Vbi quòd si probaretur hæredem percepisse vsuras ex pecuniis legatis, locus

esset imputationi dictarum vsurarum in falcidiam. Rip. *in l. fideicommissariam. num.* 52. *in fin. ff. ad Senatuf. cons. Trebellianum.* Sed si non probatum fuerit hæredem fructus ex pecunia percepisse, non tenebitur ad imputationem fructuum quos non accepit. † Et sic hæres semper potest dicere se tenuisse pecuniam otiosam, ideòque non teneri ad aliquas vsuras in falcidiam imputandas. Castrenf. *consil.* 125. *Viso testamento Ambrosij. col.* 2. *ad med. versic. in quibus pater. & ante num.* 2. *versic. potest ergo dicere. lib.* 1. quem citat & sequitur Gratian. *discept. forens. cap.* 400. *numer.* 31.



CAPVT. LXXV.

Si Baro concesserit alicui feudum liberum & francum ab omnibus vtilitatibus feudali- bus, & cum pacto redimendi: non debetur laudemium, nec de prima, nec de aliis alienationibus. Domino autem redimente debent in primis inuestito restitui omnia melioramenta per ipsum facta etiam à Castro separata, si ad vsu- m Castri facta sint: præsertim stante clausula in pacto redemptiuo apposita, *solutis prius melioramentis, & adificijs quibuscumque.*

S V M M A R I V M.

- 1 Feudum concessum francum ab omnibus vtilitatibus feudali- bus; francum est à laudimys, sed non à fidelitate.
- 2 Laudimium inter vtilitates feudales recensendum est.
- 3 Laudimium est vtilitas ex re, vel propter rem pro- ueniens.
- 4 Ex alienationibus feudi translati per Dominum cum pacto redimendi, nullum debetur laudi- mium.
- 5 Per quamcumque immunitatem quamuis generali- ter concessam, non censetur quis exemptus à solutione laudimij.
- 6 Fallit quando in Feudatarium fuit translatum om- ne dominium, cum clausulis immunitatem importantibus.
- 7 In materia laudimiorum, magna est differentia in- ter feudum, & emphyteusim; nec semper li- cet inferre ab vno ad aliud.
- 8 Laudimium esse feudi obuentionem extrinsecam voluit Surdus.
- 9 Sed contrarium verius esse ostenditur.
- 10 Laudimia continentur in legato vsufructus, & pertinent ad conductores fructuum redi- tumum.
- 11 Immunitas ob- numerum duodecim liberorum non eximit à solutione laudemiorum
- 12 Laudemium seu releuium non soluitur ex mutatio- ne manus dominantis, sed serientis.
- 13 Stante clausula solutis prius, &c. debet omninò præcedere solutio.
- 14 Quoties feudum deuoluitur ad Dominum sine cul- pa Vassalli, debent illi in primis restitui ex- pensæ meliorationum.
- 15 Sufficit meliorationes factas fuisse in territorio, quamuis non fuerint facta in Castro, illas enim Dominus redimens rescarcire tenetur.

- 16 *Castri appellatione etiam territorium continetur.*
 17 *Quando agitur de re vniuersali veluti de Castro, datur retentio totius pro melioramentis in vna re factis.*
 18 *Ædificia facta ad vsum Castri in loco vicino, restituenta sunt per Dominum retinere volentem.*
 19 *Quando agitur de re vniuersali, vel de pluribus rebus connexis, vna re melioratâ, omnes retineri possunt, donec æstimatio melioramentorum restituatur.*

- E**mplorem iurisdictionis à laudimij solutione liberandum esse Respondi, ex iis quæ in facto proponebantur; cum venditor eâ lege vendiderit, vt emptor & eius successores, fidem & homagium Domino Baroni & eius successoribus præstare tenerentur in qualibet mutatione, absque eo quod soluerent aliquas utilitates feudales; attentâ facultate perpetuò redimendi Domino Baroni concessa in eodem contractu.
1. *Quia cum feudum venditum fuerit francum, non solum à seruitiis, sed etiam ab omnibus utilitatibus feudibus: sequitur non esse quidem francum à fidelitate & homagio, sed esse immune à præstatione laudimij, quod est commodum pecuniarium: vt explicat Amed. à Pont. quest. 18. laudimial. num. 1. & sequentibus. & num. 13. & 15.* † Quod enim laudimium dicatur utilitas feudalis, indubitatum est; cum sit loco fructuum feudi: vnde & ad usufructuarium pertinet.
3. *Peregrin. de fideicom. art. 10. num. 6.* † Et vocatur utilitas ex re, vel propter rem proueniens. *Clar. in §. emphyteusis, quest. 23. num. 5. Pacif. de saluan. interd. inspect. 3. cap. 4. num. 560. Faber. in Cod. tit. de iur. emphyt. definit. 4. rationem reddens, quia fructuum nomine continentur omnes præstationes & obventiones: laudimiorum autem soluendorum obligatio ex re ipsa proficiscitur, & ex ipsius alienatione, & translatione debetur.*
- Immo quamuis nihil fuisset conuentum in dicto contractu de exemptione à solutione utilitatum feudali; nihilominus tamen dictum feudum cessante pacto in contrarium esset immune à laudemio, attentâ facultate perpetuò redimendi in eodem contractu contentâ † Laudimium siquidem non debetur pro alienatione rerum, quas ipsemet Dominus concessit cum pacto redimendi; quia licet ex alienationibus quæ fiunt post primam alienationem perpetuam de iure laudimium debeatur ratione dominij directi quod retinetur per concedentem, translato duntaxat utili in concessione; secus tamen est quando concessio fit cum facultate redimendi: tunc enim, quia talis contractus dicitur potius emptio & venditio, per quem translatum fuit dominium, tam utile quàm directum, nullum debetur laudimium. *Burg. in tract. de laud. m. part. 1. inspect. 5. num. 25.*
5. Et quamuis per quancumque immunitatem generaliter concessam, nunquam censetur comprehensa immunitas à solutione laudemij, ex notatis per *Menoch. consil. 297. num. 24. Gratian. discept. forens. c. 277. num. 21.* † Tamen hoc non procedit quando concessio facta fuit per modum venditionis, & translatum fuit tam utile quàm directum dominium, cum pactis immunitatis ab omnibus oneribus feudibus: vt superius ostensum fuit *num. 4.*
7. Et in materia laudemiorum magna est differentia inter feudum & emphyteusum, nec ab vno ad aliud in materia ista argumentum valet: quia in emphyteusi laudemium debetur ex dispositione *l. fin. Cod. de iur. emphyteut.* in feudo autem non debetur laudemium nisi ex pacto, vel consuetudine; & ideo in

feudis pacta quæ eximunt Vassallum à præstatione laudemiorum, amplam & fauorabilem recipiunt interpretationem. *Rosental. de feud. cap. 6. conclus. 66. num. 6.* Ergo cum *Menochius & Gratianus* loquantur de emphyteusi; non licet ab ea arguere ad feudum de quo agitur.

Quamuis etiam *Surd. decis. 200. num. 2. & 5.* dicat 8. laudemium non esse onus feudi, sed quamdam præstationem extrinsecam; tamen contrarium verius esse supra ostendimus: cum proficiscatur ex re ipsa, & ex translatione dominij rei feudalis ducat originem: ideo fructuum & emolumentorum feudi appellatione continentur. *Faber. d. tit. de iur. emphyteut. d. finit. 4. Amed. quest. laudem. 20. num. 5.* † vbi dicit laudimium pertinere ad conductorem reddituum & emolumentorum feudali, & in legato vsusfructuum laudimia & releuii comprehendendi; cum sint obventiones feudales. *Sola in constit. Sabaud. tit. de iur. emphyteut. decreti in casibus, 1. part. glos. 1. num. 33. Blancard. in notis. laudim. not. 20.* † vbi quæstionem in vtramque partem examinat tandemque concludit laudimia ob rem ipsam & ex re deberi. Quod etiam concludit *Hodiern. ad Surd. de us. 31. n. 32. & 33. Camill. de Medic. consil. 18. num. 3. & sequentibus.*

Verum quidem est, quod si simpliciter immunitas alicui fuerit concessa; veluti ob numerum duodecim liberorum, aliâve similem causam, non ceterur comprehensa immunitas à laudimio: secus est, cum concessio facta fuerit de feudo, cū exemptione ab omnibus immunitatibus feudibus: vt supra ostensum est *n. 5. & 6.*

Et præmissa multò magis locum habent, stante conuentione quod in qualibet mutatione soluetur vnum par calcarium pro omnibus iuribus releuij, & utilitatibus feudibus; cum verba illa non possint referri ad aliam mutationem quàm ad mutationem possessoris. † Releuium enim (quod in materia feudali confunditur cum laudemio) nõ soluitur ob mutationem manus dominantis, sed manus seruientis. *Rosent. de feud. d. c. 6. 66. n. 7. & in glos. litera C.* clara igitur est conuentione, quod solutione vnus paris calcarium, nouus possessor eximatur à solutione releuij seu laudemij: quæ duo pro eodem sumi probatur ex traditis per *Rosent. d. c. 6. conclus. 66.*

His omnibus consideratis rationibus, Dominus Baro confugit ad pactum redemptiuum; cui possessor resistere non potuit; sed opposuit de melioramentis de quibus constabat saltem in genere: sed quæstio erat de ædificiis quæ possessor fecerat extra Castrum in ipso tamen feudi territorio. † Quæ possessori in primis restituenda esse dixi, propter verba pacti redemptiuj, *solutis prius melioramentis ædificiorum, & omnibus sumptibus, & loyaux costs, &c.* cum verba illa conditionem importent, quæ ante executionem in primis verificanda est per actualem melioramentorum solutionem. *Mastril. d. c. 98. Pacif. de saluan. interd. inspect. 2. cap. 2. n. 257.* † Immo etiam cessante pacto, quoties feudum deuoluitur ad Dominum, sine culpa Vassalli; Dominus tenetur illi restituere omnes expensas factas in ædificiis, siue illæ consistant in faciendo, siue in reficiendo. *Rosent. de feud. cap. 10. concl. 43. n. 51. Clar. in §. feudum. q. 81. n. 1. Guid. Pap. decis. 169. n. 1.*

Neque interest, quod expensæ ædificiorum non fuerint factæ in ipso Castro: Quia sufficit illas fuisse factas in territorio; cum pactum loquatur de melioramentis & ædificiis factis *en ladite terre.* † Et tamen quauis facta fuisset duntaxat mentio Castri, comprehensum etiam fuisset territorium. *Cancer. lib. 3. variar. resolut. c. 13. de iurib. Castror. n. 23.* † & dū agitur de re vniuersali, prout est Castrum, datur retentio totius pro melioramentis factis in vna parte. *Peregr. de fideicom. artic.*

18. *artic. 50. num. 69.* † Immò quòd plus est, si ædificium factum fuerit per Vassallum in loco separato à terra vendita, illi tamen vicino & ad vsum & commoditatem rei venditæ; factâ redemptione Castri, debet etiam redimi istud ædificium; quamuis videatur separatum: cum in effectu sit de pertinentiis Castri. Abbas, *consil. 62. in 4. dubio volum. 2.* vbi loquitur de quadâ controuersia quæ erat inter Ducem Austriæ, & Ducem Burgundiæ, in simili casu. Et conferunt tradita per Matecot. *lib. 2. variar. resol. c. 112. n. 26. & 27.*
19. † Vbi quòd quando agitur de re vniuersali, vel de duabus particularibus inuicem connexis; si vna res fuerit meliorata, omnes retineri possunt donec melioramenta fuerint restituta. Illustriss. D. Argel. *de legit. contradict. quæst. 20. artic. 3. per totum*, vbi ita resoluit, & optimè explicat.

- 14 *Turpitude expressa vitiat contractum ipso iure; tacita verò, ope duntaxat exceptionis.*
- 15 *Munuscula tutori gratuita & sine conventionè præcedenti data, non repetuntur conditione ob turpem causam: secus est, si agatur de muneribus magni valoris.*

Mater vidua non potuit obtinere dilationem solutionis duodecim millium scutorum filia suæ dum nuberet legatorum: Quia cum ex testamento mariti gratis restituere teneretur, nihil commodi ex tali restitutione consequi potest per text. in *l. final. versic. quod si ut id quod ex testament. ff. de condict. ob turpem causam*, vbi quòd sic promissum repetitur conditione ob turpem causam; cum actio ex testamento sit stricti iuris: vt *ibi* per DD. Nam in actionibus bonæ fidei, datur repetitio; vel actione ex contractu seu primæua, vel conditione ob turpem causam.

Tantò magis, quia dicta vidua erat tutrix filia suæ: & per consequens nullum lucrum ex tutela quomodolibet habere poterat; cum officium tutoris sit gratuitum. *Surd. de alim. tit. 1. q. 47. n. 7.* vbi quòd si quid lucretur tutor ex tutela, datur aduersus ipsum condictio ob turpem causam. *Gratian. discept. 919. n. 6. & 7.* vbi quòd ne quid minimum capere potest. *Gutier. de tutel. part. 3. cap. 2. n. 1.*


Et propius accedendo ad casum nostrum, adest de utilitatis ex matrimonio pupillæ suæ consequi posse: & fusè comprobatur Fontanel. *de pact. nuptial. part. 2. claus. 5. glos. 7. n. 1. & seqq.* vbi etiam ostendit hoc casu locum esse conditioni ob turpem causam.

Et quamuis nihil datum tutrici videatur; tamen cum solutioni legati quod purè præstari debebat, adiectum fuerit tempus quadriennij, certum est quòd minus soluisse dicitur, qui minus tempore soluit propter commoditatem & interusurium mediij temporis. §. *sed si uxori. cum ibi notat. Instit. de legat. §. plus autem. Instit. de actionibus.* † Et in materia conditionis ob turpem causam, idem est recipere & retinere. *Alex. in l. final. ff. de condict. ob turpem causam. n. 2. & ibi Iaf. & alij.* † Et in indiuiduo de retentione facta propter dotem constitutam tradit *Lup. in cap. per vestras. de donat. inter vir. & vxor. in 3. notab. §. 3. n. 25. fol. mibi 87.* & in quolibet alio recipiente vel retinente pro eo quod gratis facere tenetur, tradit *Hypolit. de Marfil. singul. 432.*

Et quamuis etiam *Natta, consil. 76.* existimauerit conditionem illam ob turpem causam non habere locum aduersus parentes nuptui filias suas tradentes; tamen *Natta* loquitur per verbum *crederem*, & videtur se restringere ad patrem, in cuius arbitrio erat minorem dotem constituere si voluisset: & præterea aduersus *Nattam* adest punctualis decisio *Lup. in d. 3. notab. §. 3. à num. 21. vsque ad 26. & Gutier. de tutel. part. 2. c. 11. n. 10. in fine.*

Opponebatur doctrina *Pilei*, quem sequitur *Ioan. Andr. in addit. ad Speculatorem in titul. de re iudic. §. generalia, ad n. 23. litera G.* vbi distinguit vtrum maritus tutori pro suo matrimonio solutum sponte contulerit; an verò tutor extorserit. Si extorserit, distinguit inter magna & parua munera: sed si sponte contulerit; tunc existimat, siue magna, siue modica sint munera, non teneri tutorem: maxime si perfectò iam matrimonio data sint.

Sed responderetur nullam ex istis propositionibus subsistere. Nam quòd attinet ad primam propositionem, verum est Doctores distinguere duplicem turpitudinem, vnam expressam, aliam tacitam. Expressa est, quando dictum est: *do vel remitto tibi talem rem, vel*




CAPVT LXXVI.

Mater debitor filia in summa satis notabili, extorsit à futuro eius marito ad illius nuptias aspirante dilationem quadriennij, qua durante ad fructus minimè teneretur. Dubitatur vtrum ad collocandam matrimonio filiam, hanc commoditatem obtinere potuerit: Et an sit locus rescissioni huiusmodi promissionis, & præsertim si mater sit tutrix filia suæ.

SUMMARIUM.

- 1 Mater tutrix testamentaria filia suæ, si aliquid utilitatis consequatur pro collocanda filia in matrimonio, teneretur illud restituere conditione ob turpem causam.
- 2 Tutrix ex tutela nullum commodum regulariter percipere potest, cum tutoris officium debeat esse gratuitum.
- 3 Et nominatim ex matrimonio suæ pupillæ, tutrix nihil commodi recipere potest.
- 4 Idem est tutori pro matrimonio aliquid solui, & dilationem ad soluendam summam notabilem concedi.
- 5 In materia conditionis ob turpem causam, pro eodem reputantur recipere, & retinere.
- 6 Retentio facta per tutorem vt matrimonio pupillæ consentiat, subiacet conditioni ob turpem causam.
- 7 Expenditur *consil. Natta, 76.* vbi vult parentes pro marianda filia non prohiberi aliquid recipere.
- 8 Consideranda sunt in hac questione circumstantiæ; vtrum quid tutori sponte datum fuerit, an per extorsionem obtentum: & an in magna, vel parua quantitate.
- 9 Turpitude duplex est; vna expressa, alia tacita.
- 10 Tacita turpitude colligitur ex actu correspondente.
- 11 Si alicui promitto centum, & statim sequatur plagium illud præsumitur factum in executionem promissionis.
- 12 Obligatio facta ex turpi causa non valet, siue turpitude sit expressa, siue tacita.
- 13 Si causa turpitudinis sit de præterito, is qui scienter soluit donare videtur; ideo repetitioni locus non est.

- quantitatem, ut tale quid facias.* Tacita, quando res donata fuit absque expressione causæ propter quam donabatur. Hæc est distinctio communis DD. *in l. si plagij. ff. de verb. obligat. & in rubric. ff. de condict. ob turpem causam.* optimè Sichard. *in rubrica Cod. eod.*
10. *iii. n. 4.* † Quòd autem tacita sufficiat, quando agitur de donatione facta in eodem contractu propter correſpectiuitatem; quia promissio præsumitur facta contemplatione eius cui promittitur, & sic turpiter tradit: bene Castrenſ. *in d. l. si plagij. num. 2. versic. in*
11. *gloſ.* † vbi dicit quòd si promitterem centum, & in eodem instanti tu faceres plagium, mea promissio præsumitur facta contemplatione plagij. Et Sicard. *vbi supra, n. 4. versic. sed cum rubrica.* vbi posita distinctione turpitudinis expressæ, & tacitæ, dicit illù textum de vtraque intelligendum esse; cùm rubrica generaliter loquatur: & de vtraque etiã intellexit Card.
12. *Tusch. in verb. obligatio. conclus. 39. n. 1.* † vbi dicit obligationem ex turpi causa non valere, siue ea expressa sit, siue tacita. † Et hoc admittunt omnes DD. licèt aliqui dubitent quando agitur de promissione facta ex causa de præterito: quia tunc scienter soluens ex causa turpi, videtur donare: adinstar illius qui promittit vsuras, & postea sciens illas esse indebitas, liberaliter soluit: vt per Alexand. *in d. l. si plagij. n. 4. versic. & subdebat. Angel. Idem Imol. ibidem, n. 1. laſ. n. 7. & 9. versic. querit eadem Glossa.* Imò. Bart. *in l. generaliter. ante n. 1. ff. de verb. obligat. versic. si verò non exprimitur.* quem sequitur in eadem l. Alexander. † voluit expressam turpitudinem vitare contractum ipso iure, tacitam verò duntaxat ope exceptionis: quã conclusionem probari asserit per l. 1. *Cod. de condict. ob turp. caus.* vnde Bald. *in l. qui sine vsuris. ff. de negot. gest.* relatã Pelei do Arinã format quæſtionem: & indistinctè tenet, tutorem teneri ad restituendum, quod recipit: quia officium eius debet esse gratuitum, & nihil potest recipere, nec lucrum ex administratione sua procurare. † Et Gutier. *in tract. de tutel. part. 2. capit. 11.* qui asserit data tutori munuscula gratuitò, & sine pactione, non repeti; quod & verum est: secùs de muneribus magni valoris, & conuentione tacita, vel expressa præcedente: vt notauit in casu nostro Castrenſ. *in dict. l. si plagij. num. 2.* fuit tamen hoc negotium inter partes amicis tractantibus concordatum.



CAPVT LXXVII.

Hæres grauatus de restituendo facit suos fructus hæreditatis, non solùm pendente conditione perceptos, sed etiam post euentum conditionis, antequam fuerit interpellatus de restituendo; nisi tamen fuerit hæres fiduciarius, qui nudus est minister, & ideo fructus restituere tenetur. Dicitur autem fiduciarius si concurrant quatuor à iure requisita: Et ex quibus coniecturis colligi possit hæredem esse fiduciarium: Et quæ sit differentia inter fiduciarium hæredem, & legatarium de quo testator confusus noluit testes adhibere in sua dispositione.

S V M M A R I V M.

1. Hæres regulariter fructus pendente conditione fi-

- deicommissi perceptos non tenetur restituere fideicommissario.
2. Hæres grauatus suos facit fructus post euentum conditionis, si fideicommissarius fuerit negligens in petendo.
3. Limitatur si fideicommissarius habuerit iustam causam absentia, vel sit minor, pupillus, vel furiosus.
4. Quatuor requisita concurrere debent ad faciendum hæredem fiduciarium.
5. Hæres fiduciarius est potius minister, quàm verus hæres.
6. Hæres grauatus de restituendo quidquid ad eam ex hereditate pronenerit, non propterea dicitur fiduciarius.
7. Fructus hereditatis non sunt hereditarij.
8. Acquisita per hæredem ex fructibus, ad ipsum iure proprio pertinent.
9. Potest tamen testator mandare vt fructus inueſtiantur ad vtilitatem fideicommissi.
10. Uxor conuolans ad secunda vota non tenetur restituere liberis primi matrimonij quasita ex fructibus bonorum mariti.
11. Non minus uxor est fiduciaria si cetera concurrant, quamuis grauata sit de restituendo in casum mortis, vel secundarum nuptiarum: & num. 13.
12. Non conuenit fiduciario grauamini quòd institutioni adiecta sit conditio, quæ etiam viuente fideicommissario potuerit non existere.
13. Concurrentibus coniecturis hæres fiduciarius declarandus est non obstante mixtura aliarum conditionum extrinsecarum.
14. Quòd uxor grauata sit restituere post mortem, non præiudicat fideicommissio confidentiali.
15. Grauamen impositum de restituendo integrè & sine detractone, deductã certã summã, arguit hereditatem confidentialem.
16. Iussus aliquid retinere, videtur iussus totum residuum alteri restituere.
17. Si mulier iussa fuerit hereditatem restituere dote retenta, ex eo confidentia arguitur.
18. Pupillaris atas filiorum est magnum argumentum confidentia.
19. Quando dilatio data fuit fauore tã hæredis, quàm substituti, quidam existimant etiam fructus esse restituendos.
20. Geminatio & conculcatio verborum multùm prodest ad inducendam fiduciariam restitutionem.
21. Uxor hæres fiduciaria dotem suam cum fructibus illius deducit de fideicommissio.
22. Mulier cui legatum à marito factum est, casu quo conuolet ad secunda vota; perinde est quoad illud legatum, ac si ad illas conuolet de licentia mariti.
23. Mulier non tenetur liberis petere tutorem qui ni hil præter alimenta habent.
24. Mater que tutelam formiter non acceptauit, non amittit legatum sibi à marito factum, quamuis ad secunda vota non petito tutore transferit.
25. Fiduciaria restitutio non inducitur, si ex coniecturis colligatur ipsam fuisse absque fiducia grauata.
26. Non inducitur fiduciarium grauamen, nisi ultra causam adsint etiam verba testamenti, ex quibus fiducia argui possit.
27. Magna est differentia inter substitutionem fiduciariam hereditatis, & legatum secreto fidei hæredis

hæredis commissum, quod iustis de causis testator coram testibus declarare noluit.

- 28 *Hoc posterius confidentie genus probatur etiam per testes singulares.*
- 29 *Sufficit quod testes deponant se audiuisse hanc confidentiam, ex ore testatoris vel hæredis.*
- 30 *Fauore liberorum declaratio testatoris circa fiduciam, probatur duobus testibus.*
- 31 *Confessio hæredis quando respicit actum proprium ipsius, dum dicit testatorem sua fidei aliquid commississe, probat contra ipsum.*

- C**VM vxor grauata fuisset fideicommissio ex testamento mariti de restituendo illius hæreditatem liberis suis in casum secundarum nuptiarum, liberi petierunt restitutionem, non solum proprietatis, sed etiam fructuum vsque in diem secundarum nuptiarum perceptorum: & hoc quia licet regula generalis sit hæredem grauatum non teneri restituere fructus post aditam hæreditatem perceptos, ante aduentum casum fideicommissi; *l. si quis bonorum. ff. de legat. 1. l. in fideicommissariam. & l. postulantem. §. sed si huiusmodi. ff. ad Trebell. & clarè probat text. in l. Herennius. ff. de usuris, & tradit Rip. in dicta l. in fideicommissariam. num. 4. Gabriel. consil. 121. num. 58. lib. 1. Surd. consil. 291. num. 6. cum aliis per eum allegatis.*
2. Quod adeo verum est, vt non solum hæres grauatus suos faciat fructus perceptos ante aduentum conditionis, sub qua grauatus reperitur; verum etiam fructus quos percipit post aduentum conditionis, antequam fuerit interpellatus per fideicommissarium de restituendo hæreditatem, idque propter negligentiam fideicommissarij non petentis; *l. mulier. 22. §. si hæres. ff. ad Trebellianum. Peregrin. de fideicom. artic. 49. num. 79. Pacif. de saluian. interdict. inspect. 3. cap. 4. num. 375. † Quod tamen limitatur vt non procedat,*
3. *quando fideicommissarius propter propriam absentiam non petit hæreditatem sibi restitui. Bart. & alij in dicta l. in fideicommissariam. vbi Rip. num. 10. Idemque procedit si fideicommissarius sit pupillus, vel furiosus aut similis persona quæ absentibus æquiparatur; quia hoc casu nihil est quod ipsi fideicommissario imputari debeat, si non petierit. l. in minorem. Cod. quib. ex caus. in integ. restituit. non est necessar. Gabriel. consil. 121. num. 58. & 59. lib. 1. Menoch. de arbitrar. cas. 256. num. 26. Idem dicendum est in minore per text. in dicta l. in minorum. Vincent. de Franch. decis. 16. text. est in l. cum quidam. §. si pupilli. ff. de usur. & in l. ait prator. §. primo, iuncta glos. in verb. ultra usuras. ff. de minoribus. Circa quod videri poterit Cost. de rat. quest. 28. num. 8. Honded. consil. 36. num. 15. volum. 2. Gaspar. Roderic. de annu. reduib. libr. 3. question. 7. numer. 92. vbi id limitat & explicat.*
4. Tamen ex facti circumstantiis, & ex verbis testamenti eliciebatur voluntas mariti faciendi hæredem vxorem duntaxat fiduciarium; cum quatuor à iure & Doctoribus requisita ad faciendum hæredem fiduciarium concurrant. Primò, quia fideicommissarius erat filius testatoris. Secundò, quia hæres instituta erat vxor, erga quam maritus magnam habebat confidentiam, quam & ex verbis testamenti colligi asserebant. Tertio, quia vxor erat in tota hæreditate instituta, & de tota restituenda grauata, etiam exclusâ quacumque detractione. Quarto, quia conditio fideicommissarij præbuit causam dilationis, cum
5. *esset adhuc in pupillari ætate constitutus. † Quibus ita concurrentibus concludunt communiter Doctores matrem aut aliam similem personam confiden-*

tem, ministram potius & custodem bonorum, & fiduciarium nuncupari debere, quam veram hæredem; & eâ ratione cogi posse ad fructuum post aditam hæreditatem perceptorum restitutionem. *l. Seius Saturninus: & ibi DD. ff. ad Trebell. Peregrin. de fideicom. artic. 3. num. 29. Rot. decis. 765. num. 1. part. 2. recent. Gratian. discept. forens. cap. 650. per totum. & maximè num. 5. cum pluribus ibi citatis. Corneus, consil. 335. num. 29. lib. 1. Fontanel. de pact. nuptial. tom. 2. claus. 5. glos. 8. part. 5. num. 74. & sequentib. Fufar. quest. 626.*

Non sufficeret autem si testator simpliciter onerasset vxorem, vt liberis restitueret quidquid ad ipsam ex hæritate peruenisset. *Mantic. de coniect. lib. 7. titul. 10. numer. 7. † Ratio est quia fructus hæreditatis non sunt hæreditarij. Surd. decis. 271. numer. 8. † Multò minus acquisita per hæredem ex fructibus quæ ad ipsam iure proprio pertinent. Crauet. consil. 295. numer. 4. † Nisi tamen testator expressè mandasset fructus inuestiri in fauorem fideicommissarij, & pro augmento fideicommissi. Rot. decis. 682. num. 8. part. 2. recent. relata apud Gratian. discept. 640. † Et facit à simili de vxore conuolante ad secunda vota, quæ licet teneatur restituere liberis primi matrimonij omnia quæ sita ex substantia mariti; non tamen tenetur restituere quæ sita ex fructibus bonorum mariti. Franc. decis. 18. per totam. Ioannes Andreas Georgius, allegat. 24. num. 8. & sequentib. maximè si tales acquisitiones fuerint factæ per hæredem grauatum nomine proprio. Surd. decis. 15. num. 8.*

Neque obstat si dicatur dictam vxorem non simpliciter fuisse institutam hæredem, & grauatum de restituendo, aduentibus casibus in testamento expressis, ob solum fauorem filij; cum adiectæ fuerint aliæ conditiones quæ ostendunt etiam fauorem matris fuisse in consideratione apud testatorem, qui voluit quod ipsa restitueret post mortem suam, vel in casum secundarum nuptiarum: quo casu dilatio non censetur apposta fauore solius fideicommissarij; sed etiam fauore ipsius hæredis grauata: vt per Angel. & Alexand. in dicta l. Seius Saturninus. † Quia legis illius dispositio non procedit, quando institutioni adiicitur conditio, quæ etiam viuente fideicommissario potuit non existere. *Gabriel. consil. 128. num. 3. volum. 1. Rip. in l. cum filiofamilias. num. 61. ff. de legat. 2. Mantic. libr. 7. de coniect. tit. 10. num. 16.*

Quia Responsum fuit hoc esse verum, quando aliæ circumstantiæ non traherent animum iudicis, vt ex illis colligeret intentionem disponentis, vt dilatio seu conditio per eum adiecta fuisse fauore fideicommissarij crederetur: prout in casu proposito plures concurrebant coniecturæ: vt notanter dicit Peregrin. de fideicommiss. articul. 49. numer. 26. † Immodò multi existimant non præiudicari fideicommissio confidentiali, quamuis vxor post mortem suam rogata esset restituere. *Menoch. consil. 1135. numer. 14. & 17. vbi præcisè loquitur de matre grauata de restituendo liberis post mortem suam hæreditatem mariti, consideratâ iuuenili ætate ipsorum. Fontanel. de pact. nuptial. claus. 5. glos. 8. part. 4. numer. 82. versic. quoad tamen requisitum.*

Coniecturæ autem in casu proposito erant euidentissimæ: quia testator declarauerat disertis verbis se velle, vt vxor restitueret integrè & sine detractione omnia bona & hæreditatem suam, ita quod ipsa haberet super dictis bonis summam decem millium librarum pro omnibus iuribus sibi competentibus;


16. & totum residuum restitui eâ ratione mandauit: † vt per text. in l. 3. §. cum Pollidius. ff. de vsur. tradit ibidem Bald. in 2. notabili, quod iustus aliquid retinere, videtur iustus totum residuum alteri integraliter restituere: & magis ad propositum est text. in l. cum quis. §. mulier. ff. de dote preleg. † Vbi mulieri cui dos à marito relicta fuit, & ab eo hæres instituta, grauata de restituendo totam hæreditatem, tenetur etiam fructus ex hæreditate perceptos restituere: vt bene Cuiac. in explicatione d. §. cum Pollidius, ad librum 19. quæst. Papin. Peregrin. de fideicom. artic. 49. num. 27. & Ioan. Copus in tract. de fructib. tit. 3. tertiæ partis, cap. 2. num. 5.
18. Et sanè negari vix poterat, quin propter pupillarem ætatem filij, dilatio fauore ipsius duntaxat appositæ censeretur: & ideo fructus illi restituendi essent: maximè concurrentibus alijs requisitis per text. in l. si ita §. Pegafus. ff. de legat. 2. Rip. in dicta l. in fideicommissariam. num. 7. Copus loco citato, num. 6. & 7. Cancr. part. 3. cap. 20. de legat. num. 29. & 30. Mantic. de coniect. lib. 7. tit. 10. num. 10. † Immo si credimus Menochio, fructus restituendi sunt per hæredem grauatum, quando restitutio demandata fuit sub dilatione in gratiam vtriusque tam fideicommissarij, quàm hæredis grauati: vt notauit Menoch. in tractat. de arbitrar. cas. 256. num. 18. in fine, versic. quam declarationem.
20. Perpendenda etiam erat geminatio verborum, quibus testator dictam summam decem millium librarum vxori reliquerat, pro omnibus & quibuscumque iuribus quæ ipsa prætere poterat super bonis & hæreditate sua: quam geminationem considerat Menoch. de arbitrar. dicto cas. 256. num. 16. Mantic. loco citato, numer. 12. & 13. Peregrin. dicto artic. 49. num. 28.
21. Restituenda igitur erit tota hæreditas cum fructibus à die mortis perceptis, deducta tamen in primis dote sua, & iuribus dotalibus, cum fructibus ipsorum: per text. in dicta l. cum quis. §. mulier. ff. de dote preleg. Peregrin. dicto art. 49. num. 27. Copus in tract. de fructib. tit. 3. part. 3. cap. 2. num. 5. Socin. iun. consil. 170. num. 6. & 7. volum. 2. vxor enim statim post aditam hæreditatem censeretur dotem suam deduxisse: & ideo fructus vsque ad concurrentem dotis quantitatem non tenetur restituere.
22. Neque petitioni legati decem millium librarum nocebat transitus ad secunda vota, cum maritus illas legasset in casum secundarum nuptiarum; quo casu perinde est ac si ad illas conuolasset cum licentia mariti. Cod. Fabri. lib. 5. tit. 5. de secund. nupt. definit. 5. Gutier. de matrim. cap. 109. num. 60. Sanch. in eod. tract. lib. 7. disput. 89. num. 52.
23. Neque tenebatur liberis petere tutorem, cum nihil haberent præter alimenta. l. 2. §. si mater. ff. ad Tertull. Montan. de tutel. cap. 15. n. 104. Gutier. in eod. tract. part. 1. cap. 16. num. 101. & 103. iuncto. num. 134. & 135. † Immo non perdit legatum mulier, quæ formiter tutelam non acceptauit: prout ab hac vidua acceptata non fuerat. Surd. consil. 175. num. 33.
25. Cæterum præmissa procedebant stantibus prædictis circumstantiis: nam si illæ cessarent, aut aliæ in contrarium adducerentur, concludendum esset contra fideicommissum fiduciarium: prout in casu occurrenti aliquando Respondi iuxta egregiam decisionem Burat. 616. num. 23. & sequent. & per totam decis. quæ tamen alijs de causis fuit reuocata apud eundem Burat. decis. 901. † Vna autem ex coniecturis esset, si in testamento nulla adessent verba quibus designaretur testatorem habuisse confidentiam erga personam hæredis instituti: vt per Bald. in dicta l. 3. §. cum Pollidius.

sub num. 1. ff. de vsur. & ibi Cuiac. versic. ergo duplici. Peregrin. dicto artic. 3. num. 19. versic. fiduciam autem. & versic. quartum. Illustriss. Dominus Argel. de acquir. possess. quæst. 15. num. 60. Caualer. decis. 381. num. 2. versic. Nam hæredem. & num. 5. versic. concurrentibus igitur. & probatur in l. quidam cum filium. 46. versic. respondi. ibi manifestum esse debet scriptum hæredem fidem dedisse, & testatorem fidem eius secutum fuisse. ff. de hæred. instit. Hodiern. in l. hac edictali. quæst. 28. n. 34. Rot. decis. 351. num. 13. parte 4. recent. tomo 2. seu part. 8. recentior. & in decisionibus insertis in fine huius capituli.

Verùm diligenter aduertendum est, magnam esse differenciam inter casum prædictum, & illum qui continetur in l. final. Cod. de fideicom. Nam in d. final. supponitur quòd testator de vxore confusus fuerit, & propter talem confidentiam testes adhibere noluerit, dum illam de restituendo legatum grauauit, Corn. in dicta l. final. num. 4. Fusar. consil. 32. n. 9. Propriè enim fiducia non cadit in relictis particularibus. Rota, dec. 351. n. 14. part. 4. recent. tom. 2. seu part. 8.

Quæ confidentia circa legatum probatur per testes, quos etiam singulares sufficere voluit Castrenf. consil. 395. num. 1. versic. hi quidem testes. volum. 2. quem sequitur Rot. in casu fiduciarie hæreditatis. decis. 765. part. 2. recent. num. 7. & 8. † Et sufficit quòd depo- nant se ita audiuisse à testatore, vel ab hærede. Crauet. consil. 73. num. 3. Mantic. de coniect. lib. 12. titul. 16. num. 20. † Præsertim si agatur de fauore liberorum, quo casu duo testes sufficiunt. Seraph. decis. 1302. num. 6. & 7.

Confessio etiam sola hæredis probat fideicommissum, quando respicit actum proprium ipsius hæredis contentis: vt cum fatetur testatorem suæ fidei commississe vt aliquid certæ personæ præstaret: vt bene explicat Fusar. d. conf. 32. Bellon. iun. conf. 18. n. 30. vers. 4. & ult. casus. Sed ista confessio probari debet saltem per duos testes. Rota, d. decis. 351. n. 20. part. 8. recent.



DECISIO ROTÆ ROMANÆ in causa Carpentoraten. hæreditatis coram R. P. D. BICHIO.

28. Iunij 1647.

Cvilibet ex filiis tam natis quàm nascituris Bernardus Fabre in testamento, quod condidit de anno 1584. legauit iure particularis institutionis florenos 600. certis temporibus soluendos. Et vterius mandauit illos enutriti, vestiri, & educari in omnibus bonis moribus & vittutibus, maribusque de bona arte prouideri sumptibus hæreditatis; addito quòd nihil aliud habere, aut petere possint super eius bonis, & hæreditate; siue iure legitima, quartæ Trebellianicæ, Falcidicæ, aut quocunque alio iure, quia vult dicto legato esse contentos.

Deinde scripsit hæredem vniuersalem Claudium fratrem germanum, solum & pro toto, per quem voluit, & ordinauit supradicta legata realiter solui & satisfieri. Qui Claudius ab anno 1596. quo decessit testator bona hæreditaria tanquam verus, & solus hæres pacificè possedit vsque ad annum 1620. & successiuè possederunt eius filij, & hæredes vsque ad annum 1641. tunc enim, & sic elapsis 45. annis Ioanna filia Bernardi testatoris, & Franciscus eiusdem nepos

ex Teofredo filio contra illos petierunt immitti, sub prætextu quòd Claudius vt supra institutus hæres vniuersalis à Bernardo fuerit duntaxat hæres confidentialis seu fiduciarius, cum onere restituendi hæreditatem filii testatoris.

Prodiit hæc lis coram Iudice de partibus in Ciuitate Carpen. donec per appellationem à decreto admissiois articuloꝝ à D. Vicelegato ad vtrumque effectum admissam deuoluta ad Curiam finem primæ instantiæ recepit à sententia absolutoria contra actores lata, & nunc secundam instantiam sortitur in Rota, vbi proposito à me hodie dubio an actoribus sit danda immissio, non esse dandam Domini censuerunt.

Vt enim hæres fiduciarius quis institutus dicatur, copulatiuè inter cætera requiritur causa ob quam testator proprios filios, nõ potius recta via, sed mediante alio hærede fiduciario ad suam hæreditatẽ vocauerit, & verba testamẽti ex quibus fidei hæredis instituti hæreditatis restitutionem cõmittere voluisse deducatur, vt notat Bald. in l. in fideicommissi 3. §. cum Pollidius. ff. de vsur. ibidẽque Cuiac. vers. ergo duplici. Bertaz. conf. ciuil. 8. n. 8. Honded. conf. 51. n. 88. lib. 2. Peregr. de fideic. art. 3. n. 19. vers. & fiduciarium, & de iur. Fisc. lib. 3. tit. 19. n. 3. Rot. decis. 381. n. 2. corã bon. mem. Card. Caualer. decis. 616. n. 15. & 23. coram bon. mem. Burat. decis. 351. n. 13. part. 4. tom. 2. recent. & in Bononien. Iuris patronatus 4. Iulij 1640. coram me §. 1. defumiturq; ex text. in d. l. in fideicommissi. §. cum Pollidius. ff. de vsur. in l. quidã cum filium familias. 46. ff. hered. instit. in l. Seius Saturninus 46. ff. ad Trebell. in quibus vtrumque concurrebat; Probandum autem vtrumque est ab allegante, vt habetur in d. l. quidã cum filium familias, ibi non aliter ab eo fideicommissum peti posse, quàm si & ipsum testatorem fidem eius secutum esse probaretur.

At in calu nostro non probarunt actores, itimò verba testamenti excludunt penitus fiduciarium, siue attendamus institutionẽ hæredis, ibi, instituit heredem Claudium Fabre eius fratrem dilectũ, solum, & pro toto; ponderando præsertim verba illa solũ & pro toto, quæ importate videntur plenum dominium tã in proprietate, quàm in fructu, & per consequens plenariã ac liberam institutionem, vt ad propositum ponderat Ioseph. Ramon conf. 67. sub n. 17. quamuis hoc solũ non sufficit si alia adessent signa fiduciæ Bertazz. d. conf. ciuili lib. 8. n. 17. vers. secundo per facultatem. Cancer. var. resol. tom. 1. cap. 1. n. 219. & seqq. Siue attendamus præcedens legatũ factum filiis cum expressa prohibitione plus petendi, per quam dicuntur penitus exclusi ab vniuersali successione. Bar. in l. quoties §. si duo. n. 1. & 5. ff. hered. instit. Ruin. conf. 90. n. 11. lib. 2. Gabr. conf. 132. n. 42. lib. 1. Rouit. conf. 47. n. 14. vbi ait ex dicta prohibitione resultare clarã mentẽ testatoris, quod taliter instituti in nullo casu possint plus habere lib. 1. Rot. decis. 635. n. 4. part. 1. recent. Præsertim quia prohibiti sunt petere ex causa legitimæ, Trebellianicæ, & Falcidiæ, aut quocunque alio iure, atque ita nec iure fiduciarię institutionis, quod ac omne aliud sub vniuersalitate verbi quocunque cõprehenditur. Ruin. conf. 98. n. 11. lib. 2. Ceph. consil. 13. n. 1. cum tamen sufficeret non adesse aliquod verbũ confidentiẽ indicatiuum. Burat. dict. decis. 616. numer. 18. vers. maximè, Rot. dict. decis. 351. n. 13. vers. nam de verbis. part. 4. tom. 2. recent.

Causa pariter non est ex aduerso probata; Nec allegare sufficit quòd filij testatoris essent impuberes, ad tradita per Peregr. de fideic. art. 3. num. 19. versic. quia impubes Negus. quæst. 310. numer. 53. versic. c. minor etas, Moder. Neapol. in l. hac edictali. quæst. 28. sub num. 35. versic. item potest. Cod. de 2. nupt. Aut

quòd testator hoc modo prouidere voluerit filiis de administratore, eidẽque Claudio administratori filiorum successiuam obedientiam, de qua alioquin verberatur conseruare.

Quia cum non omnes filij essent impuberes (adeo enim Franciscus ætate maior tempore testamenti) in omnibus non militabat causa pupillaris ætatis, siue timoris inobedienciæ, qui in impuberibus cadere non poterat, & per consequens ne eadem institutio quoad aliquos filios censeatur fiduciaria, libera verò quoad alios; dicendum est nullatenus fiduciariam esse, vt in his terminis aduertit Burat. dict. decis. 616. sub numer. 23. vers. causa non conueniebat, & num. 24.

Edò minus quia testator aliter poterat Claudio fratri hæredi instituto filiorum administrationem, ac gubernium & filiis obedientiam erga Claudium iniungere, Bertrand. conf. 47. sub n. 7. vers. si enim. vol. 3. part. 2. Cuman. conf. 108. sub n. 1. vers. iustus tamen. Grat. discept. 446. n. 5. Provt specialiter per Capitulum separatũ iniunxit; Vnde instituendo postea Claudium hæredem vniuersalem tãquam fratrem dilectum, ibi, eius fratrem dilectum præsumitur non ex alia causa quàm dilectionis motus ad instituendũ, vt in proximis terminis Decius conf. 601. sub n. 4. vers. & in fauorem, & in puncto Rot. in supra ciuata Bononien. Iuris patronatus coram me, §. neque pro causa, vers. quem potius. Vel in omnem euentũ negari saltẽ non potest quin allegata causa simulandi institutionẽ fratris, ac fiduciæ sit dubia, sed certa requiritur: Abb. conf. 9. numer. 1. & 8. Natt. conf. 6. 8. numer. 17. & sequentib. Honded. conf. 46. numer. 3. & 4. lib. 1. Farinac. conf. 40. sub numer. 60. lib. 1. & fuit dictum in Bononien. bonorum de Monterentius 27. Iulij 1611. coram bon. mem. Penia.

Hinc non obstant testes ex aduerso examinati: Quia nemo deponit de causa fiducialitatis, nec interfuerunt testamento, & quatenus deponunt de verbis longè post testamentum prolatis à Bernardo testatore vel à Claudio hærede, ex quibus fiducialitas probari potest, Castill. quotid. contr. lib. 5. cap. 69. col. 8. & 9. Rot. decis. 765. num. 10. part. 2. recent. non merentur fidem.

Primò quia aliqui ex illis examinati fuerunt vigore monitorialium absque citatione partis, Surd. conf. 129. numer. 23. Giurb. decis. 95. numer. 1. Rot. decis. 250. numer. 23. part. 6. recent. Alij examinati fuerunt post interpositam appellationem à decreto admissiois articuloꝝ, quæ licet quando tale decretum interlocutorium est, non impediatur, quominus Iudex à quo possit ad vteriora in examine procedere, donec per Iudicem appellationis fuerit inhibitus, Lancell. de attent. part. 2. cap. 12. limit. 1. numer. 1. & sequentib. Rot. decis. 17. de appellat. in antiqu. & in Mantuana bonorum 20. Maij 1611. coram Vbaldo seniori impress. apud Marches. de commiss. part. 1. fol. 1221. numer. 1. obest in casu nostro quo decretum est diffinitiuum, vt patet ex lectura, ibi, seruatis terminis, & conclusione in causa, & c. Christi nomine, & c. Summ. Ioannes & litis conf. num. 12. Et vltro verificata fuit causa appellationis coram Iudice superiori, nempe V. Legato Auenionens. ad cuius signaturam spectant appellationum admissioes, illẽque appellationem ad vtrumque effectum admisit; Nam talis admissio vi retrotractionis ad diem decreti reddit attentatum examen testium & quicquid medio tempore gessit Iudex à quo. Lancell. de attent. part. 2. cap. 12. ampliat. 19. numer. 1. Reuerendiss. Vrgellen. decis. 96. numer. 4. cum aliis allegatis ab Adden. ad Buratt. decis.

decif. 902. numer. 6. & in Collen. Decanatus 7. Maij 1640. coram R. P. D. meo Roias.

Secundò quia esto quòd sufficerent duo testes, eo quòd agitur de probanda, siue voluntate patris inter liberos, quæ duobus testibus probatur *l. hac consultiſſima. §. ex imperfecto*, ubi Iaf. *n. 6. Cod. testam. Gabr. de testam. conclus. 7. n. 1. & 2. Michael Grass in §. testamenum. quaest. 11. n. 4. Seraph. decif. 1302. n. 6.* siue conuentione inter testatorè & hæredè de restituendo hæreditatè filiis testatoris, quæ pariter non ultra duos testes requirit, vt in his terminis Iaf. *in l. fin. n. 17. & 18. Cod. iudic. Alb. conf. 529. n. 5. & 6. Grat. discep. 650. n. 3. aliq; allegati per Mart. de success. legal. part. 4. q. 3. art. 4. num. 19. & 20. Moder. Bononien. de acq. poss. q. 15. sub n. 69. Burat. decif. 616. n. 7.* prout plures non requiruntur si probatio tendit ad declaranda verba testamenti ubi dubia sunt; Nam ubi sunt clara, vt in casu nostro, non est locus declarationi, sed inducitur ex verbis post testamentum, ad quam probandam septem omnino testes necessarii sunt, non secus ac ad illam inducendam iuxta magistralè distinctionem, quam aliis relatis tradit Surd. *conf. 129. n. 29. Hond. conf. 51. n. 7. & seq. lib. 2. Io. Franc. à Ponte conf. 63. n. 9. & seq. lib. 1. Cancet. var. resolut. part. 3. cap. 20. n. 408. & seqq.* & in his terminis secutus est Grat. *d. discep. 650. n. 25. & seq. Rot. coram Burat. d. decif. 616. numer. 4. & part. 2. recent. decif. 765. numer. 6. & 7.* Licèt in eo casu Rota duos tantùm testes admiserit, quia in testamento aderant verba confidentialia, vt patet *num. 13.*

Esto, inquam, quòd duo testes sufficerent; Tot in casu nostro non adfunt; Nam solùm sextus testis deponit audiuisse longè post testamentum à Bernardo testatore & Claudio hærede, ipsius Claudij factam fuisse institutionem sub promissione restituendi filiis testatoris.

Tertius autem testis deponit audiuisse à Claudio quòd quamuis teneret, & possideret bona Bernardi fratris nihilominus redderet contentos, & satisfactos eius filios, & poneret illos in quiete & pace, quæ verba non important per necesse promissionem restituendi bona, cùm verificari possint respectu supplementi legitimæ, quod deinde Claudius soluit filiis testatoris, cùmque sint admodùm generica, & ferè honorifica & curialia non obligant aut deponunt, *cap. cum venissent. circa med. vers. ipse vero. de inst. Iaf. in l. ita stipulatus num. 5. ff. verb. oblig. Seraph. decif. 135. num. 3. Andr. decif. 92. num. 8.*

Secundus pariter testis nullius est momenti, quia ait Bernardum & Claudium fratrem conuenisse simul de faciendo donationem reciprocam, & Claudium recepta per publicum instrumentum donatione à fratre, finxisse se ægrotum ne similem fratri faceret, de quo instrumento donationis Bernardi erga Claudium nullibi constat, & quatenus dicatur deperditum, non probatur eius tenor per testes non docto de instrumenti amissione, Castr. *in l. 1. num. 3. Cod. de fid. instr. Bart. in auth. si quis in aliquo. num. 6. C. edend. Ceph. conf. 171. num. 48. Surd. conf. 109. num. 10. Afflict. decif. 274. num. 4. Rot. in Bisuntina census 24. Maij prox. prat. §. 1. quia. coram R. P. D. meo Corrado.*

Vnde non vrget quòd ad probandam fiducialitatem admittuntur etiã testes singulares, Castrenf. *conf. 395. n. 1. vers. isti quidem testes part. 2. Aym. conf. 73. n. 33. Simon. de Petr. conf. 67. n. 12. Mant. de coniect. lib. 12. tit. 16. n. 20. Seraph. dec. 1302. n. 1. Rot. dec. 765. n. 7. & 8. part. 2. recent.* Quia vt dicebam vnicus testis, nempe sextus deponit de confessione extraiudiciali, ad quam probandum regulariter, nec sufficiunt testes singulares etiam singularitate adminiculatiua, Alex.

conf. 68. n. 8. lib. 3. Put. decif. 466. n. 1. lib. 2. in corr. Burat. decif. 117. n. 8. Et præterea quamuis testes deponent de ipsa dispositione seu pacto confidentiali, eorùm singularitas non possit admitti, nisi verba testamenti essent dubia, vt in puncto respondendo contrariis declarat Burat. *d. dec. 616. n. 16. Grat. discep. 650. n. 24. & plur. seqq.* Et testes deponent de diuersis actibus tendentibus ad eundè finem, secus verò quando deponunt de eodem actu, sed diuersimodè; prout in casu nostro deponit secundus, & sextus testis, & ratio diuersitatis est, quia primo casu singularitas est adminiculatiua, secundo verò oblatiua, quæ dicta testiù destruit; ita vt nullam omnino faciant probationem, Farinac. *de testib. qu. 64. n. 5. & 6. & n. 54. Ciriac. contr. 487. n. 1. & 2. seqq.* ubi allegat concord.

Rursus non obstat, quòd etiam coniecturis fiducialitas probari possit Salyc. *in l. etiam. n. 7. vers. item dico. C. ad leg. Falc. Rot. d. decif. 765. n. 11. part. 2. recent. cùaliis alleg. à Moder. Bononienf. de acq. possess. qu. 15. n. 70.* & sic concurrat Tum præsumptio maioris dilectionis erga proprios filios quàm erga fratrem, quam in puncto ponderat Bertazz. *conf. ciuil. 8. n. 9. Pacian. conf. 66. n. 14. & seqq. Alb. conf. 529. n. 37. Cancet. var. resolut. tom. 1. cap. 1. n. 217.* Tum successiua declaratio facta per Bernardum testatorem, quòd Claudius scuta 600. quæ ei debet Bernardus detrahere in primis possit, si quando mortuo Bernardo ad diuisionè cum eius filiis deueniret; id quod supponit bona Bernardi ad filios esse deuoluenda; Tum obseruantia, nã Claudius postea in suo testamento æquè instituit cum propriis filiis filios Bernardi, vt in his terminis ponderat Bertazz. *conf. 8. num. 12. vers. quarto. & num. 13.* & idem Claudius viuens soluit filiis Bernardi ultra quantitatem florenorum 600. à patre legatam.

Coniecturæ enim admittuntur ubi verba testamenti clara non sunt, at in claris non est locus coniecturis *l. continuus. §. cum ita ff. verb. oblig. l. ille aut ille. §. cum in verbis. ff. leg. 3.* & in his terminis Ioseph. Ramon. *conf. 67. num. 17.* Præter quod ex aduerso adductæ non releuant.

Nam paterno amori, & obligationi erga filios satisfactum fuit mediante legato in causam legitimæ, ultra quam potuit pater ad liberum de bonis disponere, *Dec. conf. 246 sub n. 4. & conf. 547. n. 1. Paris. conf. 34. n. 24. lib. 2. Menoch. conf. 685. n. 4. & seqq.* & in reliquis bonis præsumitur magis quàm filios dilexisse eum quem hæredem vniuersalem instituit. Simon de Præt. *de interpret. ult. volunt. dub. 2. lib. 4. n. 7. Grat. discep. 565. n. 11.* aliter dicendum esset quòd testamentum patris semper esset fiduciale quando filios hæredes vniuersales non instituit.

Declaratio debiti detrahendi in casum diuisionis procurata fuit à Claudio, vt sibi suffragaretur in euentum, in què Bernardus institutionem de eo factam reuocaret, vt poterat. *Oldr. conf. 174. n. 2. Gutier. conf. 2. n. 6. Ciriac. contr. 168. n. 5. & per tot.*

Obseruantia est pro Claudio, quia prius testamentum, in quo ille etiam nepotes ex Bernardo fratre hæredes instituerat non habuit effectum, sed per secundum continens dumtaxat institutionem propriorum filiorum reuocatum fuit. *l. 1. §. penult. ff. si tabul. testam. null. extab. Bald. in l. sancimus. num. 2. Cod. de testam. Bart. in l. si iure 18. numer. 3. ff. legat. 3. cum aliis allegatis in Nepeſina hereditatis 27. Martij 1626. coram bon. mem. Remboldo.*


Quòdque Claudius soluit filiis Bernardi ultra quantitatem legatam à patre cessit in causam supplementi legitimæ eisdem filiis debiti non obstante patris prohibitione *l. quoniam in prioribus. C. inoff. testam. Dec. conf.*

conf. 495. num. 22. & conf. 688. n. 7. Peregr. fideicom. art. 39. num. 2. aliique allegati per Moder. de legit. lib. 3. tit. 3. quæst. 6. num. 3. & per hanc solutionem factam à Claudio tanquam hærede Bernardi ipsum dicti filij in verum hæredem agnouerunt: ad tradita per Surd. conf. 212. num. 10. & decis. 104. num. 7. & 8. Rot. decis. 338. num. 8. part. 4. tom. 2. recent. Quo magis contrahendo pluries cum Claudio tanquam vero hærede, ac permittendo quòd ille hæreditario titulo omnia alia bona Bernardi possideret per 45. annos, intra quos gratis negatur eos ignorasse assertum pactum confidentiale, cum testes ex aduerso inducti deponant fuisse de hoc publicam vocem & famam, Peregr. de fideicom. art. 52. numer. 104. vers. quintus. Farinac. in fragment. liter. I. num. 138. Trentacinq. var. resolut. lib. 3. tit. de transact. resolut. 1. num. 26.

Hæc autem obseruantia subsecuta confidentiam excludit. Burat. d. decis. 616. num. 20. concurrentibus præsertim in idem aliis coniecturis, nempe quòd Bernardus certos executores sui testamenti reliquit, nec reliquisset si de fide hæredis integrè confidisset. Quòd Claudium hæredem filijs in quantitate illis legata substituit, nec è conuerso eosdem in hæreditate substituit Claudio in certum tempus, aut euentum vt solet quando institutio est fiduciaria; ita vt non sufficiat substitutio in euentum incertum. Alexand. in l. Seius Saturninus 46. num. 3. & 4. ff. ad Trebell. Ias. in l. si cui legatur §. hoc autem, num. 10. ff. leg. 1. Neguf. quæst. 310. num. 53. Quòd licet Claudius tempore testamenti conditi à Bernardo, filijs, & vxore careret, nupsit tamen postea, & filios suscepit, nec Bernardus qui diù superuixit testamentum reuocauit, aut aliquam declarationem fauore filiorum ipsius Bernardi à Claudio fieri procurauit, vt verisimiliter fecisset si fidei Claudij hæreditatis restitutionem secretò commississet, cum eadem fides suspecta reddita esset ob superuenientiam filiorum.

Ex quibus coniecturis, necnon obseruantia, & verbis testamenti initio ponderatis confunduntur coniecturæ in contrarium adductæ l. diuus. ff. præsumpt. Surd. conf. 16. n. 23. & in his terminis Grat. discept. 650. num. 33. Burat. decis. 616. num. 23. & in dubio pronuncian- dum est pro possessore. Casan. conf. 45. sub n. 163. vers. quia in dubio iudicandum.

Et ita decisum vtraque parte informante.



R. P. D.

B I C H I O

Carpentoraten. hæreditatis.

Veneris 5. Iunij 1648.

Fundamentis decisionis in hac causa editæ sub die 28. Iunij anni 1647. inhærendum esse Domini censuerunt non obstantibus, quæ pars aduersa in memoriali porrecto die 31. Ianuarij anni currentis contra illa deduxit. Causam enim fiducialiter instituendi hæredem vniuersalem Claudium fratrem præbere Bernardo testatori non potuit eius filiorum pupillaris ætas, quia tempore testamenti ipsorum alter; nempe Franciscus erat ætate maior, cui gratis dicitur quia dissipabat noluisse testatorem fidere hæreditatis administrationem, cum suppositum dissipationis non probetur, nec præsumatur, cap. fin. vers. nos causam de success. ab intest. Mant. de coniect. ultim. volunt. lib. 2.

tit. 5. num. 2. Grat. discept. 125. num. 28. Rot. decis. 34. num. 7. part. 5. recent. Et stante quòd pupillorum indemnitati illorumque erga patrum obedientiæ testator specialiter in testamento consuluerat, ætatis ratio seu dilapidationis timor qui in omnibus filijs non militabat censeri non possit causa motiua instituendi hæredem fiduciarium fratrem, ne eadem institutio fiduciaria quoad aliquos filios, quoad alios libera dicatur, vt per Burat. decis. 616. sub num. 23. & 24. aduertit 1. decis. in §. quia cum omnes, & §. seq.


Voluntas verò testatoris faciendi fratrem hæredem fiduciarium tantum, nec probatur ex verbis testamenti, quæ imò apertissima esse pro exclusione fiduciæ comprobatur prima decisio §. at in casu, nec ex testibus. Primò quia primum eorum examen est nullum ex defectu citationis, alterum attentatum ob præcedentem appellationem interpositam à decreto admissionis articulorum, quod appellabile esse meritò fuit in Signatura R. P. D. Vicelegati Auenionensis iudicatum sic suadente ordine Iudicij, & ipsius decreti forma: siquidem redolet decretum diffinitiuum, & circa declarationem verborum testamenti non applicabilem verbis nostris penitus claris. Castr. in l. hæredes palam, §. si quid. sub num. 4. ff. testam. Becc. conf. 3. num. 44. Rimin. Iun. conf. 131. numer. 9. & conf. 200. num. 13. Surd. decis. 29. num. 6. Articuli ac testes desuper examinandi præstare non poterant voluntatis probationem siue per viam vltimi elogij siue per viam pacti pertinentem ad iudicium immissionis ex remed. l. fin. Cod. edict. diu. Adr. tollen. ex aduerso petitæ; cum remedium huiusmodi non competat vbi voluntas defuncti extra actum nuncupatiuè testandi probatur solùm per testes, vt notat Zuccard. in l. fin. num. 89. vbi respondet omnibus contrariis. Bald. in l. generali. num. 4. & 5. Cod. Sacrosanct. Eccles. Menoch. de adipis. remed. 4. num. 107. & sequentib. & in simili Scacc. de appellat. quæst. 17. limit. 9. sub. num. 64. vers. tamen ita. Gallef. de obligat. Camer. quæst. 26. sub num. 3.

Secundò, quia testes non sunt septem numero, vt requiritur ad probandam vltimam voluntatem, & quamuis duo satis essent ad probandum pactum de restituendo hæredem filijs Bernardi, totidem non adsunt in casu nostro qui deponant de pacto, sed aliqui conantur deponere de confessione extraiudiciali, sunt tamen singulares singularitate, vel obstatiua, vel saltem adminiculatiua, quæ efficit, vt confessio extraiudicialis non dicatur satis probata, Alexand. Pur. & Burat. allegati in 1. decis. §. vnde, quibus additur Seraph. decis. 1172. num. 5. æquitas namque Canonica quæ recedendo à regula contraria iuris ciuilibus desumpta ex text. in Auth. rogati. Cod. testib. §. Et licet Auth. eodem tit. Glos. in l. unica verb. soluere, Cod. confess. Alciat. in rubr. ff. verb. oblig. numer. 13. Oldr. conf. 291. num. 3. admittit quòd confessio extraiudicialis plenè probet, exposcit vt cautè procedatur in admittenda probatione huiusmodi confessionis, Rot. decis. 466. num. 4. part. 3. recent. Esto itaque quòd fiducialitas probari possit per testes singulares, conclusio non applicatur casui nostro quo singularitas versatur circa confessionem extraiudicialem fiducialitatis, nec de pacto, seu dispositione fiduciali testes deponunt, & quod plus est verba testamenti non sunt dubia, vt ad hunc effectum requiri dixit Burat. decis. 616. numer. 16. Gratian. discept. 650. num. 24. & sequentib.

Tandem coniecturæ, & obseruantia prævalent contra fiducialitatem ex ponderatis in prima decisione §. rursus, & seqq. Ad eo quòd nullatenus filij Claudij instituti hæredis vniuersalis in testamento Bernardi

Bernardi amouendi sint à possessione bonorum hæreditariorum capta à Bernardo vsque de anno 1595. & per annos 45. continuos per ipsum, & successiuè filios continuata in vim dicti testamenti, quod filiis, etiam Claudij testatorem suffragari voluisseprehenditur quoque ex eo quòd postquam suscepti fuerant illud non reuocauit, licèt superuixerit, signum euidens, quòd voluit cum eo testamento fauorabili Claudio, & filiis decedere l. 3. Cod. inoff. testament. Gloss. in l. tractabatur, verb. nihil noui. ff. testam. milit. Paris. cons. 62. num. 25. lib. 2. Dec. cons. 490. numer. 7. Rot. decis. 279. num. 13. part. 4. tom. 2. recent. & in Romana Domuncularum 10. Februarij 1648. coram Reuerendissimo D. meo Decano.

Et ita decisum informante solùm Ioanne fabri, & litis consortibus, altera tamen parte pluribus citationibus vocata, & expectata per quatuor, & amplius menses post concessam nouam audientiam.



CAPVT LXXVIII.

Testamentum filiafamilias, auctoritatem præstante patre, utrùm sustineatur saltem vigore clausuræ codicillaris, vel in vim donationis causa mortis. Quid si nemo pro absentibus acceptauerit, aut stipulationem interposuerit: Et an necessaria sit acceptatio, quando substitutus est in infantia constitutus: Et quæ hoc casu patri competant detractiones, & an auctoritatem interponendo donationi sibi præiudicauerit quoad suas detractiones, & nominatim legitimæ & Trebellianicæ, quæ hoc casu simul concurrere possunt.

S V M M A R I V M.

- 1 Si filia patri præmoriatur relictis liberis, dos à patre profecta non redit ad patrem, sed pertinet ad liberos ex consuetudine Martini ubique recepta.
- 2 Liberis post matrem defunctis succedit aui si solus sit; si verò alij adsint liberi, fratres defuncti omnes pro virili cum auo succedunt in dote profecta ab ipso auo.
- 3 Filiafamilias quantumuis nupta testamentum condere non potest, cum per matrimonium non liberetur à patria potestate.
- 4 Filijfamilias generaliter testamentum condere nequeunt.
- 5 Filiafamilias de dote profectiua testari nequit.
- 6 Consuetudo potest filiisfamilias deferre potestatem testandi.
- 7 Quæ requirantur ad probandam consuetudinem qua filijfamilias testandi facultatem habent.
- 8 Testamentum filiafamilias de dote profectiua sustinetur in vim donationis causa mortis; quando in eo adsunt clausule requisitæ.
- 9 Testamentum in quo nemo pro absentibus stipulatus est, non sustinetur etiam tanquam donatio causa mortis; quamuis illi pater auctoritatem dederit.
- 10 Per donationem causa mortis acquiritur ius absentibus, saltem in vim legati; vel fideicommissi.
- 11 Intellige quando ille qui disposuit erat capax testandi; aliàs non.

- 12 Donatio causâ mortis facta ab eo qui testari non potest, non valet neque vt donatio, neque vt fideicommissum.
- 13 De forma donationis causa mortis est, vt per eam absentibus nihil acquiratur.
- 14 Infantibus acquiritur per donationem nemine pro eis stipulante.
- 15 Sustinuitur facta in donatione sustinetur in vim pacti.
- 16 Quando donatio causa mortis fuit inualida quoad primum donatarium, non potest simpliciter subsistere quoad substitutum.
- 17 Primo gradu donationis existente valido propter præsentiam & acceptationem patris filij infantis, secundus est etiam val. dus; quamuis pro secundo nemo acceptauerit.
- 18 Mater non potest de dote profectiua disponere in præiudicium suorum liberorum, quibus consueudo illam defert, ex Hondedeo.
- 19 Sed hoc decidi non potest, nisi consideratis verbis contractus.
- 20 Consensus paternus adhibitus ad authorisandam donationem causa mortis factam per filiam, non prædicat pari in suis detractionibus.
- 21 Et nominatim pater simpliciter consentiens sibi non præiudicat quoad legitimam, quæ illi debetur ex persona filij; & præterea non censetur illi renunciatum etiam per ascendentes, nisi de ea specifica facta fuerit mentio.
- 22 Pater facta per filium donatione causa mortis duas quartas detrahit.
- 23 Donatarius à donatario Trebellianicam minimè deducit.
- 24 Hoc est verum, quando succedit tanquam donatarius; secùs si tanquam hæres ab intestato donatary primi qui grauatus est de restituendo secundo: quia Trebellianicam detrahit vti hæres filij grauati, non tanquam filij, sed tanquam hæredis ab intestato.
- 25 Legitima & falcidia concurrunt quando quis grauatus est restituere, non purè, sed sub conditione.
- 26 Donatarius causâ mortis patitur detractionem falcidie, non autem Trebellianicæ.
- 27 Pater non potest auctoritatem suam interponere in donatione, per quam illi acquireretur vsufructus.


Filiafamilias cui pater dotem in matrimonij contractu constituerat, morti proxima, testamentum condidit cum licentia & consensu patris, & mariti: institutòque hærede vnico filio, illi pro summa 700. scutorum fratres suos, pro residuo maritum substituit, cum clausula codicillari, & omni meliori modo in forma. Mortuâ testatrice, ac postea filio vnico hærede, ortæ fuerunt plures controuersie inter maritum, & locerum; quorum perita fuit decisio tam circa dicti testamenti per filiamfamilias conditi validitatem; quam circa vim & effectum clausularum prædictarum, & aliæ quæ sequentibus conclusionibus terminantur.

Prima Conclusio. Dos à patre profecta ad eum non rediit, attento quòd filia moriens reliquit filium superstitem quo casu est locus consuetudini Martini; quamuis filius matri per spatium duntaxat vnus horæ superuixerit. Rot. decis. 148. per tot. & n. 12. par. 4. diuers. Thesaur. decis. 190. Barbof. in l. post dotem. 46. ff. solut. matrim.

Et per consequens pater in totum tanquam proximior filio succedit, nullis aliis extantibus liberis; alioquin pro virili portione. Authent. defuncto. Cod. ad Tertul

- Tertullian. Capriol. de success. ab intest. lib. 2. num. 7.* auus autem qui dotauit, non succedit nisi deficientibus aliis in gradu proximioribus. *Capriol. ibidem.*
3. Secunda Conclusio. Filiafamilias testamentum condere non potest, quamuis sit nupta: quia matrimonium illam non liberat à potestate patris. *l. si uxor. Cod. de condit. inferr. Capriol. in tract. de success. ab intest. in protbeor. num. 199. Clar. in §. testamentum. quæst. 18. n. 3.* † filium autem familias testamentum condere non posse indubitatum est. *l. qui in potestate. ff. de testam. §. 1. Institut. quib. non est perm. fa- cer. testam.* † Et quòd filiafamilias de dote profectitia testari non possit, communiter receptum est, ex *Gratian. discepi. cap. 382. n. 1. Honded. consil. 32. num. 81. volum. 1.*
4. Fallit tamen nisi in contrariam adesset consuetudo permitrens filiisfamilias testari, vt in Hispania: teste *Gomel. ad l. 5. Tuuri & Neapoli, vt refert Ioan. Andr. Georg. allegat. 27. numer. 7. & Paduæ, ex Peregr. decis. 110. numer. 2.* † Ad quam consuetudinem probandam in terminis casus nostri quæ requirantur, ostendit *Gratian. discep. forens. cap. 79. n. 1. & seqq.*
5. Tertia Conclusio. Quando in testamento adfunt clausulæ omni meliori modo, & codicillaris; & quòd valeat in vim donationis causâ mortis, & aliæ similes; dispositio de dote profectitia per filiamfamilias in testamento facta, sustinetur in vim donationis causâ mortis. *Bald. in l. eam quam. n. 14. Cod. de fideicom. Grass. §. donatio. causâ mortis. quæst. 9. num. 5. Clar. in §. donatio. quæst. 6. n. 8. Gabriel. communem refert consil. 16. n. 8. vol. 1. & magis communem Bertrand. consil. 221. n. 2. volum. 4. idem tenet Pascal. de patria potest. part. 1. cap. 6. n. 116. Thesaur. decis. 150. numer. 12.*
6. Quarta Conclusio. Quando testamentum sustinetur in vim donationis causâ mortis, si donatarius esset absens, & nullus pro eo fuisset stipulatus; tale testamentum non valeret, quamuis factum cum auctoritate paterna, & cum clausulis prædictis, omni meliori modo, & codicillari; neque vtî testamentum, neque vtî donatio causa mortis, neque iure codicillorum: quia necesse est vt interuenerit acceptatio, præsentia vel stipulatio donatarij. *Clar. in §. donatio. quæst. 6. numer. 8. Roland. consil. 82. numer. 27. lib. 1. Grass. §. donatio causâ mortis. quæst. 3. num. 4. & quæst. 9. numer. 2. Thesaur. iun. ad decisionem patris 150. versic. vtrum autem donatio causa mortis. Gratian. discept. cap. 382. numer. 10. Pascal. dict. cap. 6. numer. 116. Guid. Pap. decis. 222. Ricci. collect. 1175.*
7. Et ideo quod dicitur ex donatione causâ mortis, acquiri absentibus saltem in vim legari, & fideicommissi: *Bertrand. consil. 168. num. 6. lib. 3. posterior. & consil. 83. num. 3. eod. volum. Rota diuers. decis. 245. num. 6. part. 1.*
8. Intelligendum est vt procedat, quando ille qui fecit testamentum erat capax illud condendi. *Franc. decis. 4. num. 19. Bertrand. dict. consil. 168. numer. 6. lib. 3. posterior. & consil. 25. num. 6. & consil. 110. n. 3. & 4. volum. 1. posterior. Peregr. de fideicom. artic. 1. num. 11. & sequentib.*
9. Secus est quando illa dispositio facta fuit per eum qui testari non poterat: quia tunc non potest valere tanquam legatum, neque tanquam restamentum; sed præcisè tanquam donatio causâ mortis, & secundum illius naturam duntaxat regulari debet: ex *Franch. dict. decis. 4. num. 19. Bertrand. dict. consil. 25. num. 6. Peregr. dict. art. 1. num. 14.*
10. Forma autem donationis causâ mortis est, vt per eam absentem nihil quæratut. *Couar. de testam. part. 3. num. 9. nisi aliquis pro absente paciscatur, vel stipuletur. Gratian. dict. cap. 382. n. 10. Franch. dict. decis. 4. num. 19. Bertrand. dict. consil. 83. num. 3. lib. 3. posterior. Pascal. dict. cap. 6. num. 117. Cancet. lib. 2. variar. resol. cap. 1. numer. 55. aliàs 65.* Quod verum est etiam si donatarius esset infans, pro quo necessarium est vt aliquis interueniat. *Honded. consil. 32. num. 30. volum. 1. videtur tamen quòd sola patris præsentia sufficiat fauore primi donatarij in infantia constituti: ex Gabriel. consil. 16. num. 15. volum. 1. Molin. de primogen. lib. 4. cap. 2. num. 75. Gutier. consil. 20. numer. 7. & 8. Pascal. de patr. potest. part. 4. cap. ult. numer. 53. & probatur in l. iubemus. Cod. de emancipat. liberor. in illis verbis: Nisi infantes sint. Et per illum text. ita tenet *Decius consil. 245. num. 3.**
11. Hinc oritur non leue dubium. Verum enim est quòd substitutio facta in donatione causa mortis sustinetur in vim pacti, ex beneficio leg. quoties. *Cod. de donat. que sub modo. Gloss. in l. final. §. si autem in verb. donationibus. Cod. de caduc. tollend. Peregr. de fideicom. artic. 1. in fine. num. 14.*
12. Quod potissimum procedit, quando donatio causa mortis respectu primi donatarij fuit valida; sed si primus gradus donationis fuerit inualidus, frustra quæritur de validitate donationis in persona substitutorum, cum illa non possit fortiri effectum in personam primi. *Gabriel. dict. consil. 16. num. 20. lib. 1. Honded. consil. 32. num. 31. lib. 1.*
13. Hic autem præsupponimus primam donationem fuisse validam propter præsentiam patris ratione infantia filij: ergo secunda sustineri debet ex dict. l. quoties. *Gabriel. dict. consil. 16. num. 15. per ea quæ notantur in in l. quod dicitur. ff. de verb. oblig. Pinel. in l. 1. Cod. de bonis matern. part. 2. num. 73. & Gabrielio se subscripsit Honded. dict. consil. 32. num. 31. & 93.*
14. Propter hanc difficultatem recurrebat pater dicti hæredis defuncti ad quasdam nullitates ex defectu subscriptionis instrumenti, & alias similes.
15. Præterea dicebat quòd cum ageretur de dote materna, quam filius propter consuetudinem Martini habiturus erat à lege seu consuetudine; non poterat mater de dote illa profectitia disponere in præiudicium liberorum suorum, & filium grauare onere substitutionis: vt tradit in terminis *Honded. dict. consil. 32. num. 25. volum. 1. cum filius illam non esset habiturus tanquam hæres matris, sed tanquam filius ipsius. Honded. vbi supra Capic. decis. 176. num. 24. Thesaur. decis. 237. num. 7. sed quia hæc quæstio altiore requirit indaginem, nec potest terminari nisi iuxta verba, & pacta contractus matrimonij; ideo pro nunc indecisam relinquo, de ea forsitan alio capite particulari dicturus. † Aliquid hac de re tradit *Barbos. in l. 2. §. quod si in patris. num. 41. & plenius in l. post dotem. 41. ff. solut. matrim. Tusch. liter. F. conclus. 364. num. 22. Crauet. consil. 84. num. 7. Thesaur. & ibi Addit. decis. 150.**
16. Quinta Conclusio. Consensus patris præstitus in donatione, non præiudicat illi in suis detractionibus, casu quo substitutio facta fauore fratrum esset valida: quia detractiones non facit ex capite proprio, sed tanquam hæres filij infantis prædefuncti, cui per consensum acquirere voluit, non præiudicare; & si maximè voluisset, non potuisset; multò minus igitur tacitè dictis detractionibus ex persona dicti filij sui competentibus præiudicasse censendus est. *Gratian. discep. forens. cap. 247. num. 28. 33. & 35. † vbi dicit quòd licet pater interuenerit in contractu donationis, & consensum præstiterit substitutioni, non censetur*

- censetur propterea præiudicasse legitimæ; quamvis sibi iure proprio deberetur: multò igitur minus, quando illa debetur filio donatario; cùm legitima requiratur specialem expressionem: vt etiam docuit Peregr. de fideicom. artic. 51. num. 23. quod etiam procedit in legitima debita ascendentibus. Roderic. Suares, in l. quoniam in pr. oribus. ampliat. 16. num. 3. Couarr. lib. 1. variar. resol. cap. 3. num. 23. & in terminis donationis Cephal. consil. 148. num. 24. 25. & 29. † Et quòd pater vti filij hæres duas quartas deducere possit, non obstantè donatione causâ mortis, tradit Bald. consil. 290. num. 3. volum. 3. Gabriel. dict. consil. 16. num. 28.
22. Et licet donatarius à donatario Trebellianicam non deducat, ex l. mulier. 21. §. final. ff. ad Trebellian. Gratian. cap. 247. num. 13. Cephalus consil. 148. num. 13. volum. 1. † hoc verum est, quando adest sola qualitas donatarij; sed quando vltra illam qualitatem adest qualitas filij qui potuit omisâ donatione causâ mortis succedere ab intestato; tunc qualitas donatarij non impedit qualitatem filij habentis legitimam successiõnem: qui propterea duas quartas detrahere potest Gabriel. dict. consil. 16. num. 28. Bald. dict. consil. 290. num. 3. volum. 3. † Concurrunt enim legitima; & falcidia, quando agitur de fideicommissò conditionali. Peregr. de fideicom. art. 3. nuu. 55. versic. contrarium. Gabriel. dict. consil. 16. num. 29. Quamquam in hoc casu non sit tractandum de falcidia: quia vltra legitimam detrahitur quarta ex persona filij, non tanquam donatarij; sed tanquam hæredis vniuersalis ab intestato.
23. Si enim quartam detraheret tanquam donatarius causâ mortis, detraheret falcidiam, & non Trebellianicam per viam retentionis si possideret; si verò non possideret, remedio quorum legatorum. Hypolit. Riminald. Instit. de donat. in principio n. 569. Ioan. Faber, in §. hæc mortis causa. num. 3. Instit. cod. tit. & probatur in l. penult. Cod. ad leg. Falcid.
- Sed dubitatur vtrum hoc casu, supposito quòd substitutio locum habeat in fauorem fratrum ipsius testatoris, vtrum pater dictæ testatricis & fratrum ipsius habiturus sit vsumfructum in bonis per substitutionem ad liberos suos obuientibus & super quo sit
24. Vltima Conclusio. Vsumfructum non spectare ad patrem, sed ad generum qui fuit hæres primi donatarij grauati. Ratio decidendi est, quia pater non ponit authoritatem suam interponere, quatenus ex donatione aliquid redundaret in sui fauorem. Pascal. de patr. potest. part. 1. cap. 6. num. 113. ergo nec pro vsumfructu sibi quærendo.



CAPVT LXXIX.

Contractus ex quibus censetur emphyteuticus vel censualis. Si autem partes illum emphyteuticum nominauerint, & in eo apposuerint pacta contraria naturæ, & substantiæ contractus emphyteutici; vitiantur, & vitiant: & contractu nullo existente propter pacta contraria eius substantiæ, non faciunt vt valeat alio iure quàm expresso: ideo nullum debetur ex illo laudimium.

1. Contractus talis declarandus est quem partes illum nominauerint.
2. Concessio ad nouum acapitum seu à noue bail arguit emphyteusim.
3. Reseruatio iuris laudimiorum conuenit contractui emphyteutico.
4. Item reseruatio iurium dominicalium, prælatiõnis, & similiarum.
5. Concessio prædij ad meliorandum probat emphyteusim.
6. In dubio contractus potius censualis indicandus est quàm emphyteuticus.
7. In contractu censuali dominium prædij seruientis est apud soluentem, non autem apud eum cui soluitur.
8. Verba impropriantur ad efficiendum contractum potius censualem, quàm emphyteuticum.
9. Qui non accipit rem a concedente, non dicitur emphyteuta illius rei.
10. Reseruans sibi dominium directum non prædij, sed annuæ præstationis; non ideo sub se dicitur habere emphyteutam.
11. Vtrum contractus sit emphyteuticus, in dubio ex pretij quantitate indicandum.
12. Quando res annuæ solutioni obnoxia non processit originaliter à creditore, non est emphyteusis, sed census.
13. Pactum quod res in defectum solutionis cadat in commissum, non infert de necessitate contractum emphyteuticum.
14. Res cuius totum dominium est penes debitorem, non potest subiaccere caducitati.
15. Rem propriam ab alio accipiens in emphyteusim, sibi non præiudicat, licet sapius recognouerit per errorem.
16. Contractus est emphyteuticus si prouenerit à concedente, & adsint clausula proportionatæ huic contractui.
17. Non repugnat emphyteusi, quamvis canon annuus fructibus æquiualeat.
18. Subemphyteusi facta sine consensu domini directi, concessio est nulla, nec ex ea debetur laudimium.
19. Ex subemphyteusi laudimium debetur. Intellige si concessioni interueniat consensus domini, alias contractus est nullus: & ideo ex illo laudimia non debentur.
20. Contractus emphyteuticus non potest transformari in aliam speciem contractus, si in eo adsint pacta contraria substantiæ talis contractus: tunc enim & pacta & contractus ipse vitiantur, nullusque remanet ex defectu consensu.
21. Pacta apposita contra substantiam contractus, quem partes se velle inire declarauerunt; adeo reddunt contractum nullum, vt in alterius naturam transformari non possit.
22. Venditio non transformatur in alium contractum, sed in totum vitiatur si pacta contraria substantiæ illius contractus fuerint in instrumento apposita.

Contractum de quo agebatur dixi esse emphyteuticum, & non alium, ex pluribus. Primò quia partes illum nominauere emphyteuticum: & in dubio talis præsumitur quem partes nominauerunt Crauet. consil. 20. n. 4. Roland. consil. 96. n. 14. & sequent. b. volum. 2. Alex. consil. 3. lib. 1. volum. 1. Natta, consil. 194. n. 1. Menoch. lib. 3. præsumpt. 105. n. 1. Surd. consil. 164. n. 11.